PETRI SERRANI

DOCTORIS THEOLOGI
ET COMPLVT. ECCLESIÆ
CANONICI,

IN LEVITICI LIB. COMMENTARIA.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Prototypographi Regii.
M. D. LXXII.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum est, ne quis *Commentaria in Leuiticum auctore Petro Serrano Cordubensi Doctore Theologo & Complutensis Ecclesiæ Canonico*, citra Christophori Plantini voluntatem imprimat, aut alicubi impressa importet, venaliáue habeat à die impressionis absolutæ intra sexennium. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & pœna, fisco Regio exsoluenda, multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expressum est. Dato Antuerpiæ XVI. Decembris, Anno Domini M. D. LXX.

Sign.

I. De la Torre.

PHILIPPO II. HISPANIARVM REGI, ET NOVI ORBIS DOMINO,

DOCTOR PETRVS SERRANO

felicitatem omnem & salutem æternam deprecatur.

HI ETIAM *Commentarij in Leuiticum*, REX PHILIPPE, *sub tuo sacro nomine domum parentis relinquere statuerunt, & emancipati foras prodire, per variaq; sapientię hospitia peregrinari, atque eadem inuisendo suis iuribus victuri efflagitarunt. Sunt enim isti, & illi etiam, quos in Ezechielem Prophetam emisimus, vno eodemq; partu à nobis editi; quamobrem neque excellentiam primogeniturę, neque priuilegium aliquod dignitatis germana fraternitas illis agnoscere permittit. quin nisi te pariter patrono gaudere contingeret, morsibus se inuicem illos dilaceraturos, atque omnino consumpturos, & minabantur, & quibusdam quasi nutibus significabant. Accedit prĕterea ipsorum dignitas. quoniam si illi prędicatorem diuini verbi instituunt, actionemq; item sermoni conuenientem pręmoliuntur; isti tamen integrum sacerdotem vita & moribus instruunt, officiúmq; eius per omnes suas partes, prout Dominus in hoc libro legis obumbrauit, dilucidè distinguunt; & insuper doctrinam pro suggesto populo inuulgandam, figuris & diuinis appositis exemplis locupletiorem reddunt. Quapropter cùm nulla in re aliis cedant, & in plurimis adminiculentur, ęquo iure sacrę tuę catholicę Maiestatis protectionem requirunt: pręsertim quòd tales sacerdotes, quales hic Dominus depinxit, officium tuę Maiestati à Domino demandatum pleno iure postulat. Summorum enim sacerdotum, qui Ecclesiis pręficiuntur, delectus, ex commissione summi Pontificis Romani Vicarij Iesu Christi penes tuum summum arbitrium positus est: ex quibus debitè assumptis, minorum sacerdotum, & totius Cleri in moribus religiosis integritas, in officio atque munere suo diligens obseruatio, & in charitate & totius virtutis luminibus exemplum populo appositissimum pendet. Quapropter vt eâdem clementia, qua illos, & hos Commentarios tua sacra Maiestas excipiat, quanta humilitate possum & debeo, exoro, & me saltem in indignum famulum pro celsitudine tui nominis habere non dedigneris. Vale, & perquàm feliciter benedictione Domini innumeros annos age.*

El Rey.

POR quanto por parte de vos el Doctor Serrano nos a ſido fecha relacion, que vos aueis compueſto dos Commentarios ſobre el Propheta Ezechiel y el Leuitico, el qual era muy vtil y prouechoſo, y en ellos auiades pueſto mucho trabajo y occupacion, ſupplicando nos, vos dieſſemos licencia, y facultad para que por el tiempo que nueſtra voluntad fueſſe lo pudieſſedes imprimir, y vender; ſin que otra perſona alguna lo pudieſſe hazer; ſin tener para ello licencia y poder vueſtro, o como la nueſtra Merced fueſſe: Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo: Por quanto en el dicho libro, ſe hizo la diligencia que la pragmatica ſobre ello hecha diſpone, fue accordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon, y nos touimos lo por bien, y por la preſente vos damos licencia y facultad para que podeys hazer imprimir los dichos libros que de ſuſo ſe haze mention, en la empresa de Plantino en Enueres: ſin que por ello, vos, ni el dicho impreſſor incurrais en pena alguna: y mandamos que la tal impreßion ſe haga de los dichos libros Originales que van rubricados cada plana, y firmado al fin dellos de Domingo de çauala nueſtro Scriuano de camara de los que reſiden en el nueſtro conſejo, y que deſpues de impreſſos no ſe puedan vender ni vendan, ſin que primero ſe traigan al nueſtro conſejo junctamente con los Originales, para que ſe vea ſi la dicha impreßion eſta conforme a ellos, y ſe taxe el precio porque ſe ouiere de vender cada volumen, ſo pena de caer y incurrir en las penas de la dicha pragmatica y leyes de nueſtros Reynos: Y hecho lo ſuſodicho, defendemos que por tiempo de diez años primeros ſiguientes que corran, y ſe quenten deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula, en adelante perſona alguna no pueda imprimir ni vender los dichos libros, ſino vos, el dicho Doctor Serrano, o la perſona que vueſtro poder ouiere; ſo pena de perder todos los libros que dellos vuieron impreſſo, y mas diez mil marauedis para la nueſtra camara. Y mãdamos a los del nueſtro conſejo, Preſidente y Oidores de las nueſtras audiẽcias, Alcaldes Alguaziles de la nueſtra caſa y corte, y a todos los Corregidores, aßiſtente gouernadores, Alcaldes mayores, o otros Iuezes y Iuſticias de todas las Ciudades, Villas, y lugares de los nueſtros Reynos, y Señorios, y a cada vno y qualquier dellos; anſi a los que agora ſon, como a los que ſeran de aqui adelante, que vos guarden, y hagan guardar, y cumplir eſta nueſtra cedula y merced que anſi vos hazemos, y cõtra el tenor y forma della no vais ni paſſais, ni conſentais yr, ni paſſar por alguna manera, ſo pena de la nueſtra Merced y de veinte mil marauedis para la nueſtra camara dada en Madrid a xvij. dias del mes de Enero de mil y quinientos y ſetenta y vn años.

Yo el Rey.

Por mandato de ſu Mag^d.

Antonio de Eraſſo.

INDEX COMMENTARIORVM IN EZECHIELEM PROPHETAM.

A.

B.

C.

Colluuies

Populus

Q.

R.

S.

T.

Tempore

INDICIS FINIS.

COMMENTARIVS IN LEVITICVM.

Capvt I.

VOCAVIT *autem Moysem, & loquutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus, & auibus offerens victimas.*

LIBER hic ab Hebræis à prima dictione, *Vocauit autem*, prout in alijs consueuerunt, appellatur. à Græcis verò Leuiticus, à nomine tribus Leui, quam Dominus ad sacra soluenda delegerat, inscribitur. Et iure sanè, quandoquidem omnia genera ministeriorum, quæ tunc à [Deute. 10. & 18.] Leuitis & Sacerdotibus Leuitici generis exigebantur, in eo planè traduntur. Etsi ita sit, quòd Leuitæ nomen pro ministris, & minoribus sacerdotibus, qui altari holocausti deputati erant, propriùs in Scriptura accipiatur. [Num. 18.] Ita enim Dominus Aaron loquutus est: Fratres enim tuos de tribu Leui, & de sceptro patris tui sume tecum, præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem & filij tui ministrabitis mihi in tabernaculo testimonij. Qua etiam significatione ab ecclesiasticis viris vsurpatum est: vnde beati Sixti ad Laurentium querentem, quòd ad cælum properaret, & se ministrum in terris relinqueret, vox extitit: Non ego te deseto, fili; maiora te manet pro Christi fide certamina: post triduum me sequeris Sacerdotem Leuita. & hac ratione Leuita Laurentius appellatus est. Atque hæc de titulo. De ordine verò; librum Exodi immediatè sequitur: quòd cóstructo in eo tabernaculo, omnibusque vasis, & vtensilibus, ministrorum officia, sacrificiorum ritus, & cæremonias [Exod. 4.] instituere, quæ in hoc libro digerantur, reliquum videbatur. Vnde coniunctione copulatiua præcedenti annectitur, sicut huic Numerorum liber, vt omnes tres tanquam vnus habeantur. Cui suffragatur, quòd eodem tempore à Domino dictati fuerunt, nempe circa initium primi mensis secundi anni egressionis ab Ægypto, vt eadem Scriptura testatur. & eodem item loco; quia in monte Sinai; cùm ante dedicationem [Num. 1. Num. 7.] tabernaculi, quæ infrà legitur, populus locum non mutauerit: Vnde & Dominus summam vitæ Christianæ octo beatitudinibus complexus in monte euulgauit: vt veritas [Math. 5.] nempe figuræ responderet; & legem atque doctrinam, quà ad cælum itur (quod montes repræsentant) omnes intelligerent. Exodus autem, tanquam his initium præstans, & à Genesi distinctus, aliud ab eo exordium sumpsit, & alio tempore conscriptus est: nempe post centum quadraginta septem annos: quod tempus interceptum est à morte Ioseph, vsque ad egressionem ab Ægypto. In ipso autem exordio duo Dominus docet, & se auctorem huius libri esse, & materiam sacrificijs subiectam; de quibus primum intendit. illud, vt auctoritatem diuinam in capite proponens, beneuolum, docilem & attentum populum audientem reddat: lectorque deinceps Dominum sibi loquentem audiat, & quæ sibi sunt placita, intimantem & exigentem attendat. Quod innuit cùm ait: Vocauit autem &c. Moyse enim tanquam organo ad sua depromenda eloquia vsus est Dominus. Loquitur autem de tabernaculo testimonij, quoniam de secundo tabernaculo, vbi erat propitiatorium, suam præsentiam exhibere, & sua oracula populo propalare solebat. & inde Moysi loquutus est; & quæ in hoc libro diuini cultus (iam antiquati) continentur, eidem populo inuulgare præcipit. & de tabernaculo testimonij item Dominus loquitur; quippe Scriptura, tanquam de tabernaculo, populo suo, & nobis loquutus est Dominus. In ea enim imagines & figuræ Christi Iesu, eiusq; mysteriorum ducebantur; & arcana omnia, quæ Ecclesiæ tempore reuelanda erant, tanquam in repositorio, tegebantur. quorum omnium indubitabilem fidem, & irrefragabile [Origenes homi. 1.] testimoniũ præstitit. Vt enim sub sacrosancta Christi humanitate, eius diuinitas latuit, ita sub tegumento literæ sensus spiritalis diuina consilia signans, absconsus est, quatenus perscrutantes eam, thesauros absconditos discerent, cùm suos priùs exercitio literæ, sensus emendassent. vnde toties per prophetas, præter hoc quòd in morte Christi redemptoris nostri cessatura erant, & insuauia Domino reddenda eorum sacrificia, [Esai. 1. Amos 6. Hier. 7.]

repellebat, quoniam tanto tempore scholæ sensum spiritalem nunquam didicissent. Itaque intentionem legislatoris Domini semper transgressi fuissent, & vitæ emendationem neutiquam eis memorarent. Loquitur præterea nobis Dominus de thalamo conscientiæ nostræ, suæque voluntatis testimonium reddit. vnde per tabernaculum te- Rom. 1. stimonij, non minùs aptè hîc significatur. In ea siquidem cogitationes tectæ inhabitát, quæ testimonium pro nobis, aut contra nos aliquando redditurae sunt. Alterum, quod proponi hoc loco diximus, sacrificiorum materia est, quibus boues, oues & capras subiicit. Hæc autem nomine pecorum intelligit, quòd vsui hominum ad pecuniam parandam, quæ vitæ adminiculum est, frequentiorà sint. & item, quòd cùm horum animaliũ sacrificijs vitæ hominum emendationem, imò ipsorum offerentium mortificationem, quærat, eorum animalium delectum fecit, quibus vita simplicior, & magis naturalis agitur, qualis agricultura, & pastoralis existit, & deinde venatoria. Quare auium oblationes infrà requirit, & aliarum deinde rerum. Voluit enim Dominus varijs cæremonijs, & diuersis sacrificiorum & oblationum generibus coli; vt populus ille omnino rudis, & rebus sensibilibus plus nimio deditus, sic ad diuinas & res spiritales considerandas assurgeret. Quæ ratio cùm nunc etiam vim suam obtinear, quòd eodem item corpore constemus sensibili, licet in rebus, & mysterijs diuinis clariùs, & specialiùs post Christi Iesu aduentum instituti simus: iure optimo Ecclesia Dei mater nostra cæremonijs, & omni cultu & apparatu externo in sacris soluendis vtitur. ita enim per externa ad deuotionem, & cultũ Dei fideles præparat, & nostræ redemptionis mysteria eorum mentibus firmiùs figit, quæ prò statu mortalium corporum fixum aliquod, & corporeæ imaginationi accõmodatum, quod earum motus & actiones fimat, desiderant, ne indefinitæ vagentur. Motus enim omnis fixum aliquod in quo, aut circa quod fiat, neces- Arist. 1. lib. de cælo. sariò requirit, vt Philosophia docet. Et præterea per ea quæ in hoc libro Dominus docuit, quando per se populum suum regebat: planè edocta est (suggerente Spiritu sancto) cultum externum, ad interni conseruationem, & auctionem, atque ad sui gratificationem, Dominum requirere. Vnde pessimè errant Lutherani cæremonias externas è medio tollentes, cùm contra Dei institutionem ex hoc loco malignè agánt. Statuit deinde varia sacrificiorum genera, in medelam illius populi, in idololatriá, more gentium, & potissimum Ægyptiorum, inter quos diu vixerant, valdè procliuis: vt constat Exod. 32. ex adoratione vituli, quẽ, Deo vero posthabito, & eius beneficijs neglectis, sibi in Deũ erexerunt. Atque vt quod dæmonijs, sacrificijs, & oblationibus gentium, impensuri erant, Deo suo vero redderent, genera sacrificiorum alia instituit, quibus ab idololatria reuocarentur, & mysteria nostræ redemptionis exhibẽda per Christum obumbrarentur, & fidem sui populi firmiorem semper redderet; humanæ redemptionis mysterium clarius & distinctius alijs vmbris, & figuris continuè mentibus inculcando. Quod ex- Hier. 7. pressè docuit diuinus Spiritus per Prophetam, cùm ait: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes: quia non sum loquutus cum patribus vestris; & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum. Inductus igitur Dominus pronitate illius populi in idololatriam, genera sacrificiorum, quæ in hoc libro enarrantur, instituit. Quòd autem idem fecerit in figuram, & obumbrationem mortis Christi Iesu pro redemptione hominum, explicuit Cap. 9. & 13. B. Paulus in Epistola ad Hebræos, & alijs locis, cùm sanguinem vitulorũ & hircorum, in mortem Christi, Scripturam præsignasse dicit. Et tandem quoniam per animalia, quæ ad sacrificia consecrabantur, varij ordinis vitæ homines è Dei populo significarentur, vt seipsos atque eorum opera per constantem fidem, & accensam charitatem in sacrificium & oblationem Deo gratam exhiberent, petebat. Quod ardentiùs nos efficere omnino exigunt tot beneficia Christi nobis iam impensa, eius insuper cælestis vita, doctrina, & opera.

Si holocaustum fuerit eius oblatiò, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij ad placandum sibi Dominum. Ponetque super caput hostiæ manus, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. immolabitq; vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotis sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem, strue lignorum antè composita, & membra

membra quæ sunt cæsa desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta, quæ adhærent iecori, intestinis & pedibus lotis aqua: adolebítque ea sacerdos super altare in holocaustum & suauem odorem Domino.

INCIPIT iam leges sacrificiorum disponere, quibus animalia memorata seruiebát. Atque primùm, de eo, quod holocaustum dicebatur, præscribit: quoniam perfectius, & absolutius cæteris erat, cùm tota victima combureretur, & igne absumeretur, nulla sacrificij parte relicta; ob quod & holocaustum, id est, totum accensum, à Græcis hoc genus sacrificij appellabatur. Cùm enim per sacrificium, oblationem ipsiusmet offerentis sibi Dominus exigeret, id sacrificium congruit in capite libri ponere, quod vitæ scopum obtineret. quemadmodum inter Decalogi præcepta, dilectio Dei primum locum obtinet, quòd finis sit ad quem cætera referantur. Huic ergo sacrificio cùm descripta animalia subesse possint, primo loco maiora animalia, id est, boues ascijt, qui per armen- 1. ad Tim. 2. ta propriè intelliguntur: vnde quia horum opera terra aratur, armenta, quasi aramenta, teste Varrone, dicuntur. Hoc autem duplici ratione factum est: quòd maiores populi & Ecclesiæ significent, qui in sustinentia laborum ad virtutem promouendam, cæteros anteire debent, charitatis ignibus totos se accensos exhibendo. & præterea, quoniam sacrificium illud mirabile Christi Iesu in cruce, quod vt imitandum exemplar ad culturam vitæ propositum est, hac oblatione prænotabatur. Igitur in genere de armenti sacrificatione disponés, quatuor exigit. Ex parte animalis, quòd sit masculum, & non maculosum: Ex parte verò offerentis, quòd debito fine id faciat; scilicet ad placandum Deum; & quòd ponat manus suas super caput victimæ. Accipiebat enim Dominus sacrificium illud in testimonium oblationis, quam suimet faciebat ipse offerens: in quo cùm nihil molle & effœminatum placeret, & macula peccati infectum à se abijceret, masculum, & non maculosum animal petebat; vt manibus tangeret, & oculis videret, qualem Domino se præstare deberet. Ex parte offerentis primum, quod requirit, est; placationem iræ Dei sua oblatione intendere, ne auertendo faciem suam iuxta peccatorum nostrorum merita puniat. quod faciet, cùm munus acceptauerit, & dignum suis oculis probauerit. Ad hoc autem nitetur offerens, non vacuus diuini a- Exod. 23. moris in conspectu eius apparere; sed tanta cordis puritate iuxta legitimam conscientiam, quòd nulli passioni vitianti mentem adhæreat. ad cor enim mundum inclinatur Deus. Tunc enim suadebimus cordibus nostris, quoniam ex veritate sumus, id est, viuimus, vt inquit beatus Iohannes; quasi reprehenderet nos cor nostrum: maior 1. Ioan. 3. est Deus corde nostro, & nouit omnia: quasi dicat, à fortiori nos reprehendet, & vt set-uos ingratos arguet. Quòd si sensibile discerniculum puritatis, seu dignitatis tui muneris desideras, oculis tuæ mentis perpende, quo animo munus in satisfactionem iniuriæ tibi illatæ, oblatum velles; & ea puritate & synceritate tuo munere labora te coram Domino sistere. Dehinc suas manus super caput victimæ ponere iubet in testimonium huius, quòd sponte, & non inuitus, neque fictus ostentationis gratia, aut timore solius pœnæ transgressoribus præcepti impositæ accedit. Manibus autem capiti superpositis, aptissimè hoc significatur; quia manibus, quæ volumus, operamur, & capite intentionem operis retinemus. In quo etiam intentionem & finem suæ vitæ & conuersationis, deinceps in rationem holocausti Domino dicare ex sua intentione, & proposito profitetur, similiter ac illud sacrificium offert: vt enim caput actionum corporis principium existit, ita & initium humanæ conuersationis debitæ; recta existit intentio. Tu iam lector vide hinc; qualiter ad opera quæ à te Dominus exigit in tuam iustificationem & salutem, eniti debeas: & qualis insuper tu Sacerdos non iam animal brutum, sed ipsum Dominum Iesum Christum Patri æterno oblaturus, ad altare accedere debeas, disce. His ergo seruatis, cùm manus ad caput hostiæ, adductor admouerit, coram Domino, inquit, mactabit. Vbi aduerte, quòd dominus victimæ eam occidit; & coram Domino, id est, coram tabernaculo fœderis, vbi Dominus se præsentem exhibere solebat: quoniam sui mortificationem quisque manu propria, & non aliena facere debet, idque coram Domino, id est, vt Domino placeat, ad quod eius præsentiam semper captabit. Sed cur vitulum, & non bouem iubet afferre? quoniam, vt dictum est, sacrosanctum illud sacrificium Christi Iesu in cruce pendentis, singulariter hic præ-

 figurabatur.

figurabatur. qui etsi de bobus, vt dicunt Septuaginta, id est, de genere Patriarcharum originem ducturus erat, non tamen moribus & institutis maiorum Synagogæ, qui vt boues illis successerunt, domitus, vt à legis puritate declinaret. & rursus, quoniam indicibili fortitudine, & infracto, atque penitus diuino robore, ad nostra exhaurienda peccata ad crucem accessit, quod non alia re magis, quàm ceruicibus vituli significare potuit. In ea enim Dominus pendens, in diuinum holocaustum Patri æterno se obtulit: vbi igne omnium tribulationum, eius omnia sanctissima membra, intimaque præcordia pro nostra salute combusta fuerunt. Nihil enim eius sacratissimi corporis illæsum mansit: imò in quo non acerbissime pateretur, vt legitimè holocausti hostia nuncupetur. Quem locum ipsemet Dominus exponens in parabola illa filij prodigi, qui omnia bona sua dissipauit, quando reuersus & conuersus fuit, vitulo saginato eius reditum patrem celebrasse narrauit. Dehinc, quoniam sacerdotum officium est inter Deum & populum mediare, filij Aaron receptum aliquo vase sanguinem per altaris circuitum fundebant. Hoc enim non nisi excelsi homines, & in virtutum culmine positi, quales filij Aaron (qui arca, aut excelsum interpretatur) esse debuissent: in quo sacerdotes Ecclesiæ, qui celsitudine virtutum præditi, in se tanquam in arca sacra Christum Iesum recipiunt, & in mysterio Sacramentorum sanctissimum eius sanguinem populo Christiano, qui in circuitu altaris, id est, intra Ecclesiam Catholicam existit, communicant.

Luc.15.

Res autem sic agebatur: concisum animal in membra cum capite & visceribus iecori adiacentibus, cum ventre, & intestinis lotis, & pedibus, superpositum igni in altari, siue lignorum accensa, totum comburebatur. Quæ diuisim considerare licet. Primum detrahitur pellis; quoniam diuitias, & sæculi bona à corde illius detrahi, qui hoc sacrificio, sui oblationem testabatur, Dominus petebat. Vt enim pelle tegitur, & condecoratur animal; ita homo bonis huius sæculi in conspectu hominum cooperitur, & cohonestatur. Vnde de beato Iob Diabolus Domino dixit; Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. & rursus hypocrisim fugere docet; vt scilicet, qui Deo placere cupit, à mentis suæ oculis superficiem virtutis detrahat, & eius exercitium, neglecto fuco & apparentia, colat. Externus quippe religionis apparatus solus, & à cultu interno omnino præcisus, quantumuis confessionibus, ieiunijs, & orationibus intentus (quem pellis animalis referebat) sacrificium gratum Domino nullatenus existit. Deinde in membra conciditur, & cum internis visceribus cibus igni paratur: quòd qui hac oblatione cultorem Dei se exhibet, subtiliter, inquit Origenes, intima virtutis distinguere debet, & quæ pro tempore conueniant, impensius cogitare. & item, quoniam vitæ conuersatio per partes etiam, & non inuolute, aut aliquod genus exercitij inspiciendo, probari debet. vt qui laudabiliter in aliqua re se gesserit, & turpiter in alia, vel pluribus erret, non præsumat, sed infectam vitam agere agnoscat. Nam qui offendit in vno, factus est omnium reus. Sed tertiò forsan non minus aptè dices: partitione ista membrorum, tam internorum, quam externorum, admonere nos; si acceptum intimus nos Deo exhibere cupimus, mortificationem nostrorum membrorum facere: nam organa corporis inter se appetitionibus pugnant, & interna etiam; cùm, teste Paulo, caro concupiscat aduersus spiritum. Quòd si hæ partes non concidantur, & mortificentur, quis Deo gratificari poterit? aut animi pacationem consequetur? ob quam contradictionem Patriarcha sanctus Abraham in illo suo sacrificio, partes animalium alterinsecus diuidebat, à quibus & volucres abigebat. Quia pugna hac passionum vigente, instantia dæmonum homo miser agitatur, & in malum continuò propellitur; quod vt fugiat, & membra sua concidere, & à cura abigendi dæmones, nunquam desistere conuenit. Verùm, quoniam in quatuor membra animal quodlibet diuidi solet, specialiter hîc lector edoceris, vt si te sacrificium gratum Domino in tuis actibus, & oblationibus exhibere volueris, ab amore proprio, mundi honorum, & diuitiarum cor tuum seiunge, & abscinde, ne ei in opere tuo dominentur, à quibus tanquam à membris carnis violentis, subduci solet. Deinceps sic diuisa membra externa & interna, cũ extremis corporis, capite, nempe, & pedibus, super altari igne supposito, & strue lignorum enutrito, absumebatur. Quibus quæ à sacrificante Dominus exigat, plane docet. Nam quorsum tam minutarum rerum enarratio, quas res ipsa requirit, si doctri-

Iacob.2.

ad Gal.5.

Gen.15.

ſi doctrinam aliquã Spiritus ſanctus mentibus litantium ingerere non intenderet?igne ergo ſacrificiũ abſumente,ignẽ charitatis in offerentibus ſignabat: quo membra noſtri corporis,quæ memorauimus,diſſecta ardeant,& ſubiecta Spiritui diſcant agere. Quod tractans B. Paulus obnixè à nobis obſecrando, petebat: vt hoſtiam viuentem ſanctam, Rom. 12. & Deo placentem,corpora noſtra exhiberemus. Cupit enim Dominus,vt in nobis iſte ignis ſemper ardeat. Vnde idem Apoſtolus dicebat: Spiritum nolite extinguere,& pro- ad Theſ. 5. phetias nolite ſpernere : quod fit , cùm aliò , quàm Deo & virtutis officio mentem diſtrahimus,& veluti Dei obliti,ſecularia impenſiùs,quàm oportet, conſiderando, mentem occupant,eiq́ue dominantur. Vt è contra,quando ſpiritus cura habetur, ſuſtentatur . quippe orationibus , meditationibus , & electionibus ſanctis , vti lignis appoſitis, continuè accenditur,nutritur,& augmentatur. Verũ attende quòd ſuper altari,& ſtrue lignorum compoſita,in victimam,quã Dominus poſtulat,agit: quoniam ſi quis fidem non habeat,quam Ecclesia catholica docet,quæ per altare ſignificatur,nec Deo placere, nec charitatis ignem accendere,vnquam poterit, etſi Chriſtum confiteatur:quia ſupra fundamentum tale,fœnum & ſtipulam falſæ doctrinæ ſuperædificat. Quod, vt inquit 1. Cor. 3. Paulus, ignis probabit. Ligna deinde ordine compoſita ſupponuntur ; quoniam opera bona,meditationes, contemplationes, & cætera, quibus tanquam lignis ſuſtentatur,& augetur charitas, debito ordine,& fine diſtingui debent: vt non oſtentationis, non delectationis,aut ſuperſtitionis cauſa agãtur, ſed cum diſcretione propter Dei gloriam & honorem, quod diſcerniculum eſt ſpiritus deuotionis ; quo quiſpiam vrgeri poteſt , ſi ex Deo ſit. Nam,qui ſecus ſuadet,ex diabolo eſt,qui ſæpe in angelum lucis ad indiſcretas animas capiendas,ſe transfigurat. ob quod ſollicitè nos admonuit Apoſtolus; vt no- 1. Ioan. 4. limus omni ſpiritui credere, ſed probemus ſpiritus,an ex Deo ſint.

Quòd ſi de pecoribus oblatio eſt, de ouibus ſiue de capris holocauſtum, maſculum anniculum, & abſque macula offeret. immolabitq́ue ad latus altaris, quod reſpicit ad aquilonem coram Domino. Sanguinem verò illius fundent ſuper altare filij Aaron per circuitum, diuidentq́ue membra, caput & omnia quæ adhærent iecori; & imponent ſuper ligna, quibus ſubijciendus eſt ignis. Inteſtina verò & pedes lauabunt aqua: & oblata omnia adolebit ſacerdos ſuper altare in holocauſtum & odorem ſuauiſſimum Domino.

VICTIMAS has,vitæ habitum ſignificare, quem Dominus in offerentibus requireret,ſuprà diximus. Quod Apoſtolus Paulus exponens,dixit: Obſecro itaque vos fra- Rom. 12. tres per miſericordiam Dei , vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem ſanctam, Deo placentem,rationabile obſequium veſtrum. De perfectioribus autem,qui iugum legis ſuis humeris,perinde ac boues portãdo,rebellis corporis huius terram proſcindere,& vt operatores iuſtitiæ,præceptorum fructum ſuis laboribus reddere debuiſſent,dixit : Exemplo Chriſti Ieſu iugo obedientiæ æterni Patris ſubiecti:qui de cordibus noſtris herbas errorum euulſit,& cæleſtem doctrinam proſeminauit,nunc de imbecillioribus,de infirmis & incipientibus diſſerit, qui à peccatorum onere exempti , nondum forti animo,iuſtitiæ & præceptorum Domini ſe operatores exhibuerunt: ſed adhuc in pugna cum vitijs pro ſede antiqua luctantibus perſiſtunt; & mũdi lenocinijs, carnis titillationibus , atque Diaboli ſuggeſtionibus in itinere deuio , à quo malè detenti fuerunt,regredi inſtigantur. Propter quod,maſculo anniculo de pecoribus in oblationem præſentando,ſignificantur:qui cùm agni teneritudinem exceſſiſſent, arietis fortitudinem nondum attingerent, etſi robur haberent pro abſtinentia pugnandi cum Dei iuuamine,cõtra inſultantes, & deſertas voluptates. quare maſculus optatur. Permittitur etiam filius ouis,aut capræ;quoniam contemplatione vitæ iuſtitiæ,& in exercitio virtutis agendæ,pro eodem accipitur; quòd ex ſimplici plebe,quã ouis refert, ſiue ex peccatoribus,vitio & aſſuetudine peccandi,quos capræ ſignificãt, ad Dei culturam quiſpiam aſſurgat,vt in præceptis eius ambulet,& ipſius voluntatem adimplere conetur. Quod & Dominus expreſſit,oues in vniuerſali iudicio à dextris eius,hœdos verò à ſiniſtris futuros eſſe intimans. Ad iuſtificationẽ quidẽ aſſequendã nihil refert,ex vitio,an ſecùs ad Matth. 25. pœnitentiam cõuerſiuã proficiſcatur , dũmodo omnia ad quæ tenetur,debitè peragat. Cuius oppoſitũ Iudæi exiſtimabãt,imò hæreditario iure filios peccata parẽtũ excipere, Ezech. 18.

Quod expreſſe per Prophetam reprehendit Dominus dicens: Filius non portabit iniquitatem patris, vt eo loco expoſuimus. Deinde ad latus altaris, quod reſpicit aquilonem ventum, quo aquæ coguntur, frigora & niues vigent, immolare victimam iubet, & non in fronte altaris, vt ſuperius. Quoniam hi non integram virtutis iuſtitiam, plena corporis mortificatione, vt illi, exercent, ſed ex parte, potiſſimum abſtinentiam à malo, ex ignorantiæ nebula, & frigore peccati aquilonalis proficiſcendo. offerebant enim coram Domino, id eſt, coram Sancta ſanctorũ, vbi gloria Domini habitabat, (ob quod ſemel in anno ſummo ſacerdoti aditus patebat) cùm altare illud circa oſtium tabernaculi conſtitutum eſſet. atq; ita ex latere Domino ſua vota offerebant. Nam etſi melius ſit, inquit Iſichius, in regiam per oſtium rectum intrare, quando hoc non eſt facile, bonum etiam eſt per illud, quod ex latere eſt, introire. Sic nimirum melius eſt, per opera præceptorum vitam exercendo, ſe Domino offerre, continueque gratum ſe illi exhibere. At quando inter initia conuerſionis hoc non datur, bonum & gratum Deo opus eſt, per coertionem ſuæ voluntatis & malorum abſtinentiam ſe offerre. Quo plane docemur, cum timore & tremore ad altare accedere: vbi non iam figura, quam arca & propitiatorium gerebant, ſed ipſa res figurata, Chriſtus nempè Ieſus redemptor noſter, in Sacramento ſancto Euchariſtiæ exiſtit: imò eò appropinquare plebem non licere, ſed longiùs & ex latere quodammodo ſiſtere, ob quod non minus exaudientur: cùm publicanus ille à lõgè ſtans, largitionibus plenus è templo diſceſſerit, & Phariſæus præſumptuoſè appropinquans, antiqua ſuorum peccatorum ſarcina onuſtus. Mactata ſic hoſtia, filij Aaron per circuitum altaris fundunt ſanguinem, & poſtea ipſe ſacerdos, id eſt, Aaron, diſtributa ordine præſcripto membra in holocauſtum offerebat. Vbi iam erubeſcant, & confundantur hæretici, ad ſacrum Miſſæ myſterium temerè omnes non ſacerdotes admittentes: nam cùm quod in figura & typo eius gerebatur, non niſi Leuitis filijs Aaron, & ipſi ſummo ſacerdoti licebat; quanto minus myſterium iam exhibitum, prophanis hominibus licebit? in quo etiam Epiſcopi, & ſacerdotũ diuerſa officia inſinuantur: vt horum miniſtratio ſacramentorum ſit, illius verò Deo ſemper intendere, acceptumq; illi populum reddere negotiari: quod eſt odor ſuauiſſimus, qui ex ſacrificio hoc aſcendebat. Diſponuntur præterea animalis partes ad ignis vorationem, triplici ordine: membra in vno, caput cum iecore, & quæ ipſi adhærent in altero: in tertio verò inteſtina lota cum pedibus, quoniam ad integritatem vitæ Chriſtianæ, quę hîc oſtẽdebatur, in primis carnem mortificare cõuenit: deinde capitis cogitationes varias, quæ ibi oriuntur, & adoleſcunt, cum deſiderijs tumidis mundi, à corde, vbi tanquàm adeps, & iecori adiacentia pullulant, excludere; & tandem incitationes libidinis, & omnes turpes motus, qui renibus & inguinibus inteſtinis, & ventri proximis, & affectibus, tanquam pedibus ſuſtinẽtur, & creſcũt, cõprimere oportet. Vnde omnia in hoc ſacrificio abſumuntur, quia tota vita Chriſtiani hominis Deo dicari debet, ita quòd nihil habeat, quod Deo non vtile curet. Et inſuper attende, quòd à diuiſionibus membrorum, cæteræ partes ſeparantur; quoniam ſenſibilis hæc caro cùm omnia ad ſe trahere cupiat, vt ſpiritui dominetur, vnà contra ipſam interiora cuncta ſpiritui ſeruendo & famulandò præmuniri conuenit. Lauantur autem inteſtina cum pedibus, vt oblationi coaptentur: quoniam ſtercora ipſa peccata ſunt, quibus homines Domino, vt caro putrida, grauiter olent. quos aliquando obiurgans dixit: Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Qui ergo munus gratum ſe Deo offerre cupit, lauet inteſtina, & ventrẽ; id eſt, cor, in quo tanquam in ventre prauitates latent, & conduntur, perinde ac in ventre fimus. & non ſolùm hoc, ſed & pedes: quòd anima, quæ iecore, & ſibi adiacentibus; cum ventre inteſtinis, & interioribus quibuſq;, intra corpus habitans, circumſcripta eſt; à mortalibus, & grauioribus peccatis, aqua pœnitẽtiæ, & lacrymarũ cordis diſtillatione lota ſiſtere debet: ſed & peccata leuiora & venialia, quæ per affectus notãtur, qui pedes ſunt animę, abluere conari debet, ne paulatim in morbos grauesſcẽdo in lethale crimẽ deſes horũ anima labatur. Ad quæ Dominus Ieſus alludẽs, vti per ablutionẽ inteſtinorũ, grauiora peccata ſuorũ diſcipulorũ exploſa; venialia non negligenda duxit, cũ pedes eorũ lauit, dicens: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet; planè hanc legẽ cõmemorans. Quapropter cũ è cœno peccati per pharmacũ ſacramẽti pœnitẽtiq; exẽptos nos viderimus, precãdus eſt ſemper Deus, vt itã & cupiditatẽ poſt lotionem infectionũ, ipſis adhærentium, linteo ſuæ gratiæ tergat, & veluti ſcaturigines ſuperfluorum comprimat.

Luc. 18.

Ioel. 1.

Ioan. 13.

Reliquum

Reliquum tamen est vnum excutere: cùm is mos inter homines vigeat, vt igne prius posito, ligna inde superstruatur, vt vim igneam concipiant, & flammá nutriant; quid Dominus contrà iubet, lignis constructis ignẽ submittere? Propter duo, si attentiùs consideres: scilicet vt spiritalẽ ignem charitatis hic à nobis expetere significaret; qui non meritis nostris & industria paratur; vt supercilium humanarum virium deponatur; sed benignitate Domini, nostras calamitates miserando, donatur. Verùm quia non otiosis & vecordibus hominibus, sed cum Dei auxilio laborantibus, & ad suam salutẽ contendentibus, & bonis operibus, veluti lignis appositis, vt ignem hunc concipiant, & ardeant, procurantibus, suam benedictionem Dominus elargitur, contra humanum morem, strues lignorum prius quàm ignis apponitur. Deinde spiritalia carnalibus aduersari docet: vt Christiani homines, qui carnalibus cum litera legis renunciauimus, nõ ad vomitum regrediamur secundũ carnem viuendo, sed spiritum colendo, facta carnis mortificemus: imò vt contrariam spiritui posthabeamus. Non enim, vt inquit beatus Paulus, debitores sumus carni, vt secundum carnem viuamus, sed spiritui, quem inhabitantem nobis in baptismo suscepimus. Rom. 8.

Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus & pullis columbæ offeret eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: vesiculam verò gutturis & plumas proijciet prope altare ad orientalem plagam in loco in quo cineres effundi solent: confringetq; axillas eius, & non secabit, neq; ferro diuidet eam: & adolebit super altare, lignis igne supposito. holocaustum est, & oblatio suauissimi odoris Domino.

TERTIO iam loco meditatricis, & contemplatiuæ animæ partes auium sacrificio describit: vt huius vitæ cultores, qui perfectionem exercere contendunt (quales Episcopi ex munere cõmisso, religiosi ex professione, doctores ex commissione talentorum, sacerdotes ex ordinis officio, se exhibere debent) conata, ductu Domini, diligentiùs possint perficere. Quoniam autem intelligentiam cordis, munditiam & simplicitatem, in præsentia Domini ambulando, in primis colere, & his tanquam basibus ætatem agere debent, turtures & columbarum pullos, ex cunctis auibus in holocaustum delegit, quæ dictis dotibus maximè pollent. turtur quippe suæ salutis prouida, pro ratione temporis, regiones mutando, tempus aduentus sui nouit. sic enim ait Dominus: Miluus in cœlo cognouit tempus suum; turtur & hirundo Hieren. 8. & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Reliquas verò dotes mirificè columbæ exprimunt: quas ipsemet Dominus pro sua misericordia dignatus est docere. Nam cùm sponsæ pudicitiam, & partium animæ concinnitatem commendaret, columbæ candori & munditiæ contulit dicẽdo: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Cant. 2. Meditationem etiam huius auis extulit, quando per Ezechiam mortem impendere arbitrantem, & tantum peccatorum luctum superesse, inquit: De mane vsq; ad vesperam finies me, sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Esa. 34. Simplicitatem verò ex ore ipsiusmet Domini Christi Iesu audiuimus dicentis: Estote prudẽtes sicut Mat. 10. serpentes, & simplices sicut columbæ. cuius etiam sacrosanctam præsentiam, Spiritus sancti organum existens, Baptistæ monstrauit. Quod ipsemet testatur dicens: Quia vi- Iohan. 1. di spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Meritò igitur, vt suos duces perfectioris vitæ admoneret Dominus, memoratas aues inter omnes, sibi sacrificari petiuit. Quarũ singulares proprietates ad perfectionẽ vitæ promouendam, omninò valent. verùm ad earum exercitiũ, sicuti & aliarũ virtutum, apprimè proficit, Deum semper præsentem cogitare, coramq; eius oculis agere. Quod & Dominus docuit dicendo Abrahæ: Ambula coram me, & esto perfectus. Gen. 17. & Patriarche sancti ita obseruare curarũt, vt filiis iurantes ita alter Deumq; testarentur, 3. Reg. 17. quàm, Viuit Deus in cuius cõspectu sto. vnde Sapiens dixit: Beatus vir qui in sapiẽtia morabitur, & in scientia meditabitur, & sensu cogitabit circunspectionem Dei. Eccles. 14. Attamen propiùs ad literã accedendo, aduerte primum, quòd nec laicis permittitur occisio hostiæ, sed ipse sacerdos eam mactat, retorto ad pinnulas capite, vnguem solet,

& non gladio ferit vulneris locum, ex quo decurrere finit sanguinem versus crepidinem, aut parietem altaris. Quæ per ordinem ad nostram doctrinam notanda sunt. Etenim, cùm victimæ occisione, vitæ modus, quem Dominus exigit, significetur, & nulli è populo neque ex minoribus, neque ex maioribus perfectio exercenda proponatur, hinc laicus nullius classis ad huius sacrificij libamen accedit, sed solus sacerdos: quia sacerdotibus pro ratione vitæ, vt suprà dictum est, perfectio tractanda proponitur. Vnde cauendum est sublimioris generis vitæ formas exercendas populo rudi & simplici proponere, vt aliqui libris editis vulgari sermone faciunt, quibus plurium mentes scrupulis torquentur, imò in curriculo vitæ Christianæ animum despondent, qui simplici præceptorũ Decalogi via proficerent: Multa enim,

Iohan.16.

dixit aliquando Dominus Iesus discipulis suis, habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Reliqua continuæ pœnitentiæ habitum in huiusmodi viuendi genere significant. Nam ad collum caput retorqueri, quid aliud, quàm mentem in vitam anteactam intentam semper habere? vt supra corpus peccati lugeat, & omnium pœniteat, & pro disruptis eorum vinculis gratias agat, & non solùm pro his quæ commisit, sed pro illis etiam quæ incurrisset, si eum Dominus non præ-

Augustin. tom.3. de Spiritu & anima cap. 33.

uenisset, vt inquit Augustinus? Huc item spectat, quòd non ferro, sed vngue mactatur: quoniam extrinsecos labores, iniurias, persequutiones, quas gladius significat, vt se exerceat, expectare non debet, sed sponte & propria manu feritatem carnis domare, voluntatem castigare & mortificare oportet: ea tamen discretione, vt mens, etsi à carne in ratione vitæ agendæ diuidatur, eius votis posthabitis, non tamen separetur, & abscindatur ab eius naturali consortio; quod esset se occidere. Ob quod collum tantum vngue feritur. Eodem etiam tendit; sanguinem fluere & decurrere ad crepidinem altaris, siue ad parietem. Decursus enim hic sanguinis, iugem pœnitentiam in his viris significat. vnde pro vario viuendi instituto, vt dictum est, varium deferunt habitum. Dum tamen à laico distinguitur, quid aliud quàm pœnitentium vitam inuulgat? ad parietem autem altaris: quoniam ad

Ephes.2.

Christum & propter Christum, qui in ara crucis, suo sanguine soluit medium parietem maceriæ, inter eos qui longè & propè erant, id est, inter Iudæos & Gentes. Ex meritis enim & sanguine Christi nostra pœnitẽtia in conspectu Domini, pretium & valorem habet. Vesiculam & plumas in loco cinerum, qui versus orientem erat, longè à tabernaculo testimonij ad portam ingressus templi, quæ ad orientem erat, iubet proijcere: meritò; quoniam peccata omnia à Christo vero oriente sufficientissimè abstergenda erant, & homines qui eorum stercore, vt loca sordida, exorientem Dominum expectantes ab omnibus inquinamentis mundandi. Atq; hinc, quoniam sub fide hac & spe suis orationibus & sacrificijs Dominum sollicitabant, ab oriente ingressus ad templum patebat. Huiusmodi autem contemplatiui homines, etsi cæteris malis moribus à populo dissentiant, honoris cupidine, gloria, & inuidia vexari solent, & gula item, quæ, bonum otium conterentes, plus nimio inuadere solet. His morbis occurrens, plumas & ventriculum in immunditiarum locum proijcere iubet; vt continua sollicitudine ambitionem fugiant, omnem mundi fastum pedibus calcando: tunc enim quæuis alta, humilia ducimus, & vilipensa possidemus;

Iosue.1.

nec amplius eorum desiderium nos cruciat. sic enim dixit Dominus: Locus, quem pes tuus calcauerit, tuus est: nec minore, otium, desidiam & vecordiam, quæ comessationes & potationes tanquam vitæ finem præstituere solent, & perinde vt arbores silentio vitam solùm agere, cogunt. Quod tantùm abest vt assequantur, quòd vt mortui, absque cultura animi, in corporis sepulchro iacent: cùm is viuere & anima frui censendus sit, qui officio aliquo intẽtus, præclaris operibus, aut liberalis artis alicuius statis pensis, Dei gloriam & honorem quærit. Atque ita hic summa quadam, celebres tres Christianæ vitæ modos recondidit Dominus: quorum typum longè antè Patriarchæ illi sancti, Abraham, Iob, Noe, apprimè retulerunt. Nam ille nullis laboribus parcens, & sui vnigeniti immolatione conata, eximius iustitiæ opera-

Rom.4.

tor extitit, de quo dictum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusti-

Iob.1.

tiam. Iste verò tanta cura diuinæ iniuriæ vitandæ districtus fuit, vt singulis diebus pro peccatis filiorum vota sua Domino redderet; imò inter angustias positus, de hac

Iob.1.

re laudatur, cùm dicitur: In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, nec stultum

quid

quid contra Deom loquutus est. Hic iam tandem, id est Noe, in fabricatione arcæ; quæ Dei Ecclesiam obumbrauit,& in dominatione bestiarum & reptilium,contemplatorem maximum se exhibuit. quippe meditationibus,orationibus & contemplationibus ad spiritum à corpore abducendum,& exercitium virtutum promouendū; in stadio vitæ Christianæ,Ecclesia ædificatur,& reptilibus inimicorum subiectis amplius dominatur. Genes. 6 & 7.

CAPVT SECVNDVM.

ANima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio: fundetq; super eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. quorū vnus tollet pugillum plenū similæ & olei, ac totū thus: & ponet memoriale super altare in odorem suauissimū Domino. Quod autē reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorū eius sanctum sanctorū de oblationibus Domini.

LEGES holocaustorum,quibus fideles ad varios viuendi modos prouocabantur, aptè ipsorum offerentium distantiæ & differentiæ legibus comprehenduntur. Igitur sub typo singularum oblationum, quas priuatus quisq; offeret, fidei cognitionem & normam & regulam ponit, quæ omnino seruanda est, & ob oculos semper habēda,vt aliquo genere vitę ex superius dictis quis proficiat. & loca etiam vnde eruenda,& per quos ministros,& quòd non nisi laborum sustinentia,Christi Iesu exemplo,communicanda,& opere complēda sit,simul hoc capite docetur. Inter sacrificia ergo quæ quisq; priuatus homo ex plebe ipsa,pro sua paupertate & tenuitate offeret, primo loco simila infusa oleo cū thure est. de qua cū oblata fuerit hæc disponit Dominus; quòd vnus filiorum Aaron similæ & olei accipiat pugillum vnum, & totum thus;& ponet super altari tāquam memoriale Domini,in odorē suauitatis: quod autē ex pugillo restabit,Aaron & filijs eius adiudicat.& hoc,inquit,sanctū sanctorū, aut sacrosanctum sacrificiū ex cunctis oblationibus Domini. Quæ suo ordine discutiēda sunt,vt spiritum sub tegumento huius literę reconditū,attingamus. Quę ergo in gratiarum Dei actionem & recognitionem offeruntur,ex his quæ de eius largitate accepimus,munera solēt appellari: Vnde quoniam ex his quę ad communem vitæ vsum Dominus clargitus fuerat,sunt,quæ in gratitudinis officium,& assequendæ beneuolentiæ gratiam, pauperes populi pro sua tenuitate reddebāt, & sacrum faciebant,oblationes muneris,aut sacrificij,appellantur. Huius autem modi homines,ignorantia communiter laborare solent; quapropter eos referunt,qui Dei cognitione egent; aut quia lumine fidei non fuerunt illustrati,aut quia eo malè vtentes,fidem suam peccatis obscurarunt,& mortuam tenent. quod Spiritus sanctus notans, huiusmodi oblatores animales appellat, qui vinculis carnis & mundi constricti, non percipiant quæ Dei sunt. Inquit enim: Anima cùm obtulerit, &c. Mens quippe cùm corpori adeò immersa est, vt eius tantùm curis intenta sit, animæ nomen sortitur. Munus autem, quod hic offertur, simila est: nullus equidem recta via ad cælum gradi potest absque fide & Dei cognitione: Oportet enim accedentem ad Deum credere quia est, & quòd inquirentibus se, remunerator est,dixit beatus Paulus. Et rursus: Absq; fide impossibile est placere Deo.Hęc est igitur Christianę vitę ductrix & baculus,quo Patriarcha Iacob transiuit Iordanem, & quo ad eius imitationem nobis post transitum Iordanis, id est, susceptionem Baptismi, ad cælum iter agendum est. Eius autem primus articulus & aliorum basis cognitio Dei est sub vnitate essentiæ cum trinitate personarum: hanc autem cognitionem simila significat,sicut farina omnia alia fidei mysteria, quæ in Euangelio continentur; vt ex parabola fermenti, quod mulier abscōdit in farinæ satis tribus,planè colligitur. Etenim vt simila flos & puritas farinæ existit, & delicijs magnatibus præparatur; ita cognitio sanctissimæ trinitatis, vt flos primùm spectatur, cum cognitionis cæterorum mysteriorum fundamentum sit, & ex ipsa tanquam ex fonte scaturiat: & quæ cùm obscuritatem vitæ exuta fuerit, regibus, qui de hoc mundo,diabolo & carne triumpharunt,in patria,deliciæ omnes, erit. Rursus vt simila cibus corporis existit, perinde & Dei cognitio, cibus animæ à Domino Iesu expositus est; cùm discipulis petentibus, vt de cibarijs exportatis manducaret, respondit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me; nempe

1.Cor. 2. Hebr. 11. Genes. 32. Matth. 13. Genes. 49. Iohan. 4.

nempe cognitionem eius manifestare, ad quam iam Samariam ex relatione mulieris præparari videbat. Quapropter apte satis cognitionis diuinæ symbolum ponitur. Vnde cùm huius veritatis Dominus Abraham ad ostium sui tabernaculi sedentem, aliquando informare voluit, in mentem illius ingessit: præciperet Saræ, vt misceret tria sata, id est, tres mensuras similæ, & faceret subcinericios panes: vt cibus corporis cibo mentis id est, cognitioni vnius Dei sub trinitate personarum, responderet. Atque ita cùm tres viros videret, vnum solum adorauit. Et item vt ipse ad armentum curreret, & optimum ac tenerrimũ vitulum indulgentia hospitium afferret: in mysterio gerens, quòd Dominus ei apparendo sub trinitate personarum futurum decreuerat: quòd scilicet vna persona ex ostentis, id est, filius Dei carnem sumendo, tanquam vitulus occidendus erat, & in cibum parandus hominibus; & spiritalis per fidei cognitionem; & Sacramentalis, in Eucharistiæ Sacramento. quem locum citauit Dominus, cùm Iudæis dixit: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum; vidit, & gauisus est. Atqui, quoniam in tota scriptura Veteris Testamenti huius mysterij cognitionem tradere, atque fidem facere primùm intendebatur; meritò simila & flos farinæ, respectu omnium quæ docebat, dicitur. Hoc autem mysterio ex lege cognito, ad cætera Euangelij arcana, quæ fides catholica docet, magisterio sanctæ matris Ecclesiæ diuina dispensatione per paulatinos progressus manuducti sumus. Vnde Dominus dixit: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Omnia enim mysteria in sanctissimæ trinitatis cognitione abscondita sunt, & ex ipsa eorum cognitiones dimanant, & in ipsa fermentantur. Vbi perspicuè vides Euangelium Legi diuinitus interfertum: & vt similam, cognitionem sanctissimæ trinitatis, & farinam simul huius & reliquorum articulorum cognitionem explicitam significare. Etenim, quia in lege crassior & non plena omnino cognitio Dei habebatur; similæ, quæ pars farinæ est, comparatur; in Euangelio verò farinæ, quòd explicatiores, pleniores & sublimiores eius intellectus habeat. Ab offerente igitur similam, eius cognitionem præsentare & fidem protestari Dominus petebat. Et cum oleo compactam thure adiuncto: quoniam eleemosynis & orationibus ad eam communicandam, & communicatam augendam inclinatur. Cui rei exemplo nobis Cornelius ille sanctus fuit: cum cognitionem Domini conanti, eleemosynis & orationibus gratia Dei præuentum eam commeruisse, testatus est ei angelus dicendo: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini: & nunc mitte viros in Ioppen, &c. Præsentata autem sic oblatione, vnus filiorum Aaron ex ea pugillum similæ & olei cum toto thure assumet, & ponet super altare, memoriale Domini in odorem suauitatis. Cognitio enim Dei, quam quilibet e populo confiteatur, per sacerdotem examinanda & probanda est. Verùm hoc per fidei regulam. vnde pugno iubetur accipere: quod fidei mensuram insinuat. Nam vt pugillo qui plus vult capere, minus accipit; quia quantò magis digitos extendit & comprimit, tantò magis quantitas elabitur & cadit: ita qui plus quàm fides doceat, de scientia diuina vult comprehendere, minus proficit in his quæ ad fidem spectãt; quoniam acceptam comminuit. Qui enim scrutator est maiestatis diuinæ, opprimetur à gloria: Et item quia pro offerentis modo, in Dei cognitione explicita, cum erudire & instituere debet, pugillum tantùm accipit. Et cum oleo & toto thure: quòd his confessoris officium figuraret, qui misericorditer pœnitentem debet suscipere, & operibus etiam misericordiæ & pœnitentiæ iuuare. & insuper orationibus illi Deũ placare niti, imò pro officio illi specialiter incumbit semper orare, vt dixit Dominus: iure totũ thus & non partem accipit. Thus quidem ad curandas internas passiones à medicis applicatur: & eius fumus, vt tradunt Physici, accedentium lachrymas ex infirmitate fluentes restinguit: vnde & symbolum orationis existit, quæ affectuum passiones sedat, & animam à peccatis minoribus sanat. Nam super infirmum cùm vngitur orantibus presbyteris, si in peccatis fuerit, dimittẽtur ei, inquit Scriptura, etsi hoc Sacramẽtum, etiam ex attrito faciat contritũ. Munus autẽ hoc altari superpositũ ac Deo dicatũ, memoriale, ait, erit in odorem suauissimũ Domino. Nunquid Dominus obliuiscitur nos, aut ex memoria eius excidimus (in quo viuimus, mouemur, & sumus) vt memoriali indigeat, quo nostri memoriam reficiat? minimè quidem: sed quando iniquitates no-

Gen. 18. Tertullianus lib. de Trinitate. Iohan. 8. Matth. 13. Actor. 10. Prouer. 25. Luc. 18. Iacobi 5. Actuũ 17.

tes nostræ (vt inquit Propheta) diuiserunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra absconderunt faciem eius à nobis, ne exaudiret nos: ad modum hominis irati, [Esa.59.] contrahet manum suam, in carne hac lutosa nos agere permittendo, atq; in medijs fluctibus maris huius mundi iactari, periculis bestiarum inferni, continuè insultari videns, ob nostra peccata, nec nos erigit, nec inimicos cohibet, nos obliuisci dicitur. Quapropter vt oculos suæ misericordiæ in nos conuertat, & à faucibus diaboli eripiendo, & suæ gratiæ dono nos foueat & protegat, munus hoc altaris ad eius iram placandam, & extensionem suæ diuinæ manus contractæ promerendam, offerebatur: & quoniam eo inspecto, offerentes, dono suæ gratiæ afficere, quos vt oblitos fuerat, reminiscentis & recordantis opus est, memoriale dicitur. Vnde Tobias vndis tribulationum opertus dicebat: Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam [Tob.3.] sumas de peccatis meis, neq; memineris delicta mea, vel parentum meorum. Et alius Propheta misericordiam Domini deprecãdo in populum suum, verbum, quod pepigerat, memorando dicit: Recordare, ne irritũ facias fœdus tuũ nobiscũ. & rursus: Tu [Hiere.14.] scis Domine, recordare mei, & visita me, & libera me ab his qui persequũtur me. & præterea: [Hiere.15.] Recordare paupertatis & trãsgressionis meę, absynthij, & fellis. [Tren.3.] Verùm attẽde, quòd nõ tantùm similę sensibilis oblatione, quàm intelligibilis, quam summè expetebat, delectabatur. Vt ipsum nempe cognoscendo, mente & spiritu colendo, & reuerẽdo, simul cum externo munere, in cuius pignus præsentabatur, offerens omnes suas cogitationes, mẽtis negotia & consilia, in Deum ipsum referat. quod à nobis Christianis, similæ & aliarum rerum oblationibus sublatis, solùm & obnixè petitur: & adeò gratum sibi futurum prænunciat, quòd in suauissimum odorem habebit. Etenim cùm cum quolibet opere virtutis suauẽ odorem Christianus fumet Domino; inter omnia tamen, quando mentem & cor omnibus suis consilijs & actionibus Deo offert, quia radix, cum Dei gratia, studiosæ vitæ, & adimpletionis totius iustitiæ est, suauissimum odorẽ illi fragrat. & qui in se item, & in fratribus, gloriam & cognitionem Dei extendere nititur: secundum quod B. Paulus dicebat; Deo autem gratias, qui semper triũphat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo in his qui [2.Cor.2.] salui fiunt, & in his qui pereũt. Vbi odor pro diffusione cognitionis Dei accipitur. Residuum autem pugilli similæ Aaron & filijs eius permittit. Sed nunquid pastus corporalis hic Domino primùm curæ erat? minimè. Sed hoc docebat, vt scilicet Dei scientia amplior, pugillo assumpto, quam ad hominum salutem Dominus reuelauit, in Aaron, tanquam in arca & excelso loco, & filijs eius conseruaretur: secundũ illud Domini: Labia sacerdotis custodiunt sciẽtiam. [Malach.2.] Doctrina enim fidei pura & syncera à B. Petro, & tenente locũ eius pontifice Romano, tanquam à capite per Episcopos & reliquos sacerdotes populo comunicari debet. Quod significans, Aaron & filijs eius, quod ex thesauris sapientiæ & scientiæ Dei hominibus dignatus est impartiri, cõmisit. Ex quibus tanquam ex promptuario quodam (quia non solùm fidei scientia, sed & Dei cognitio specialiter, quatenus summum bonum est, nostris peccatis offensum ac lacessitum, quod initium pœnitentię peccatoribus existit) propaganda & deriuanda vndequaque sit: Sanctum sanctorum Domino, aut sacrosanctum hoc munus ex cunctis oblationibus, Dominus appellauit. Nihil enim suauius Domino aut gratius, quàm hominũ pœnitẽtia, vtpotè quæ Christianę vitæ scopus esse debeat. Atqui quoniam vt primus eius gradus, volentibus vitæ emendatione, holocaustum Domino aliquo ex modis assignatis se exhibere; est cognitio summæ & infinitæ bonitatis Dei offensæ; tanquam summa omnium oblationum legis extollitur.

Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento conspersos oleo & lagana azyma oleo lita.

QVIA pauper futurus erat Dominus in terra, oblationibus pauperũ maximè delectatur: vnde panes & lagana confecta de simila, siue placentas maiores & minores oleo deunctas, & absq; fermento in clibano coctas, secundo loco postulat. paulatim enim Dominus ad sui plenioré cognitionẽ suos adducit. Hæc autẽ mysteriorũ Christi Iesu Domini nostri fide perficitur & dilatatur, quæ hîc obũbrantur. Primùm ergò eius sacrosanctã incarnationẽ hac oblatione delineat. Etenim Christus panis hominũ futurus erat decoquẽdus, prius tamẽ in vtero sacratissimę virginis, tanquã in clibano.

Vnde

Vnde panibus in fornace paratis, aptiſſimè figuratur. vt enim clibanus ignem deſuper accipit, & panem eo coquendum;ita ſancta Dei genitrix Spititus ſancti igne ſuccenſa,in ſuo ſanctiſſimo vtero filium Dei vnigenitũ coquendũ,matutandumq; ſuſcepit: à quo homo factus egrediens,& in matura ætate conſtitutus,figuratũ hic panem Iohan.6. iam exhibitũ docens,dixit: Ego ſum panis viuus,qui de cœlo deſcendi. Verùm attende, quòd de ſimila panes hos præparari iubet: quoniam de cognitione Dei & ſanctiſſimæ trinitatis, in cognitionem Chriſti tãquam de gradu in gradum procedens,fides proficit & coaleſcit. Verùm quis ad tanti myſterij intimationem non ſtupeſcet, cum Abacuc.3. Abacuc dicente: Domine audiui auditionẽ tuam, & timui? At tamen Prophetarum & Apoſtolorũ miniſterio id ſponte credimus,& animoſe confitemur: vt regius Pſal- Pſal.86. tes teſtatus eſt, quãdo tãtam rem admiratus,rogabat: Nunquid in Sion dicet homo: homo natus eſt in ea,& ipſe fundauit eam Altiſſimus? viribus proprijs neutiquam: at diſpenſatione Domini,vtriuſq; populi Iudaici & Chriſtiani ſcripturis, & principũ eorum eas docentium,nempè Apoſtolorum & Prophetarũ, res plana & euidenter credibilis,demonſtrata eſt,& omni gaudio ei operantes adhærebunt. vnde ſubdit: Dominus narrauit in ſcripturis populorum,principum horũ, qui fuerunt in ea: ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Atq; ij ſunt placentæ maiores,& minores, quæ abſq; fermento preparantur: maiores, Apoſtolos referentes;minores verò, Prophetas: quoniam quantùm panes,ſiue placentæ maiores,ad nutritionem & humanę vitæ ſuſtentationẽ propter maiorem quantitatem,minores excedunt; tantùm illi, hos plenitudine diuinæ cognitionis,& ſcientię.& abſq; fermento: quia eorum doctrina abſque mixtione prophani erroris,iuſtificata in ſemetipſa eſt, dulcis ſuper mel & fauum: & Pſal.18. abſque fermento: id eſt,hypocriſi Phariſæorum,qui interiora & intellectus abſconditos in ſcriptura,literæ & extrinſeco apparatui ſeruire volebãt; cùm contrà, litera ſpi- Matth.5. ritui famulari debeat. Cuius erroris nos admonens Dominus,dixit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſęorum,non intrabitis in regnum cœlorum. Sed vnde tam purè & caſtè loquuti ſunt? quia panes aut placentæ ſunt de ſimila confecti: id eſt, ab vnigenito filio Dei edocti & inſtituti hi & illi,vt vnus eo- Paulus ad Hebr.1. rum teſtatus eſt dicens: Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis,nouiſſimè in diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio,quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Et iure optimo ſimila nuncupatur, quia ſapientia & cognitio eſt æterni patris: atque ita poſt magnificentiſſimum illud opus noſtræ redemptionis, in diſpenſatione eius vitæ,totum negotium fuit,Patris æ- Iohan.14. terni notitiam & cognitionem hominibus tradere, ſecundum quod ipſe dixit: Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus, quod dediſti mihi, &c. quod multò antea de Pſal.110. ipſo regius Pſaltes cecinerat,dicendo: Confeſſio & magnificentia opus eius. Et item verè ſimila eſt, qui in Sacramento altaris, ſub ſpeciebus panis verè continetur, ad paſtum & nutritionem animarum, panis cœleſtis effectus. Atqui, quoniam noſtrum miſerans caſum miſericorditer ad tanta bona in nos collocanda aduenit,conuenienter de ſimila verſata oleo, fit oblatio. Thus autem non apponitur; quia hac oblatione non offerentis habitus, vt in præcedenti, ſed Dei, cui fit, ſuam nobis cognitionem & ſapientiam mutuantis, ſignificatur. Prædicti autem panes in clibano coquuntur; quoniam duces populorum memorati, & qui eorum vices in Eccleſia agunt, magnis apertis, & vehementibus perſecutionibus, quæ per clibanum ſignificantur, in huius veritatis publicatione, vexandi erant. de quo planè ſuos diſcipu- Iohan.16. los & Apoſtolos admonuit Dominus Ieſus, dicens: Venit hora, & nunc eſt, in qua Mat.10. omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et iterum: Ecce mitto vos ſicut oues inter lupos, &c. Imò non ſolùm prædicator, ſed & omnis qui fidem ſuam operibus teſtari voluerit, & penſum quod illi debet ſingulis diebus & tota vita præſtare, patientia muniatur oportet: nam quis in medio maris aget, & 2.Tim.3. eius vndis non agitabitur? omnes enim qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Atqui,quoniam quæ ſubitò & inopinatò veniunt, homines frangere ſolent, vt inconcuſſi perſiſtamus, hîc nos præmonitos voluit eſſe Dominus.

Si oblatio tua fuerit de ſartagine: ſimilæ conſperſæ oleo & abſque fermento, diuides eam minutatim, & fundes ſuper eam oleum.

Obso-

Obsonatvr pauper, cùm eam victus rationem assequitur, quæ condiri potest, & ignis vi in cibum præparari: Quapropter partem & portionem suam non parcit ei Dominus. Quando ergo de cibo in sartagine præparato, oblationem fecerit, hac ratione sibi confici vult: quòd sit de simila absque fermento, & illa sit oleo subacta, & minutatim siue in buccellas ex ea confectum, diuisum & frixum superinfuso oleo, sibi præsentaretur. Postquam cognouimus filium Dei incarnatum, eundem iam patientem ostendit: & sic ampliorem, & fusiorem sui cognitionem facit. Vnde oblatum; non nisi de simila munus vult, quam eius sapientiam notare supradictum est. Frixione sartaginis, passio Christi Iesu hic præterea significatur: quoniam vt quod recipit sartago, esui aptum reddit, fortis persistens contra vim ignis; ita crux vnigeniti filij Dei esui eius carnem præparauit in sancto Sacramento Eucharistiæ, quæ antea inepta erat, vt Sacramẽti sumptione applicaretur nobis passio Christi. Quod mysterium longè antè præfigurans Dominus, agnum paschalem, non crudum, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni disposuit comedendum. (Exod. 12.) & adeò fortis extitit, quòd omnibus vndis tribulationum, æternum pondus constantissimè sustinuit, & omnem creaturam sanctissimo crucifixo subiecit, secundum quod ipse Dominus de se dixerat: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. (Iohan. 12.) Minutim autem & oleo superinfuso in hac sacra sartagine Dominus Iesus frixus fuit: quia non vno tractu mortem pro salute nostra oppetijt, sed diuisim & per partes tormenta & passiones tulit. Coram Anna primùm ignominiosè vinctus, à discipulo fuit negatus, (Iohan. 18.) à seruo pontificis simul alapa percussus: coram Caipha deinde à Pharisæis tanquam à (Marci 14. Lucæ 23.) lupis rabidis, sputis & alapis illusus, & testimonijs falsis proscriptus: coram Pilato præterea accusatus: ad hæc ab Herode irrisus: & super omnia crudeliter flagellatus, spinea corona confixus, morti adiudicatus, ad caluarium crucis onere pressus, postrema cum afflictione fuit ductus. Ecce ergo sacrosanctam hostiam minutatim frixam, Deo patri oblatam. Et quoniam in omnibus his tractatibus, suprà quàm dicibile est, viscera suæ misericordiæ nobis patefaciebat, oleo superinfuso diuisionibus, oblationẽ hic petebat Dominus. Cùm ergo nostri gratia tantùm antè tempore hæc fuerint figurata, (Galat. 4.) & pòst, plenitudine eius accedente, exhibita, nõ oscitantes & vecordes hæc attendere debemus; sed impensius toto animo & consideratione, vt ad prototypi imitationem accingamur, & oblationem Deo gratam offerre nitamur. Quod proculdubio præstabimus, si fidei cognitioni innixi, quæ misericorditer nobis donata est, (quare similæ oleo compactæ comparatur) omni vitæ parte, & quacunq; tribulatione vexante, etsi occulta & vehemens sit, & à falsis fratribus (quæ per sartaginem insinuatur) passionis Christi partibus nos conformando, & per earum contemplationem, singulatim nostram voluntatem emolliendo, rigoremq; eius continuè frangendo, nosmetipsos munus offeramus. Atq; hoc cum misericordia fratrum: quæ in pignus amoris & beneuolentiæ diuinæ nobis commendata est, dicente Domino: Estote misericordes, (Lucæ 6.) sicut & pater vester misericors est. quod est super oblationem oleum infundere, Christum Iesum Dominum nostrum è vestigio sequentes.

Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æquè simila oleo conspergetur, quam offerens Domino trades manibus sacerdotis. Qui cùm obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino. Quicquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum eius sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

Gradatim victus pauperis augetur, & proportionabiliter misericordia Domini ampliatur. Lautior enim epula est pauperi, cùm craticula indiget qua torreatur, vt esui præparetur. De hoc igitur cibario, suum munus expetit Dominus, sed his conditionibus, vt sit de simila oleo cõspersa, quam offeret Domino in templo. Deinde sacerdos accipiet partem, quæ memoriale dicitur; quia in pignus accipitur, quòd muneris oblati recordabitur Dominus, & adolebit super altare, in odorem suauitatis; id est, erit acceptum Domino. Quod verò reliquum est, Aaron & filijs eius vsui permittitur. & sanctum sanctorum erit Domino, id est, inter omnia sacrificia igne succensa, hoc erit sanctissimum. Nunquid de cibarijs hominum, clibano, sartagine

aut craticula præparatis cura est Domino? minimè: non enim coqui aut coquinariæ artis peritia vexabat eum, sed hominum salus: quapropter spiritus & intellectus nobis quærendus est. Semper enim in ampliori cognitione Dei misericordiæ versatur. Igitur Christus Iesus mille passionum modis minutim, vt suprà dictum est, contortus, tandem cruci affixus mortem oppetens, se totum pro nobis impendit. Quod hoc loco significatur. sic autem thesauros misericordiæ aperientem Christum Iesum videre, plenior Dei cognitio est, & misericordiæ effusio: quare de simila oleo conspersa, oblatio fit. Vnde quia mors Christi vltimum, & subsistentia passionum fuit, prunis incensis & ferreis virgis candentibus, superponitur hæc hostia, & non flammæ ardenti, quæ voratio lignorum est & ignitio, & inter initia ignem nutrit. Deinde partem oblationis accipit sacerdos, quam in altari adolet & absumit: quoniam Christus Iesus tantùm secundum humanitatem passus est, quam memoriale appellat, quoniam ad humanitatem sui vnigeniti plagis insignitam, respiciens Pater æternus, huius sacrosanctæ oblationis recordabitur, &

Genes.9. cessabit ira & indignatio eius. Est quippe arcus cæli, qui cùm apparuerit, ait, recordabor fœderis mei, & non erunt vltrà aquæ diluuij super vniuersam carnem. Reliquum autem Aaron & filijs eius, hoc est, summo pontifici, & magnis sacerdotibus, permittit: qui tanquam viri scripturarum intelligentia excelsi, ex ipsis diuinitatem eius agnoscent, & filium Dei vnigenitum hominem factum pro salute humana, quem sic patientem & morientem viderunt, esse, omnes populos docebunt. Memoriale autem hoc in odorem suauitatis iubebat, gratiam qua acceptaretur significans. Christus enim Iesus sic in cruce mari tribulationum exhaustus, vt hîc significabatur, vsque adeò gratissima oblatio æterno Patri extitit, quòd in pretium sufficientissimum redemptionis totius mundi acceptauit. Vnde & pretiosissimum suæ infinitæ misericordiæ oleum, abundantissimè in nos effudit, tantùm nostræ curæ, eius vsum relinquens, vt quod superabundanter nobis valet, efficaciter prosit. Appellatur etiam sancta sanctorum; quia inter omnia sacrificia, quæ igne offerebantur, hoc, præter oblationem significatam, longè cætera anteibat. Nam quod sanctius sacrificium, quàm filium Dei vnigenitum tot tormentorum generibus dis-

2.Cor.5. sectum, pro nobis oblatum, imò, vt inquit beatus Paulus, Peccatum, id est, pretium peccati pro nobis factum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; potuit vnquam excogitari? quo æternum Patrem placatum, nos amantem, iniurias condonantem credimus? Fuit igitur Christus in sua sacrosancta morte, tanquam scopus omnium sacrificiorum, sanctissimum, & suauissimi odoris æterno Patri: vt illi nos gratificari cupientes, & tam sanctæ oblationis participes fieri, similiter pro nostro modulo & gratia data, in oblationem sanctam moribus & vita nosmetipsos offerre nitamur.

Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini: primitias tantùm eorum offeretis ac munera: super altare autem non imponentur in odorem suauitatis.

CVPIENS nos Dominus præscriptis oblationibus legitimè vacare, remotione fermenti, & mellis ab eisdem cauet, animum nostrum simul & vitam officio sibi grato informans. Prohibet ergo Dominus fermentum & mel sacrificijs, quæ de igne fiunt, misceri. quibus in communi victu homines vtuntur. Sed nunquid panem & mel, quæ sustentationi communiter deseruiunt, odit Dominus? minimè quidem. sed mala, quæ animum deprauant & vitam inficiunt, per hæc prohibet. Primùm doctrina Pharisæorum, quæ nominum legis intelligentia, & extrinseca tantùm siccæ literæ adimpletione, definiebatur, quòd spiritum extingueret, & seruum externarum rerum faceret, hîc nomine fermenti damnatur: vt propria

Lucæ 12. vice Dominus Iesus hanc legem explicando dixit: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Et rursus: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm

Matth.5. Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Horum enim doctrina externis actionibus vt limitibus contenta, cùm ad animum non extenderetur, per-

tur, per-

tur, perinde ac fermentum totam massam, mentem & legis intelligentiam corrumpit. Prohibitione deinde mellis philosophorum & paganorum doctrinas respuit, quæ lenocinitate verborum, & suauitate eloquij auidè perinde ac mel propter eius dulcedinem, ab hominibus incautis accipiuntur. Non enim in sapientia verbi, sed per stultitiam prædicationis placuit Deo saluos facere credentes, inquit beatus Paulus hanc eandem rem edisserens. Etenim horum, sicut & illorum doctrina, 1.Cor. 1. Dei sapientiæ in Lege & sancto Euangelio traditæ, famulari ac inseruire debet. Quod Spiritus sanctus Ecclesiam sanctam aliquando instituens dixit: Mel & lac Cant.4. sub lingua tua. non in lingua dixit, sed sub lingua: cauens ne Iudæorum mortua litera, nec aliorum loquacitas, in quibus tota deceptio, veluti in muscipula cibus, est posita, vnquam animo dominentur. Vult præterea Dominus hac lege vitam informare, vt studiosis moribus & actionibus bene compositam, illi offeramus, nosque in munus gratum & acceptum simul etiam hac ratione exhibeamus. Communis enim victus, communem vitam, cui seruit, hic significat. Quapropter cùm panis, quo ad victum vtimur, fermentatus sit, & ipsa vita hominum peccato non vacat: quoniam inclinationes, quæ nobis ex originali peccato adnascuntur, peccati causam agentes, ad id irritant, & propellunt. & rursus delectationes, quæ in condimentum vitæ, misericordia Domini datæ sunt, cum vitæ dominio consurrexere, & ipsius finem & scopum constitutas ab hominibus passim videmus. Vt ergo nostros mores & actiones fermento peccati purgemus, & sic Deo in munus gratum nos offeramus, à sacrificijs suis fermentum peccati expungit: caput nostrum Christum Iesum, qui his sacrificijs primùm significatur, prospicientes, qui adeò alienus à peccati fermento extitit, quòd peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Fermentum autem peccatum etiam significare, testatur bea- 1.Pet.2. tus Paulus dicendo: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut 1.Cor.5. estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceratatis & veritatis. quoniam blandæ dominæ voluptates, cùm mentis arcem occupant, & finem vitæ tenent, necessariò fermentum peccati eam corrumpet, imò tota peccatis plena fermè erit. A sacrificio mel auferendo; finem actionum, propriam delectationem & gustum constituere, inhibet Dominus: sed quòd in omnibus Dei gloriam, & honorem quæramus, secundùm quod dixit Apostolus: Siue ergo manducatis, siue bibitis, aut aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei fa- 1.Cor.10. cite. Vnde, quoniam literæ corticis & linguæ officio, non plene, sed ex parte pro spiritus intelligentia, vti oporteat, harum rerum primitijs contentus est Dominus, quas pro suo tempore, scilicet nouarum frugum, petit, de quibus infrà dicitur. Verùm attende, quòd super altare non vult imponi in odorem suauitatis. id est, non vult adoleri, neque igne absumi, sed in cibum sacerdotum eas deputabat. Quare? quoniam solam pœnitentiam peccatorum acceptat Dominus, nec vlla alia re placari potest. Etenim quando fermentum peccati, & mel propriæ voluntatis & amoris, dolore, pœnitudine, & detestatione, odio habetur, veluti lignis appositis ignis Dei amoris accenditur, ita, vt maiorem dolorem maior amor sequatur. Ex quo apertè conficitur, vt qui non odit peccatum, Deum non diligat; vt qui non dolet de offensa proximi, eum non diligere apertè conuincitur. Et quoniam dolore cordis debet absumi priùs peccatum, quàm ad altare præsentatus acceptus fias Deo, ibi non adoletur. Vult tamen huiusmodi primitias in cibum sacerdotum cedere: quoniam eorum est peccata populi per confessionem comedere, coquere & digerere; vt per Sacramentum absoluant; per doctrinæ discretionem Osee 4. & consilij, vitæ futuræ prospiciant; & vt denique apud Deum, non ignaui deprecatores existant.

Quicquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal.

QVAM aptissimè post repressionem propriæ voluntatis & gustus, quæ ex corruptione peccati omnem humanam actionem anteire solent, finem constituit,

quem tota vita homo Dei cultor, præ oculis habere debet, nempè discretionem eorum quæ placent Deo, ab his à quibus abhorret; discretionem spiritus, à carne, vt cibus aptus mensæ Dei reddatur. Hiere. 15. Si separaueris, inquit, pretiosum à vili, quasi os meum eris. Discretionem item verbi Dei: vt in omni sermone, in omni doctrina & consilio, in omni tua actione & opere, in conuictu fratris, siue eum corripueris, siue quippiam aliud egeris, voluntatem Dei eiusque diuini verbi adimpletionem attendas. Hæc enim omnia, nomine salis, hîc diuinus Spiritus intelligit. Etenim vt sal condimentis saporem præstat, & cibos gustui aptos reddit; ita harum rerum prudentia, actionibus, & operibus nostris condimenti genus est, & tanquam cibos aptos esui Domini præparat: & sicut sal discerniculum existit, quo sapidum ab insipido distinguimus; ita Dei verbum, discretio eius & prudentia, vt pretiosum & Deo charum, à vili, abiecto & Deo exoso separamus. Quapropter Dominus Apostolos suos, qui verbum suum inuulgaturi erant, omniaque memorata munera eius ministerio, in sua vita, verbo & opere præstituri, sal appellauit dicens: Matth. 5. Vos estis sal terræ: vt qui mundi carnem, ne peccatorum stercore putresceret, essent salituri. Quocirca eorum doctrinam & fidem tanquam vitæ formam & regulam nos aspicere, & firmiter semper manu & animo tenere, hîc nos Dominus iubet: imò & tanquam propositum exemplar, eorum vitam imitari & conata perficere. 1.Cor.4. Quod à nobis obnixè petit beatus Paulus cùm dicit: Fratres, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. & alibi ad eandem rem nos honore prouocando, Ephes. 2. Ciues & domesticos Dei supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, tanquam lapides viuos nos appellat: vt hac dignitate allecti, tales nos opere exhibeamus, quales verbo & fide profitemur. Atque hac de causa sua sacrificia sale condiri desiderat Dominus, nec ab oblatione sal fœderis, id est Legis, & diuini sui verbi auferri permittit: & tertiò in omni oblatione sal offerri iubet. Dicat nunc superstitiosus Iudæus: Nunquid obsonator erat Dominus hominum, vt eorum palato inseruiret; aut oblatione in cibum vsurus, perinde ac pagani diaboli cæcitate decepti, de suis dijs & dæmonibus astruebant? minimè. nos ergo illi curæ sumus, nostram salutem hic deperibat, & quales oblationes à nobis vita & moribus cuperet, delineare incipiebat.

Si autem obtuleris munus primitiarum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igne, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino. fundes super eas oleum, & thus impones, quia oblatio Domini est: de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus.

ETSI vna fides in Ecclesia Dei ab initio mundi fuerit, eademque vsque ad eiusdem finem sit perduratura, per sua tamen incrementa, quantum ad explicatiorem & distinctiorem ministeriorum cognitionem, semper processit. Vnde cùm eorum qui tempore legis sub tegumento literæ & figurarum agebant, fidem diuinus Spiritus figurauerit, & explicatiorem, maiorum & procerum Ecclesiæ: nunc eam, quam à plebe requirit, obumbrat. Per oblationem enim similæ, de qua in principio capitis disseruit, Dei cognitionem, & fidem eorum qui sub lege fuerunt, quæsiuit. Per cæteros verò ex clibano, sartagine & craticula, procerum Ecclesiæ, doctorum & perfectiorum, qui distinctiore cognitione fidei mysteria perceperunt, eademque operibus reuerenter coluerunt, & adorarunt, ignibus quibusque tribulationum calcatis, intellexit. Quare ordo ipse exigere videbatur, vt de fide Deique cognitione, quam à ciuibus Ecclesiæ plebeque requireret, iam ageret: quod sub oblatione primitiarum ex frugibus, hoc loco contegit. Ex frugibus ergo, quas fertilis ager redderet, spicas virentes tostas igne, & manibus confractas, oleo superinfuso cum thure, in oblationem sibi Dominus requirit: ex qua, partem contusam, & oleo litam, cum toto thure oblato accipiet sacerdos, & adolebit igne; & erit memoriale Domino: id est, muneris oblati recordari faciet, vt in offerentem oculos vertendo, eius misereatur. Etenim cùm de manu Domini, eiusq; largissima benedictione, iustos fructus terra cultoribus afferat, in huius beneficij gratificationem selecta & meliora quæq;

eidem

eidem reddere oportet: quæ absque fœnore, pro sua benignitate, non vult accipere, sed quasi debitorem se constituit largitionis maiorum bonorum, cùm eius partem sibi adoleri iubet, in muneris oblati memoriam. Verùm cùm neq; in spicis, nec oleo, nec thure delicias Dominus posuerit, neque his rem augere curauerit, quia bonorum (Psal. 15.) nostrorum non eget, vt liberalem in posterum se obliget, sed in hominum conuersione & salute, in veris bonis eius augendis, & amplificandis: videndum est, quid ab huiusmodi oblatoribus exigat, quo illi placeat magnificentiorem se eisdem exhibere. Hæc proculdubio sunt vera Dei fides & cognitio, atque integra vita, ex ipsa tanquam ex thesauro deprompta, eleemosynis & orationibus exercita, quapropter spicas dicto modo dispositas, cum thure & oleo petit. Spicæ enim fidem populi significabant: quæ etsi explicita sit singulorum articulorum fidei, quos sancta mater Ecclesia profitetur & celebrat, non tamen ita distincta & singula quæque examinata, sicut primarij viri ad quos hoc attinet habent. Sed eam vt à Deo acceptam, (sancta matre Ecclesia docente) ipsi offerunt, & in eius obsequium viuere profitentur. Præterea, fides populi illius sub lege, primum spicarum oblatione significabatur: quia vt folliculis grana in spicis continentur, ita & fidei mysteria sub cortice legis tanquam sub folliculis & paleis. Nunc verò postquam filius Dei vnigenitus granum frumenti factus, cadens in terram mortuus fuit, & resurrexit, (Iohan. 12.) multum fructum attulit, à fide & explicatiore cognitione eius, corticem legis, vt folliculos & paleas in Ecclesia sua, & Christianis hominibus separans. Virides autem spicas petebat: quoniam etsi illorum fides maturitatem, id est, distinctiorem cognitionem, quæ Euangelij sacri est, non attigisset, sic tamen eam accipiebat Dominus, vitaque illi conformi oblectabatur: In cuius signum, virore spicarum super altari suo gaudebat. & item: quòd pusillorum fidem (qui neque in cognitione mysteriorum Dei exercitatos haberent sensus, quia in gratiam eius nouiter recepti sunt: aut discretionis Christianæ annos vix attigerunt: aut quia per pœnitentiam ex incentiua peccatorum consurgunt, & per fidei lumen, postquam cum eius neglectu vixerunt, ad eam operibus colendam ascendunt, cùm eam profitendo in munus & oblationem Deo offerunt) non minus gratanter accipit. Etenim de omnibus his dixerat aliquando beatus Paulus: (1. Cor. 3.) Vt paruulis lac vobis potum dedi, non solidum cibum; quia non potestis portare modò.

Voluntatis Dei cognitio, operationem illi conformem expetit: sic enim dixit Dominus per Prophetam: (Abacuc. 2.) Iustus in fide sua viuit: hoc est ex fidei præscriptis tanquam ex promptuario quodam operationes eruit, vitam exercet, & sicut infallibili regulæ, se omnibus conformare, imò & morigerum reddere nititur. Quod & de cognitione morum Philosophi docuerunt. Sic enim inquit quidam: Non (Arist. 2. Ethic.) enim quid sit virtus quærimus vt cognoscamus, sed vt boni efficiamur, alioqui nihil ex ea vtilitatis caperemus. Itaque igne tostas & manibus confractas vult Dominus spicas offerri, mori nostro se attemperans, quas, cùm adeò teneræ sint, vt contundi non possint, sic esui præparare solemus. Quod & Apostolos cum Domino per sata transeuntes fecisse legimus: vt Dei cognitioni & fidei; quam profitemur, (Luc. 6.) nos vita ipsa conformes præstemus. Quoniam autem Christiana vita, in sustinentia tribulationum tota est posita, vt beatus Paulus prodit dicens: Qui volunt (2. Tim. 3.) piè viuere in Christo, persecutionem patientur: quòd aliter cum fide concinnitas, quæ cum diabolo, mundo & carne bellum agit, seruari non potest: inde mediis ignibus tostam, sed vitæ constantia inconcussam, Dominus exigit. Imò cùm vita persecutionibus & laboribus tanquam igne torretur & probatur, fides ipsa & Dei cognitio meditationibus augetur & roboratur. Ita enim Psaltes regius ait: Tribulatio (Psal. 118.) & angustia inuenerunt me; mandata tua meditatio mea est. Præterea, exercitio præceptorum & mandatorū Dei, quæ fides catholica præscribit, tenacius menti adhæret, & stabilior, atq; maior redditur. Sic enim ait Propheta: A mandatis tuis intel- (Psal. 118.) lexi, propterea odiui omnē viam iniquitatis. id est, quoniam exercitio mandatorum tuorum maiorē tui Domine scientiam & intellectū cepi, omnē aliam doctrinam, & modum viuendi, viam iniquitatis reputaui, & odio eam prosequutus sum. Vnde manibus spicas confractas vult. Etenim sicut igne folliculi & paleæ, non solùm literæ

legis,

legis,sed nostræ ruditatis,& propriæ voluntatis exeruntur,ita & manuum confrictione,quando ad opera extēduntur,separantur, & fidei granum quod latebat,sic denudatum, purum apparet,& colitur. Rursus Dei sapientia in nobis dilectione Dei & proximi quammaximè promouetur: imò via recta, vt Deus ipse nobis sapiat,& ampliorem eius cognitionem venemur, amor existit; quippè cùm res infinita sit, atque ob id in intellectu nostro capi non possit, vt res cæteræ finitæ, quando ipsi per cognitionem vniuntur: operæ pretium est, vt eidem nos per cognitionem vniamur,ad ipsum exire,quod via amoris & per voluntatem fit. Quod regius Psaltes docens, dixit: Accedite ad eum & illuminamini,& facies vestræ non confundentur. & rursus: Gustate & videte, quàm suauis est Dominus: accessum & gustū,per amorem,cognitionis maioris luminis diuini,& visionis statuēdo. Quapropter cum oleo & thure spicas amat: quorum illud charitatem & misericordiam proximi eleemosynis,& beneficentia commendat: istud verò Dei dilectionem, reuerentiam,& honorem,quę nulla alia re,quàm oratione & precatione aptius testificari possunt. Vnde in conuersione B. Pauli,hæc omnia volens Dominus Ananiam de ipso docere, dixit: Surge & vade in vicū,qui vocatur Rectus; & quęre in domo Iudę,Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. Tandē spicis contusis,partem tritici,siue farris & olei cum toto thure, sacerdotem adolere iubet sibi Dominus in memoriam muneris oblati. Mirum, quàm suauiter Dominus cuncta disponat: non enim temerè à quouis, sed ordine, medio scilicet ministerio sacerdotis,ad res sacras tractandas ordinati & deputati, oblationem sibi offerri vult: vt hæreticorum nostri temporis impudens audacia reprimatur, ordinem ministrorū Ecclesiæ confundentium. Partem autem hanc per manus sacerdotis sic oblatam,& igne absumptam, non dubium,acerbissimam mortem Christi in ara crucis significasse: vbi hostia & sacerdos idem Dominus Iesus Christus existens, igne tribulationum in Dei patris gloriam & honorem, suam sacrosanctam humanitatem adoleuit, imò moriendo totam absumpsit. At quoniam nostri causa,quorum salutem vsque adeò ardebat, in mare omnium tribulationum coniectus fuit,cum oleo misericordiæ memorata pars adolebatur. Verùm quid cum toto thure, & non cum toto oleo? non sanè absque mysterio: suffitus enim thuris cremati, odor suauissimus est Domino. quare acceptationem diuinam significat: quoniam tanta suauitate passio & mors Christi Iesu,tanta fragrantia in conspectum paternum ascendit, quòd pro mille mundis in sufficientissimum pretium recepit, nedum pro vno. Pars verò olei cum parte farris solùm adoletur; quoniam nos offerre nostra munera oportet, & cum misericordia fratrum: verùm nihil cum Deo ipsis negotiabimur, neque ab eo accipientur,nisi passioni Christi innixa, imò insita atque incorporata pars eius oblationis,efficiantur. Vnde ex farre & oleo,quod offertur à fideli,pars desumitur, quæ à sacerdote adoletur, vt meriti humani ex proprijs viribus, apud Deum cesset superba iactatio.

Psal. 33.

Actor. 9.

CAPVT TERTIVM.

QVòd si pacificorum hostia fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marē siue fœminam, immaculata offeret corā Domino: ponetq; manū super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij, fundentque filij Aaron sacerdotis sanguinem per altaris circuitum, & offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est extrinsecus: duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis, adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito in oblationem suauissimi odoris Domino.

QVI in aliqua re mediocritatem assequi cupit, summa illius, & quæ supra vires sunt, contendat oportet. Nemo quippe bonam eloquentiæ partem accipiet, qui Ciceronem æquare non proposuerit: neque artis militaris medium laudabiliter attinget,qui, vt exemplar quoddam & veluti optimi ducis ideam, talem imperatorem sibi non constituerit; cui non insuetus labor, non vllus locus arduus, aut

asper

aſper, cui nunquam armatus hoſtis formidoloſus occurrit. Perinde igitur (ſi licet magna componere paruis) qui in ſtadio vitæ Chriſtianæ currere cupit, ſummi curſoris Chriſti Ieſu veſtigia ſequatur, & inſignes curſores, nempe Apoſtolos, & quos ſingulis diebus ſanctos, in exemplar, Eccleſia mater proponit, aſſequi conetur oportet. Quapropter cùm primùm ſtrenuos viros, qui ſe in holocauſtum conſecrabant, triplici ordine, prout vnicuique data eſt gratia, ſecundum meſuram donationis Chriſti, imitandos propoſuerit: ad Ephe. 4. & deinde viam & ſemitam, qua iter agendum eſt, cognitionem nempe Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque ſacroſanctæ paſſionis ſenſum, ea ratione, qua Deus diuiſit vnicuique menſuram fidei, vt capite ſecundo enarratum eſt. Rom. 12. Nunc iam ea, quæ populus agere & negotiari debeat, vt à vitijs ad virtutem proficiſcatur, & rectà deinceps gradiatur, diuinus ſpiritus docet. hunc enim, ſecundum ordinem totius Eccleſiæ ſignificanit Dominus, cùm vota ſui populi requirẽs, dixit: Altare de terra facietis mihi, Exod. 20. & immolabitis ſuper eo holocauſtomata, & pacifica veſtra, oues veſtras & boues, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi. Quoniam autem hæc niſi in Deum dirigantur, tanquam in vltimum & ſummum bonum, ſtudioſè & ſuauiter fieri nequeunt, cùm ab ipſo ſit velle & perficere pro bona voluntate, Philip. 2. oblationes & vota cuncta appellantur. & pacifica rurſus, & ſalutaria: quoniam huiuſmodi operibus eam pacem contendimus, ad quã pœnitẽtes ilicò anhelant, vt pœnarum Purgatorij poſt remiſſam culpam, hic remiſſionem nanciſcãtur. De quibus etiam abunde ſuprà dictũ eſt. & item quæ morigeros ſenſus, aut non repugnantes ſpiritui reddit. & præterea eam ſalutem, quę Dei ſalutare, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, noſtras mentes inhabitare facit. hanc enim viam pacis appellat Regius citharœdus, Pſal. 13. quam flagitioſi nõ cognouerunt. & tandem, quòd in gratiarum actionem hæc Deo offerantur, gratulatoria munera etiam nuncupantur.

Igitur cùm per boues, oues, & capras, vniuerſum genus fidelium, quotis ordine agat, hic intelligat, tam maſculos quàm fœminas, horum animalium in oblationem admittit, dempto hirco. hunc enim quoniam peccatorem obſtinatum deſignat (quod planè docuit Dominus, Math. 25. quando in die vniuerſalis rationis reddendæ, reprobos à ſiniſtris collocauit) à ſacrificio ſibi grato reſpuit. oportet enim mulieres, quibus non minùs quàm viris per Chriſtum Ieſum ianua cæli aperta eſt, ſecundum quod aptum eſt ad eam ingrediendam viuere. Completis ergo quæ offerenti incumbunt, vt ſuprà explicata ſunt, quæ ſacerdotibus oblationem facientibus, poſt effuſionem ſanguinis victimæ per circuitum altaris, conueniunt, hæc ſunt; vt vitalia cum pinguedine ſua, cum renibus & adipe operiente ipſos & ilia, primo loco adoleat, deinde iecoris reticulum, cum renunculis etiam & adipe circumfuſa. Nunquid diſſectionem docere erat curæ Domino? minimè: ſed hominum vitam inſtituere. Quapropter radices primas, quæ in libidine, & non in modeſtia nutriri ſolent, quales cor prauum, appetitus iraſcibilis & cõcupiſcibilis feri, exiſtunt, amputare ſatagit. Per vitalia ergo cor hominis intelligit. Nam ſicut cordis dilatatione & conſtrictione naturalis vita ſubſiſtit; ita & mentis conſtrictione reſpuendo vetera & ſuperflua, & dilatatione admittendo noua, quæ Deo placent, & ab ipſo præſcripta ſunt, vita ſtudioſa, & Chriſtiana ſuſtentatur, & augetur. Cor etiam voluntatem & intentionem ſignificat, quam Dominus in ſua gloria, & honore defixam appetit, ſecundũ quod ipſemet dixit: Præbe fili mi cor tuum mihi, Prou. 23. & placeant tibi viæ meæ: ſcortum eſt fouea profunda, & anguſtus puteus meretrix. ob quam cauſam, cùm vitæ gubernacula teneat, ſibi adoleri poſtulat. Propterea iram cohibere, & infrænare ſtudet, quæ vindex concupiſcentiæ, & iniuriarum propulſatrix exiſtit. eſt quippe aſcenſio ſanguinis ad cor, vt dicunt Phyſici. vnde & eius motus in corde fit. memoria autem eius, in renibus concupiſcentiæ miniſtris, qui vt concupitis orbati, continuè impedientem memorant, eiuſque vindictam petunt. Quocirca, vt in hoc loco, ſæpe in Scriptura cum corde coniunguntur, vt quando dicitur: Scrutans corda & renes Deus. Pſal. 7. & alibi: Proba me Domine, & vre renes meos, & cor meum. Pſal. 25. Vult iterũ, cùm his pinguedinem omnem, & adipem renes, & ilia operientem adoleri, id eſt, deſideria omnia redundantia, & motus ſuperfluos omnes aboleri, & reijci, quos caro indomita profert, vt cor & renes plus iuſto vegetati, pinguedinis, & adipis tantam copiam, vt hæc ipſa membra, operiant. Non enim pro ſtrage peccati, abſque deſiderijs his, & motibus vita tranſigi poteſt, ſicut neque abſque his facultatibus. tamen quòd ita creſcant, vt luxurientur, & le-

gitimo dominio rationis non subdantur, sed eam, dominando operiant, & perturbent, iniquum & bestiale est: quod Dominus hic absumi iubet. Et attēde, quòd illorum meminit, cùm de renibus præscriberet, eorum locum signando; vt insinuaret cōcupiscentiarum carnis inhibitarum potissimùm vindictam memorare, & tenacius eam petere; quarum ministerio primo subseruiunt. & rursus aduerte, loco vitalium, vētrem plures vertisse, vt Septuaginta; quod non minus aptè & cōcinne intellectui literæ fit: venter enim vitalia omnia membra complectitur. & hoc significantius notat, quòd sicut per partem superiorem, vt docent medici, alimenta appetit, ita per inferiorem purgationes discernit: vt hinc instructi, alimenta animæ auidè capiamus, & mente coquamus, Dei nempe mandata & præcepta. vitia verò & peccata, imperio rationis in secessum mittamus. Per ventrem enim aliquando Propheta mētem intellexit, dicens: Ventrē meum
Hieron. 4. doleo, & sensus cordis mei conturbati sunt. Est ergo hoc loco non omnino motus iræ, sed eius immanitas, & feritas coercita. Nam secundū rationem iram assumere, vt cōtra nos ipsos torporem, & impudentiam nostram exprobrādo, quòd Deum offendetimus,
Psal. 4. præcepit aliquando Dominus, dicendo; Irascimini, & nolite peccare. & ad opera ipsa fortitudinis strenuè exercenda ipsa Philosophia furorem arripere præscripsit: nec si vn-
Arist. li. 4. Ethic. quam ira bene vti posset, irascibilem appetitum nobis donasset Dominus. nec toties in Scriptura suam iustitiam vindicanti iræ tribueret.

Deinde reticulum iecoris cum renunculis in oblationem postulat Dominus: vita hominis similiter ac currus duobus equis ducitur, appetitu, scilicet, irascibili, & concupiscibili; qui nisi à ratione, tanquam ab auriga, coerceantur, temperentur, & dirigantur, mille peccata incurrat oportet: perinde ac currus in sexcenta præcipitia, quando ab equis indomitis trahitur, absque fræni moderatione. Quapropter cùm vnius equi, nempe iræ, moderationem, per eiusdem oblationem in sacrificium fecerit, alterius curam non negligendo, concupiscentiæ scilicet, & iam modum ponit, eum sibi etiam postulando Est quippe prima, aut summitas iecoris, quam per reticulum hîc intelligit, concupiscentiæ sedes, ac omnium cupiditatum indeficiens fons. inde enim omnia desideria carnis, delectationes & voluptates deriuantur, & pro varietate hominum, non similiter, sed in varias, ac contrarias opiniones eos ducunt. & trahit sua quemque voluptas. Virtus autem vnius modi homines requirit, boni scilicet, & æqui cultores, vt Deum colant, ac venerentur. Hoc igitur intendens Dominus, hunc appetitum vsque adeo victum, vt & pugnantia velit, vt vnius moris efficiatur, quem ratio præscripserit, in oblationem sibi offerri petit. Cùm enim omne desiderium Dei gratia ipsi consecratum fuerit, vt nihil amoti eius contrarium admittatur, omnes actiones, delectationes & motus
Rom. 11. Deo grati erunt. Nam, si delibatio sancta, & massa; & si radix sancta, & rami. Si enim primitiæ nostræ volūtatis & desiderij sanctæ sunt, propagines omnes & quod reliquum est, quomodo sanctum non erit? Etenim sicut Patriarchæ, primitiæ illius populi Iudæorum sanctificati fuerunt, & qui ipsis crediderunt, eorum vestigia sequendo, inquit bea-
Athan. super Epist. ad Rom. tus Athanasius in hunc locum, sancti erunt. Exuet proculdubio sic is appetitus suam feritatem & immanitatem, & fideliter phātasiæ, & phantasia rationi subministrabit. Vnde appetitus rationalis rectus erit, vt cum desideratis diuitijs, iustitiæ studeat, cū optata salute abstinentiæ, cum matrimonio grato pudicitiæ, filiorumque legitimæ procreatio-
Hebr. 13. ni, vt sit honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Cum reticulo autem renunculos etiam sibi offerri petit: quorum, horū ministerio, desideria inutilia distenduntur, vegetantur & crescunt imò superflua omnia nutriuntur: vt hi inter omnia viscera nunquam non adipe circunfunduntur extra animalis consistentiam, vt tradunt Physici: & omnia superflua euelli Dominus amat. Et hæc est oblatio suauissimi odoris Domino, quia vita sic instituta, Deo maximè suauis, & grata est.

Si verò de ouibus fuerit eius oblatio, & pacificorum hostia, siue masculum obtulerit, siue fœminam, immaculata erunt omnia. Si agnum obtulerit coram Domino, ponet manum suam super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij, fundentque filij Aaron sanguinem eius per circuitum altaris, & offeret de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem & vniuersa

vitalia

vitalia & vtrumque renunculum cum adipe, qui est iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis: & adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini.

§ TRIVM personarum genera in sacrificijs his currebant: oblatores, filij Aaron, id est, minores sacerdotes, qui sacerdoti sacrificanti astabant, & ipse sacerdos offerens: quia populum nũc Missam audientem, & clerum eam officiantem, & presbyterum eam celebrantem ex præscripto ordine sanctæ matris Ecclesiæ, figuram attendentis procul dubio obumbrabant. Cæterùm quoniam sacerdotes ex debito officij ipsi consecrati sunt, & conuenientem ministerio vitam agere supponitur, per victimas & hostias populum sua vota offerentem, diuinus Spiritus intelligit, cuius ordinatam vitam deperit. Oblationibus autem, ad pietatem & gratæ vitæ institutionem, eum vocat, quia ad regnum sacerdotale, gentem sanctam, populum acquisitionis ipsum antea delegerat: & item quoniã Exod. 19. Ecclesiã suam delineabat, in qua omnes fideles Christi Iesu morti, per Baptismum sanctum sepultos, sacerdotes constituit. Quod tractans beatus Petrus ad memoratam sententiam alludens, dixit: Vos estis genus electum & regale sacerdotium. & rursus Iohannes, Christi beneficia commemorans, inquit: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis Apocal. 1. nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes. Omnes enim Christiani sacerdotes sunt, non ad sacra tractanda & conficienda, vt sibilo diaboli instigati hæretici Lutherani somniarunt, sed ad oblationem cordis per integram pœnitentiã faciendam. de qua dixit Propheta Regius: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. vt eo loco nos Psal. 50. latè deduximus. Atqui quoniam de his qui robustiores essent, magisq; laboris patientes, nomine boum superiori textu egisset, de imbecillioribus & simplicioribus ouium inertia significatis, iam differit. De quorum oblationibus eadem præscribit, quæ de superioribus: hoc addito, quòd ter renes repetit: & amplius caudam integram in oblationem postulat. & forsan primo loco renum meminit: solùm vt caudæ situm significaret, quæ coniũcta est spinæ dorsi, vt alia Versio habet; cui simul etiam renes sunt annexi. Vel si mysterium quæsieris, attende: peccati fomitem, qui his partibus maximè vrget, & eius causam, vti sui progenitoris, semper in nobis agere, ex naturæ cõditione; si eadem, gratia originalis iustitiæ præuenta, & composita in illo felicissimo innocẽtiæ statu non fuisset: & peccato prioris hominis, supra quod ex natura haberet, eundẽ fomitem sine modo auctum: & tandem ex consuetudine corpori indulgendi, tempore infantiæ & pueritiæ vsque ad rationis discretionem, omnino vegetatum: & quia cum hoc, continuè suum afflant, bellum gerere Dominus petit, ter renum mentionem fecit. Oblationi item, caudam superaddit: quod mysterio etiam non vacat. Cum enim totam caudã siue integram petit, lumbum procul dubio designat. Quapropter Versio 70. lumbum habet. Lumbus robur & fortitudinem dicit, quia vis ad labores in eo sita est: atque hinc pro maiestate & fortitudine aliquando in Scriptura accipitur. vt à Roboam, rationem, quòd augeret tributa, populo reddente, quando ait: Minimus digitus meus grossior est dorso aut lumbis patris mei. quasi diceret. Dignitas & maiestas 3. Reg. 12 mea, est multò amplior & excellentior maiestate & dignitate patris mei, & multò fortior; & minimum membrorum meorum grassius est lumbo patris mei. Et item pro humana ratione, vt quãdo eam ad zonam fidei iubet præcingere beatus Paulus, dicens: Ephes. 6. State succincti lũbos vestros in veritate: id est, in fidei confessione, & adimpletione, stationem vestram facite, & vestrum intellectum succingentes, strenuos vos viros exhibete. Et pro virium solutione, & inertia, etiam capitur: vnde promptitudinem & agilitatem aliquando requirens Dominus, lumbis præcinctis, comedere agnum paschalem Exod. 12. iubebat: vt promptos & agiles in obsequium fidei se præstarent, more eorum, qui iter non ignauiter agunt, qui se præcingere solent. Accipitur etiam pro luxu & libidine: vnde curam & diligentiam requirens Dominus, dixit: Sint lumbi vestri præcincti, & lu- Luc. 12. cernæ ardentes in manibus vestris, & similes hominibus exspectantibus dominũ suũ, quando reuertatur à nuptijs. Verùm quorsum ab imbecillioribus sic totos neruos extendere petit Dominus? est enim ouis imbelle & ignauum pecus, per quod simpliciores è plebe significantur. & ob hanc sanè rationem, fortitudinem, animosam fidem, curam & vigilantiam his commendat. Etenim etsi oues, imbelles & inertes vsque adeò sint, vt omninò à pastore pendeant in pascuis & potibus capiendis, in defensione propriæ salu-

priæ salutis, ne à feris deuorentur: nullum tamen animal adeò vtile & frugiferum suo domino reperitur. Quo fit, vt quantum industria & labore domini, ad illud ducandum indigeat, tantùm legitimè superq; reddit, vt ad suppetias ferendas eum obliget, sicque suam salutem tueatur. Perinde igitur huius generis homines vsque adeò vtiles Reipubl. Christianæ sunt, vt ossa & nerui ad eius sustentationem existant: quapropter fortitudine indigent, ad importuna onera sustentationis ferenda, quam ab ipsis hîc petit Dominus, ne lassi media via, animum despondeant; quia sic suæ Reipub. consultum iri statuit. Atque hac ratione suam rem agunt. nam ad iura defensionis, directionis, & doctrinæ fidei subministrationis, in animarum pabulum, sic maiores obligant. & recta gradientur & absque periculo, si ad fidei mensuram, quá sancta mater Ecclesia eos docet, rationem suam succinxerint: si hac duce, promptos & morigeros se præstiterint: si in Deo gratificando, totam suam vim & vigilantiam reposuerint. ob quæ caudam integram, siue lumbum in sacrificium ab his petit, vt qui sibi non valent, superiorum ductu, viuere debeant. Beatus verò Gregorius, faciliùs à quæstione se expedit: per sacrificium caudæ, perseuerantiam in opere virtutis post oblationem cordis per pœnitētiam & confessionem intelligens: & commodè satis ad mores componēdos, quos ille semper maximè curat. Cauda quippe, ait, finis est corporis: & ille bene immolat, qui sacrificium boni operis, vsque ad finem debitæ perducit actionis.

Gregorius super Euan gelia Homil. 13.

Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, ponet manum suam super caput eius, immolabitq; eam in introitu tabernaculi testimonij, & fundent filij Aaron sanguinem eius per circuitum altaris, tollentque ex ea in pastum ignis dominici adipem qui operit ventrem, & qui tegit vniuersa vitalia, duos renunculos cum reticulo quod est super eos iuxta ilia, & aruinam iecoris cum renunculis: adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis & suauissimi odoris. Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris. nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

TANDEM hoc loco, de immolationibus caprarum disponit Dominus: vbi ipso initio, id quæstione non vacat, quòd nō gratulatorium munus, aut pacificorum hostia hæc appellatur. Cuius sanè ratio est, quòd ob beneficia creationis, sustentationis & redemptionis, ex sua infinita misericordia in nos collata, solùm recognitionem, & gratitudinem requirit: malorum autem, quæ nos stupidi, & immemores tantæ bonitatis cōmisimus, solutionem. hæc enim, pro sua ineffabili misericordia solùm debita dignatus est appellare, nos orare docens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quapropter omnia munera, oblationes, & opera, quę ob impensa beneficia offeruntur, & fiunt, quòd in gratiarum actionem fiant, gratulatoria, & pacifica nuncupantur. Cui rei adeò se obnoxium cernens Propheta, dicebat: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem: id est, vt gratitudinis officium aliquod repēdam, ob tot accepta beneficia. Sacrificia verò debiti, id est, peccati solutiua, quoniam ad iustitiæ & iræ Domini placationem dirigebantur, inter gratulatoria aut pacifica non connumerabantur. Hic autem de oblationibus peccatorum disponitur, qui, de grege caprarum ob earum impudentiam detecta verenda portantium, & propter agilem promptitudinem, ad ventris ingluuiem, prætерea, quæ suprà enarrara sunt, iure optimo censentur. vnde & pacificorum nomen reticetur. Neque masculum, id est, hircum in oblationem admittit Dominus: quoniam, vt suprà dictum est, obstinatum hominem, & contemptorem diuitiarum Dei, vt qui in profundum malorum venerit, sæpe in Scriptura, vt hoc loco referr. Is enim etsi prætextu deuotionis simul cum alijs fidelibus viuat, & similia religionis opera conetur: quia nullo dolore peccatorum tangitur, sed lætatur in rebus pessimis, & exultat narrando & confitendo, quæ malè fecerit, meritò à sacrificio Domini excluditur.

Psal. 118.

Prou. 18.

Prou. 2.

Officio igitur fidelis offerentis peracto, & minorum sacerdotum, quantum ad fusionem sanguinis victimæ per circuitum altaris, eadem quæ superiùs, præparari ad oblationem sacerdoris iubet; paulò tamen distinctiùs, quòd quæ ad vitam debito officio, & Dei cultu transigendam, castigari, reprimi, & infrænari debeant, ab eisdem tanquam

quam ab errore viæ ad rectum iter & iustitiæ semitam, conuerti oportent. In primis ergo adipem operientem ventrem, & vitalia, & duos renes cum reticulo, siue adipe eos tegente, & iuxta ilia circunfuso, in pabulum ignis dominici petit: Adipem autem peccatum, dolum, & calliditatem, quibus generatur & producitur, hîc significare, explicuit sanctus propheta David, cùm ingenium impiorum producens, aliquando dixit: Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.

Psal. 16.

& iterum: Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.

Psal. 72.

Etenim adeps & pinguedo in animali redundat, & extra eius consistentiam posita est. imò & circumiacentes partes, quibus enutritur, operit: similiter peccatum & progenitores eius; negotiosa calliditas, & dolus, extra consistentiam integræ & rationalis vitæ vagantur, mentem contegunt, iudicium hebetant, atque rationi supersedent, cui obtemperare, & subijci debuissent: Quapropter signanter adipem qui operit ventrem, id est, partem superiorem eius, ventriculum, scilicet, quo & cibi appetuntur, & coctioni retinentur, petit: per quem Intelligentiam, voluntatem, & cor intelligit; nam his, tanquam in ventre cogitationes animæ, & desideria apprehenduntur, & retinentur: & eum item, qui vitalia, hoc est, omnia viscera, & interiora membra cum ipsis intestinis, quibus adiacent, Omnium horum enim, adeps redundans, vt naturales vires opprimit, & earum officia impedit, ita & peccata mentem, & intelligentiam deprimendo, offuscant, voluntatem inclinant, & ab actione legitima retrahunt. Petit etiam renes cum reticulo; quod est iuxta ilia. Etenim cùm per adipem ventris & vitalium, omnia superflua desideria peccati nutritiua exegisset, conuenienter renes eorum ministros, sacrificari postulat; & præcipuè vt concupiscentiæ carnis subseruiunt: ob quod reticulum eisdem insistens, & ad ilia copulatum, simul adiungit. Renes enim inter omnia viscera, maximè pinguescere, asserunt Physici, vt natura prouida lasciuam cupiditatem tenaciter & importunè futuram vexatricem insinuaret. Reticulum autem hoc loco pro adipe hæc membra contegente sumitur: est enim vox multiplex. Nam & pro prima siue summitate iecoris, & pro aruina, quæ quid durum & pingue significat, vt superiori textu, capitur: & etiam pro ventriculo, vt Aristoteles est auctor, sic inquiens: Gula enim incipiens ab ore deorsum tendit ad pulmonem, septumque transuersum:

Aristot. de hist. anim.

hinc se ad ventrem applicat maiorem, qui parte inferiori asper, interceptusque est, ac prope gulæ commissuram sinum sibi annexum habet, quem ex argumento reticulum vocant. Deinde aruinam, siue reticulum iecoris; vt habet alia Versio, ad sensum explicatum, cum renunculis item offerri iubet. Etenim vt renes; desiderijs vagis superfluæ vitæ subseruiunt, ita & eorum adeps & pinguedo, peccata quibus consumantur, ex sua redundantia notant, quæ, vt anima purgetur, omninò adoleri debent. Atque in pastum seu pabulum ignis dominici, inquit sacer textus: id est, ignis Deo consecrati ad eius oblationem absumendam; vt incensum fiat Domino. Cæterùm quam ob causam suppositionis ignis lignis constructis, vt impositam oblationem deuoret, vt suprà, mentionem facit? forsan, quòd ligna, hoc est, peccata sint, quæ hac oblatione incendantur, & vt prima gratia & remissio peccati ex liberali Domini manu sic miserentis, & lege statuentis fit, nullo merito nostro, tantam gratiam efflagitante: ita ignis oblationem absumens, qui eam obumbrat, non manibus hominum parabatur, sed è cælo missus peccati figuram deuorabat. Et diligenter aduerte, in omnibus his oblationibus populi vota per manus sacerdorum præparari, & maiori facienti oblationem præparata exhiberi. Quoniam Dominum Iesum Christum se æterno Patri in cruce offerentem hîc sacerdos figurabat. Cuius sacrosancta mors, ministerio sacerdotum per Sacramenta populo applicanda erat, & eorum cura & officio populus Deo in acceptum munus, & oblationem præparandus. Itaque oblationem factam in alimoniam ignis, suauissimi odoris Domini esse dicit; quia ea veluti cibo igni apposito, eius ira placabatur. Etenim cùm Deus noster ignis consumens sit,

Deut. 4.

vsque adeò igne charitatis oblectatur, vt quod eo absumptum fuerit, Deo gratum, & acceptum maneat: quod hoc loco pollicebatur. & rationem exhibet: quoniam adipis incensio est. Omnis enim adeps sacer erit Domino, ait, in cunctis generationibus & habitaculis vestris. Omne quidem peccatum & desiderium vagum igne pœnitentiæ absumendum est, & ita ipsi offerendum, vt peccata remittat, errata corrigat, im-

perfecta reformet, dirigat deuia, & fera castiget ac domet, quod est adipem semper Domino offerre. vnde esum adipis & sanguinis perpetuò homini inhibet. Cùm enim de purgatione peccatorum hîc disponeret, quæ contra Deum, & proximum, & semetipsum homo committit, postquam pharmacum Pœnitentiæ, quo expurgetur, quę per oblationem descriptam significabatur, indicauit: in futurum, qui sacramento Pœnitentiæ, oblationis Christi Iesu particeps factus fueris, cauere præcipit, comestionem adipis & sanguinis amplius prohibendo. Per esum adipis peccata carnalia, 1.Cor.6. quibus, teste Paulo, quisque in corpus suum peccat, primùm intelligendo, & deinde cætera, quæ similiter concupiscentia deriuantur: per esum verò sanguinis, à peccato in proximum suos deterrere cupiens, homicidium crudelitatis, maximum peccatum in exemplum produxit.

CAPVT QVARTVM.

LOquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel: Anima quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mādatis Domini quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit: si sacerdos qui vnctus est peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, ponetque manum super caput eius, & immolabit eum Domino: hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij. cumque intinxerit digitum in sanguinem, asperget eum septies coram Domino contra velum sanctuarij, ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonij: omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi, & adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quàm omnia quæ intrinsecus sunt: duos renunculos, & reticulum quod est supra eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis, sicut offertur de vitulo hostiæ pacificorum. & adolebit ea super altare holocausti. Pellem verò, & omnes carnes cum capite & pedibus, & intestinis, & fimo & reliquo corpore offeret extra castra in locum mundum, vbi cineres effundi solent, incendentque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.

OPTIMI legislatoris est, doctrina, tenebras è cordibus suorum excutiendo, virtutis lumina ostendere, leges condere, vt eiusdem sepes & vallos, quibus ab iniurijs insectantium hostium defendatur, ducemque suorum ad eam promouendam, & tota vita manibus tractādam se præbere. Verū est, remedia veluti medicinas quasdam & antidota pro his qui à prima virtutis nauigatione deficientes, in hostium & vitiorum voluptates delapsi fuerunt, adhibere; vt à morbis peccatorum curentur, ipsis applicitis, & in se rursus erecti iussis Dei & virtutis itineribus progrediantur. Prouidè igitur Dominus Deus omnipotens nostro modo stylum attemperans, post leges conditas superioribus libris, & virtutis officia, quibus Deo gratificari homines possint, in præcedentibus capitibus intimata; in præsenti antidota, quibus lapsi & infirmi suis morbis mederi possint, salutemque animæ recuperare, præscribit. Ea autem sunt sacrificia animalium, quæ in hoc capite designantur, modo & ordine præfixis. Principiò autem docet duo, quæ ad legitimam sacrificationem sunt præambula: vnum, quòd omnis peccati radix est ignorantia: alterum, quòd sacrificium vt Deo gratum & acceptum in proprij peccati remissionem, non vi extortum, sed spōnte & voluntate hilari offerri debet. Primùm significat cùm dicit: *Anima quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit.* nullum enim peccatum in voluntate admittitur, quod prius in intellectu & ratione per incogitantiam, imprudentiam, aut errorem, mole sensuum, atque affectuum furia, deliberationem integram perturbantium, progenitum non fit. Vox namque Hebræa, quam noster Interpres peccatum per ignorantiam vertit, eam emphasim

emphasim habet, vt delictum significet ex inopinatione, aut inscitia vel errore commissum. Vnde axioma positum ad Philosophiā transijt. quod tanquam radicem, & truncum, ex quo omnes peccati surculi pullulent, statuit; omnem prauum ignorantia teneri, asserendo. Cuius disputarionem latiùs Aristoteles prosequirur: quod non mediocre negorium theologis doctoribus in eius veritare discutienda facessit. Quamobrem, cùm ignorantia rationem obnubilet, mentis oculos densissimis tenebris offundendo, vt quò se vertat non videat, & labe vltrà peccati animam inficiat, tantamque stragem ab eo patiatur, vt miserè suis famulis seruiat (sunt quidem corporis affectus rationis ministri) si non videndi gratia (ad quod natura ipsa impellit, cùm omnes homines natura scientiam desiderare ab ipsis Philosophis didicerimus) saltem vt peccati violentiam, & tyrannidem fugeremus, cognitio recti, honestique consideratio, ob oculos semper versanda esset. Rem igitur iam aggrediendo dicit: *Si sacerdos qui vnctus est peccauerit* &c. Primùm morbis sacerdotum, qui religionis, & vitæ honestæ, duces & magistri esse debent, mederi curat, conueniensque exhibet recipe. Aduerte tamen hîc eos, qui textum Hebræum maximè insequuntur, tantùm summum sacerdotem intelligere, qui solus vnctione solenni vngebatur. Nam de consecratione summi sacerdotis legitur: & oleum vnctionis infundes super caput eius: quod facer hîc textus supponere videtur, cùm inquit: *qui vnctus est*. Verùm figuratè de omnibus sacerdotibus inferioribus Lex præsens loquitur, qui eiusdem familiæ censebantur. Sacerdoti igitur summo peccanti, vitulum Domino sacrificare iubet. hoc tamen ordine; quòd primùm ipse coram Domino ante ostium tabernaculi testimonij, vbi suam præsentiam per oracula restabatur, vitulum sistat, suoque dedicet cultui: deinde manum suam super caput iuuenci ponat, vt sponte, & non vi legis, aut exactoris, coactus, victimam sacrificare testetur. Manum enim ad aliquid admouere, spontaneæ actionis manifestum signum est: & ita manum capiti victimæ superponere, manum ad occisionem admouere, eamque ad Domini iram placandam in sacrificium offerre. Quoniam enim proprium peccatum luebat, proprio & non aliorum ministerio, hostiam parabat, sed per se cuncta efficiebat, quæ ab alijs solebant ministrari, ac si vnus è populo oblator esset. Deinde eidem, vt litatori, ordo sacrificij talis præscribitur. In primis, vt iugulato vitulo, & capite abscisso, vase ad id destinato sanguinem totum excipiat: deinde hauriens partem in tabernaculum testimonij inferat, eoque intincto digito, septies aram altaris incensi aspergat: quo peracto, cornua eiusdem altaris eodem sanguine linat. reliquum autem ad basim altaris exterioris tabernaculi fundat. Secundo loco omnem adipem & reticulum cum renunculis iubet in eodem altari holocausti incendere, sicque Deo offerre: & carnes tandem quæ restant, cum fimo & cauda, intestinis, & capite, extra castra deportari, vbi cineres reponebantur, quo loco totum animal comburi iubet. atque ita peractum erit sacrificium. Vitulus autem sic litatus, Christum passurum pro hominibus proculdubio significabat: sicut Samuel vncturus in regem Dauid, cum vitulo de armento ad sacrificandum Domino (Spiritus sancti obumbrans vnctionem, qua nos in Reges, & sacerdotes vncturus erat Christus) Bethlehem, vbi oriundus erat, commigrauit. & clariùs Dominus expressit in parabola filij prodigi, cui vitulum saginatum iussit occidi, Christum nempe: & stolam, id est, innocentiam Baptismi dedit, & annulū fidei in pignus spiritus. Christus equidem Iesus omnes labores mansuetissimè & patientissimè omni robore pro humana redemptione, perinde ac bos impositum iugum, animal laboris patientissimum, obedientissimè tulit: quapropter vnigenitum Dei Filium, qui nullum non laborem pro nobis sustinuit, aptissimè significauit. Totus autem vituli sanguis colligitur: quia in vsum salutarem Ecclesiæ omnis Christi sanguis seruandus erat, vt in Sacramentis, in salutem fidelium secundum Christi merita repositum videmus. ob quam rationem ad basim altaris holocausti, quod Ecclesiam & congregationem fidelium figurauit, fundebatur: vt nullus (dummodo sanæ mentis sit) eius expers maneat: sed medijs Sacramentis & bonis item operibus, omnes eo communicent.

Aristo. lib. 3. & 7. in Ethic.

Exod. 29.

Pars verò sanguinis, quæ ad altare rhymiamatis deferebatur, quòd integram animæ salurem per grariam Spiritus sancti consequeretur, qui sanguine & morte Christi fide vera operante, vteretur, significabat. atque hinc digito aspergebatur: qui Spiri-

tum sanctum, & Dei virtutem notat iuxta sententiam Domini: Si enim in digito Dei [Luc. 11.] eijcio dæmonia, profectò peruenit ad vos regnum Dei. & illud Magorum: Digi- [Exod. 8.] tus Dei est hic. Et septies item aspersio repetebatur, quòd numerus iste septenarius absolutionem, & rei integritatem sonat. Quod in Scriptura apertè significatur, quan- [4. Reg. 13.] do Eliseus Ioas Regi Israel dixit: Percute iaculo terram. qui cùm percussisset tribus vicibus & stetisset: iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem. Est item numerus hic annorum iubilei, ob quod remissionem peccatorum notat: quamuis qualitate & quantitate creuerint, vt signanter Dominus Christus Iesus roganti Petro, quoties dimitteret fratri, si vsque septies? respondit: Non dico tibi, vsque septies, sed vsque octuagies septies. Cornibus deinde altaris sanguinem manere, aut poni hîc dicitur: quia altare illud incensi, quod præsentiam Patris æterni exuperet, vnde & oracula suo populo dabat, Patrem æternum, præsentem sanguinem vnigeniti filij sui ad propitiandum hominibus semper habere, omni procul dubio significabat: imò ad [Genes. 4.] ipsum clamantem, secundum quod aliquando dixit: Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Altare enim corpus Christi est iuxta Paulum: Habemus altare de quo ede- [Hebr. 13.] re non habent potestatem, qui altari deseruiunt. quia sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo Christus Iesus verè & realiter continetur, edere non possunt qui legi subiecti sunt. Pro peccato verò offeruntur: quia peccata nostra humores vitæ animæ redundantes, & nostra omnia scelera significant; quæ plenissimè Christus in cruce oblatus adoleuit, & quantum ad sufficientiam absumpsit. Reliquum autem animalis extra castra absumebatur, in loco mundo iuxta cineres; quia Christus extra Hierusalem in loco mundo, quia innocentissimus, tamen iuxta cineres: quia vbi malefactores cruce tollebantur, qui probro & conculcationi omnium, perinde vt cineres inutiles, crucifixus fuit; & omnes tormentorum ignes sustinuit, quibus mortem obeundo combustus est. In tantum enim Golgotha locus mundus est, quòd totum mundum ipse mundauit. & item, locus cinerum aptissimè appellatus est. Quia in eo totius generis humani peccata sufficientissimè extincta sunt, quapropter & mundus locus appellatur, inquit Isichius. significabat item sacrificium hoc offerentis mortificationem per pœnitentiam: vt à fimo peccati liberatus, virtutem coleret, & Dei amicitiam nancisceretur. Primùm quidem sponte, & animo integro se Deo per amorem offerre debet: & vt vitulus occiditur, vitam desiderijs gentium actam, in meliorem commutando, seipsum vt ferum, & indomitum animal, occidere oportet: Christique sanguine, & morte innixum, veniam à Patre precibus assequi contendere. quod per altare testimonij sanguine aspersum, & cornibus litum indicabatur. his sanè peccatorum detestationem in morte animalis, & propter Deum, quem propitiatorum in sanguine Christi confidit, quem altare illud apertè referebat, vides, & propositum etiam cauendi in futurum. Nam & hoc ex candido corde & amore non ficto dilecti nascitur. At quando sacerdoti animal tradit occidendum, à quo omnem pinguedinem & renes extrahit, & igne absumit; quid aliud, quàm sacramentalem confessionem delineabat, in qua pœnitens vetus hominem integrum, colluuiem omnium peccatorum detegendo, occidendum tradit, & tanquam claues potestatis habenti se illi iudicio ferendo, quod protulerit, subditum constituit? qui pro officio, secundum clauem scientiæ, omnem pinguedinem & renunculos, id est, radices peccatorum extrahendo, sacramentaliter absoluendo, quantum ad culpam, comburit, & delet. Quem etiam extra castra mittit, & in loco cinerum reliquum comburit: quoniam pœnitentiam salutarem ad cauendum in futurum, & ad satisfaciendum pro pœnis, quæ in Purgatorio soluendæ restant, iniungit; vt sic abiens extra castra, hoc est, à templo Dei, &c. pedibus sacerdotis discedens, transiens in locum cinerum, id est, se cineri conferens, inde se inutilem & sterilem omnino agnoscendo, omni humilitate igne tribulationis, per ieiunia, disciplinas, eleemosynas, & quæuis alia pœnitentiæ opera, feritatem, atque immanitatem suorum affectuum domet, & pœnam temporalem, cui obnoxius remanserat, fatigationibus satisfaciendo, penitùs absumat. Verùm præterire non licet, quod inquit Dominus: *Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, peccare faciens populum.* Nam qui sacerdos peccans peccare faciet populum? Rupertus ad primum parentem Adam hoc refert, qui tanquam summus sa-

cerdos

cerdos in paradiso constitutus, sui officij, & præcepti Dei immemor, peccauit, atque per originalem traductionem, omnem suam posteritatem infecit: pro quo expiando Christi mors promissa fuit; & præsenti sacrificio, pollicitatio hæc iterum renouata. bene quidem: at tamen peccata sacerdotum, absque dubio hîc curanda ob oculos posuit: vt multitudinis, & principis, & cuiuslibet priuati è populo terræ, de quibus in toto capite differit, cessent. Atqui dicendo: *peccare faciens populū*. non aliud quàm naturam peccati cuiuscunque superioris, & potissimùm sacerdotis docere voluit. quæ huiusmodi est, vt plura peccata complicet, quæ suo malo exemplo in totum populum scandalosè proseminat, in quantum sacerdos peccans, vt magister religionis & virtutis, atque vt candelabrum, quod lumen doctrinæ cæteris impartiretur, à Domino constitutus est. Ob quod loquens Dominus de peccato sacerdotis, non addidit: & postea intellexerit peccatum suum: vt quando loquitur de peccatis aliorum: supponens nimirum, quòd sciens & prudens cōtra scientiam peccare delegit. Quamobrem per Prophetam conquestus Dominus, quòd tam effrenè peccata per totum populum grassarentur, causam in sacerdotes reijcit, inquiens: Sacerdos & Propheta Isai. 28 nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt Videntem, ignorauerunt iudicium. & alius Vates: Sacerdotes non dixerunt: Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me, &c. Ita Hiere. 2 enim natura comparatum est, vt populus suos custodes, maiores, & principes moribus, & vita sequatur, vt membra capiti iuxta eius exigentiam suis officijs famulari studeant. imò ad nutum capitis per secretas suas connexiones, quibus eidem annectuntur, mouentur: ita & populorum capita ipsos ad peccandum mouent, prouocant, & fermè (vt moraliter dicam) cogunt. quod & per totū Regum volumen testatur Dominus, cū peccata regū Israel, & populi declinantis à recto, in Ieroboam discessionis & improbitatis caput semper reijcit, dicendo: Fecit malum coram Domino, sequutusque est peccatum Ieroboam. Quapropter caueant oportet qui in potestatibus constituti sunt, ne aliena mala sua faciant, & alienis peccatis soluendis deficiant; cùm propriorum oneri nemo sit, qui non succumbat.

Quod si omnis turba filiorum Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque illum ad ostium tabernaculi: & ponent seniores populi manum super caput eius coram Domino: immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos qui vnctus est, de sanguine eius in tabernaculum testimonij, tincto digito aspergens septies contra velum. ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonij: reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonij. omnemque eius adipem tollet, & adolebit super altare, sic faciens & de hoc vitulo, quomodo fecit & prius. & rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum, quia est pro peccato multitudinis.

EANDEM hostiam immolare, atque eundem ordinem in eius sacrificatione seruari iubet, quem in expiatione peccati sacerdotis instituit. Sunt tamen duo hîc animaduertenda: principiò, quòd de peccato idololatriæ potissimùm, in quod labatur populus, loquitur, & consimiliter quando de peccato sacerdotis legem tulit. In hoc enim genus peccati populus ille maximè procliuis erat, quòd ritus Ægyptiorum & mores nūquam obliuisceretur, nec latitudinē vitæ in tanta corruptione è corde euulsisset. Quod ex vituli adoratione propter absentiā Moysis cōstat: & simul ex querelis, quib9 cū Domino, Num. 11 & ductore Moyse expostulabat, ꝙ ollas Ægypti relinquere coegisset, vt sic in deserto Exod. 16

 premeren-

premerentur, ac perirent. Atque ideò præceptum hoc de cauenda idololatria passim à Domino in Scriptura repetitum est: De cuius transgressione in primis hoc loco, & superiori Dominus meminit, medelam infectis adhibendo. Ad quod sentiendum inducor, quòd peccatum hoc, sicut & hæreseos, quod tempore Euangelij futurum significabat, nunquam nisi sacerdotis auctoritate interueniente, aut inducente; quem-[Exod. 32.] admodum nec hæresis crimen perpetratum fuit. Ita quidem interposita Aaronis sententia, populum vitulum conflatilem fabricasse, & honores diuinos eidem impendis-[Iudic. 17.] se legimus: & tribum etiam Dan, Michæ sacerdotis suasu idololatrasse: atque renascente Ecclesia tempore Euangelij omnes hæreses non nisi sacerdote aliquo ductore pullulasse videmus, quem populus deinde solutioris vitæ cupidus, voluptatibus inescatus, sequutus est. Vnde & hoc loco peccato sacerdotis, populi & cœtus peccatum coniungitur, tanquam illius appendix & surculus. Deinde quòd peccatum communitatis, aut cœtus alicuius non nisi violatæ religionis esse solet, spretis antiquis & paternis legibus, quas Dominus tulerat. tertiò, quòd vitulus hic pro peccato populi, & sacerdotis ad vtriusque expiationem, eadem forma, ritu, & vno tractu sacrificari iubetur. Qui Christum immolandum in cruce apertè significauit, pro redimendis hominibus, & lege Euangelij fundanda & stabilienda, omnes labores mansuetissimè vsque ad mortem crucis subeuntem, quæ in boue & vitulo maximè attenduntur. Atque ita pro tota hominum communitate & religione vera seruanda, & stabilienda, in ara crucis immolatus fuit Dominus, vt corpus vmbræ omnino responderet. Et tandem accedit, quòd de alijs peccatis, quæ transgressiones mandatorum sunt, statim sermonem infert: siue priuatus è populo, siue princeps superior, & magistratus, cuiuscuis potestatis sit, auctor extiterit. cui sententiæ maximè fauet nostra editio, quæ de vniuersalis præcepti violatione videtur statuere. sic enim habet: *Et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est*, &c. mandatum autem, per antonomasiam, inter omnia præcepta negatiua, mandatum de non violanda religione, & cauenda omnino idololatria intelligi manifestissimum est, vt primum & potissimum sub hac forma positum: *Non adorabis deos alienos*. Quæ, meo iudicio, apertissimè sententiam positam veram esse affirmant. Quam denique non minùs lucidam reddit phrasis illa, qua dixit: peccare faciens populum. quæ de peccato scandali ex deprauata vita minime aptè intelligetur. Sunt tamen hîc aliqua consideranda: primùm quòd populo peccanti, antequam ordinem sacrificij præscribat, inquit: *& postea intellexerit peccatum suum*, quod de peccato sacerdotis loquendo non addidit. Cuius ratio est, quòd cùm [Malach. 2.] scientiam legis & religionis sacerdos habeat (nam labia sacerdotis custodiunt scientiam, inquit Dominus) nullo pacto in peccato legis à malitia eximi potest, siquidem sciens & prudens obedientiam Ecclesiæ sanctæ denegat. quod grauissimum peccatum est, & omni malitia & prauitate inuolutum. Quapropter optimè Origenes hæreticum hominem definiuit: qui Christo se credere profitetur, & aliud de veritate Christianæ fidei credit, quàm habet definitio ecclesiasticæ traditionis. Et Ter-[Tertul. lib. de hæres.] tullianus: Vbi veritas disciplinæ, & Christianæ fidei apparuerit, ibi & veritas Scripturarum, & expositionum, & traditionum Christianorum erit. Vides obedientia oues Christi in Ecclesiæ ouili contineri, & inobedientia separari, quæ absque malitia esse non potest. Atque hinc cùm nulla ignorantia sic sacerdos peccans, laborauerit, non adiecit: *& postea intellexerit peccatum*. bene autem de populi peccato differens, quia errore induci potest. Vnde Dominus à sacerdote hæretico sic discedente, solùm obedientiam petit, eum sui peccati dolore & animi conuersione, vt fidem, quam amiserat, recuperet. Quod hoc loco significatur per immolationem vituli, eo modo, quo præcipitur. Deinde considerandum est id quod dicit Dominus: Seniores debere manus imponere super vitulum in ostio tabernaculi testimonij, antequam sacerdoti litaturo tradatur. In quo non aliud recluditur mysterium, quàm quòd nomine totius populi sacerdotes qui eius gubernacula tenent, legitimâ sui diuini officij administratione, & integræ vitæ absolutione, spontaneam oblationem Deo offerat. Tertio loco aduertendum est id quod sequitur: Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. Quo apertum discrimen innuitur inter circumcisionis Sacramentum, & cætera legis sacrificia. Nam in illa absque oratione aliqua ex ipsa institutione per fidem protestatam conferebatur gratia: in sacrificijs autem minimè, nisi

nisi oratione sacrificium comitante. Ex quo planè colligitur, non esse Sacramenta. Vnde beatus Paulus, Sacrificia hircorum, taurorum, & cineris vitulæ aspersæ, solùm ad emundationem carnis valere dixit. Verùm manet hîc dubium, quî circumcisio ex institutione Dei conferebat gratiam, & solùm ratione fidei protestatæ, hæc autem sacrificia non, sed tantùm per orationem? & quâ ratione illa est instituta Sacramentum à Deo; hæc autem sacrificia ex institutione Dei Sacramenta non sunt? Cui disputationi non datur hîc locus. Sed forsan aptè dices: illam contra originale peccatum in populi coadunationem, institutam esse: hæc autem, non nisi in gratiarum actionem, & figuram futurorum, vt temporibus Noe, & Abrahæ: post verò captiuitatem Ægypti, suggestione hominum, in malum extorta fuisse; sed Deum in sui cultum reordinasse, quæ aliàs mortifera essent, nisi in legitimam occupationem, ad cauenda peccata, ad fidem Christi venturi profitendam, & acceptorum beneficiorum recognitionem, præscripta fuissent. Cæterùm attendat hoc loco sacerdos oportet: quòd multitudo si peccauerit, & princeps etiam, vt quilibet priuatus è plebe, sacerdotem habet, qui oret pro eo, & propitiabitur ei Dominus: Attamen, si sacerdos peccauerit, non dicit textus: sacerdos orabit pro eo. vt vel hinc sacerdotes à peccato abhorreant, quia ipsemet suum sacrificium offerre debet, & ex officio orare sibi incumbit. atque tunc vrgentiùs propria instimulante conscientia, quia in ratione ordinis superiorem non habet, qui pro ipso oret. vnde alibi dicitur: Si sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?

Hebr. 9.

Reg. 1.

Si peccauerit princeps, & fecerit vnum è plurimis per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam coram Domino, hircum de capris immaculatum, ponetque manum suam super caput eius. cumque immolauerit eum in loco, vbi solet mactari holocaustum coram Domino; quia pro peccato est; tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius. Adipem verò adolebit suprà, sicut in victimis pacificorum fieri solet. rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

QVIA de peccato idololatriæ hactenus præceperat Dominus, de singulis transgressionibus contra Dei mandata iam disserit. Quod apertè insinuat principis peccatum memorando, cuius nomine tam sacerdos, quàm princeps sæcularis intelligitur. & rursus cùm dicit: peccatum cui mederi disponit, vnum è pluribus esse, quæ contra Dei præcepta perpetrari solent. secundum quam rationem dixit beatus Iacobus, Qui offenderit in vno, factus est omnium reus: quantum, scilicet, ad amissionem gratiæ & amicitiæ diuinæ; secus, quantum ad grauitatem, & punitionis multiplicitatem. Vbi absque dubio, pœnitentia commissorum post Baptismum, significatur, cùm hircus, qui peccatorem designat, immolari iubeatur. Atqui quoniam efficaciam in fidelibus habeat, eisdem applicare, & coniungi debet, ministerio sacerdotum Sacramenta ministrantium. hinc cornua altaris sanguine tingere iubetur. Altare enim hoc loco, castra Ecclesiæ mihi rectiùs significasse videtur. Quæ cùm vsque ad finem sæculi, contra omnes aduersantium impetus præualitura sit, in quadro disposita est, quod perfectionem designat, & angulis vti cornibus præmunita describitur, quibus robur eius inexpugnabile significatur. Hircus, qui immolabatur, Christum Redemptorem nostrum præmonstrauit, qui omnium hominum peccatis onustus, in cruce immolatus fuit: immaculatus tamen: quia nulla peccata propria habuit, nec habere potuit. Antea verò per vitulum fuit significatus, ob patientiam laborum, quos cum incredibili sua mansuetudine, & inexpugnabili robore sustinuit. Tingitur deinde officio sacerdotis sic Ecclesia, quia ministerio sacerdotum per Sacramenta Christi passio populo Christiano applicatur. Reliquum autem sanguinem fundit ad basim; quoniam ad abluendas omnes gentes, per basim, quæ altare circumstat, significatas, sufficientissimum pretium sanguinis Christi præfigurauit. Hinc enim ad basim eius funditur, vt Ec-

Iacobi 2.

cleſiam Catholicam, pleniſſimè Chriſti ſanguinem coutinere ſignificaret, ad mille mundos redimendos, qui, vt eius participes fiant, efficaciterque ipſis proſit, ad eius obedientiam confluxerint. Etenim extra Eccleſiam Catholicam nulla contingit ſalus: neque paſſio Chriſti cuiquam prodeſſe poteſt. Vnde per altare holocauſti congrua ratione ſignificatur: quoniam vt eo animalia oblata omninò abſumebantur, ita in Eccleſia, ignibus pœnitentiæ, tribulationum, & charitatis flammis integrè accendi debeant, vt remiſſionem peccatorum aſſequantur, & dignè in conſpectu Domini ambulent.

In illo autem, quod Dominus aſſerit: *& poſtea intellexerit*, &c. vnum edocemur: peccata ex ignorantia & inſcitia quotidie committi, & tamdiu neminem illorum pœnitere, quamdiu ignoratione teneatur. Prius horum apertè indicauit Regius vates Dauid, quando peccatum ſuum flens dixit: (Pſal. 37.) Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Et rurſus quando remiſſionem ſuorum peccatorum petebat, dicens: (Pſal. 18.) Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Vbi veniam ſuorum peccatorum planè à Deo precatur: & vt in futurum ea caueat, opitulationem, liberando eum ab alienis, id eſt, ab inſectatoribus, & peccatoribus more gentium viuentibus, atque à dæmonibus ſcelerum inſtigatoribus, qui ſuperbia agunt. Cui ſi non dominentur integrè, & à peccato grandiori liberum futurum, eius gratia pollicetur. Nam à minimis quis abſtinere poterit? Superbia enim antiqui ſerpentis, & non hominis proprietas eſt. Verùm cùm eius deceptorio ſibilo ipſi fuerit mutuata, quæ ex ipſa egrediuntur flagitia, aliena Interpres voluit appellare, quaſi aliàs hominem non infectura. Idem etiam docuit, quando peccata cuncta occulta cenſuit, dicendo: (Pſal. 50.) Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Cæterùm aduerte, quòd hæc occultatio & peccati ignoratio rationem criminis non tollit, nec ſceleris patratorem excuſat. Nam tantum abeſt, vt inuitum reddat, quòd ea præcedente, plures ex malitia peccant. Ad quod diligenter aduerte: ſcientiam & prudentiam mali moris, & habitus viuendi, & ſcelerum etiam cognitionem, cum ignoratione & errore ſpeciali, quolibet præeunte peccato, bene ſe compati; vt in incontinentibus, & flagitioſis hominibus ex malitia peccantibus, planè perſpicitur. Imò hæc ſcientia malitiam auget, quam ignorantia illa factum præcurrens non minuit nec attenuat: vt nec ebrietas facinora excuſat, in eo qui talia facinora ex ebrietate incurrere manifeſtè nouit. Verùm vrgebis adhuc: nam dicit textus; tunc victimam peccatorem debere offerre, cùm intellexerit; non ergo anteà, cùm non cognouerat, nec intellexerat. Non bene colligis, deceptus verbi, intelligere, ambitu: nam in hoc loco non capitur pro cognoſcere, vt idem ſit quod ſcire aliquid: ſed vt dicit conſiderationem ſtragis, quam in animam intulit, acerbitatem ſuppliciorum quæ incurrit, grauitatem offenſæ, & iniuriæ, quam Deo irrogauit, & vt corde & affectu pondus peccati, cui deturbatus ſuccumbit, intimè perpendit. ſic autem intelligere abſque ſpeciali Dei motione & peculiari auxilio, quod pro ſua largitate donat, & ſe diſponentibus, atque ad ipſum confugientibus offerre ſtatuit, nunquam contingit. Quod ſanè textus ſacer indicat, cùm dicit: *& poſtea intellexerit.* cõſideratio enim malefacti, quæ longa meditatione & tempore fit, ſic ad cor reuertere facit. Sed & clariùs Dauid hoc affirmat, quãdo dicit. (Pſal. 50.) Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Etenim manifeſtare Dominum peccatũ non eſt aliud, quã prædictis rationibus, & ſuis omnibus deformitatibus ante oculos auctoris ipſum ſtatuere. Neq; ſic intelligere ſufficit ad peccati remiſſionẽ, vt hæretici Lutheri ſequaces ſomniarunt: Vlterius enim ad pœnitentiã progredi oportet, ſine qua non deletur, ſed tanquã primũ gradũ dicto modo peccatũ intelligere præſupponit. ſcindebat põtifex veſtimẽta ſua, & ſcindebant omnes primores tempore Legis, cùm audiebant blaſphemiam aliquam contra Deum, in ſignum doloris; & peccator non debet dolere ob peccatum commiſſum? inſaniſtis certè. Quare falsò ex hoc loco cognoſcere ſe peccaſſe, atq; Deum offendiſſe, & in futurum velle cauere, colligunt peccata deleri. Eſt ſiquidem neceſſarius dolor de commiſſis propter Deum offenſum, cum propoſito cauendi in futurum, cum integra cõfeſſione coram ſacerdote idoneo, cuius miniſterio particeps fiat paſſionis Chriſti per Sacramentum. Cui item reliqua eſt vera ſatisfactio, vt Purgatorij pœnas effugiat. Quamobrèm pœnitentia ad deletionem peccati tota Scriptura ſcatet,

ra ſcatet,

ra ſcatet, & Spiritus ſanctus per traditiones Eccleſias continuè docuit. Sed de his ſatis; quia noſtrum inſtitutum, longiorem diſputationem non permittit. Vnum autem hæreticis non parcam: ſic videlicet dogmatizando, oculos ſuos legi naturę clauſiſſe, quæ ſtrictè præcipit de malè commiſſis dolere, quia dignitas rationis ipſis deturbata eſt, legis & eiuſdem conditoris auctoritas læſa. & quoniam iuſtitia etiam exigit, vt malefactis deordinata voluntas, pœnam ſubeundo, reordinetur, & iuxta eiuſdem legis præſcripta, indefectibiliter obſeruamus, offenſa homines & iniuria laceſſitos, non prius placari, & noxam condonare, quàm reum & infeſtantem hominem ob iniuriam illatam dolere verè ſentiant. imò & propriam culpam in eius teſtimonium publicè confiteri. Vnde ergo hoc Dominus non requiret nec exiget, cùm & ad pacationem & compoſitionem animæ ipſius delinquentis, requiratur? Certè temerè & blaſphemo ore aſſeritur, quandoquidem gratia non deſtruit, ſed perficit naturam. Illud autem quod textus noſter dicit: *Quia pro peccato eſt*; Hebræi vertunt: Peccatum enim eſt. quod exponunt: id eſt, hoſtia pro peccato. Vbi peccatum pro hoſtia & oblatione & ſacrificio ſumitur. Quod etiam interpretatus eſt diuus Paulus, cùm inquit: Eum qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. (2. Cor. 5.) Equidem, vt qui optimè phraſim Hebræam nouerat, in qua natus & enutritus fuerat, Hebraiſmo vſus fuit, vt peccatum pro oblatione & ſacrificio, quod ad eius deletionem inſtitutum eſt, capiatur.

Quòd ſi peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, vt faciat quicquam de ijs quæ Domini Lege prohibentur, atq; delinquat, & cognouerit peccatum ſuum, offeret capram immaculatam, ponetque manus ſupra caput hoſtiæ, quæ pro peccato eſt; & immolabit eam in loco holocauſti. Tolletque ſacerdos de ſanguine in digito ſuo, & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. Omnem autem adipem auferens, ſicut auferri ſolet de victimis pacificorum, adolebit ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino. rogabitque pro eo, & dimittetur ei. ſin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ouem ſcilicet immaculatam; ponet manum ſuper caput eius, & immolabit eam in loco, in quo ſolent cædi holocauſtorum hoſtiæ. ſumetque ſacerdos de ſanguine eius, digito ſuo: & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. omnemq; adipem auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis, cremabit ſuper altare incenſum Domini, rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

CAPRA ſexu & imbecillitate hircum ſequitur, à quo conceptus hædorum ſuſcipit, & in paſcuis, & itineribus ductorem, & ab infeſtantibus defenſorem, roboris ſui ratione habet. Quibus rationibus aptè Dominus hominem priuatum, cùm delicto ſuccubuerit, capram in holocauſtum offerre iubet. In eo enim quòd capram in ſacrificio petit Dominus, pœnitentiam exigit, quam hoc animalis genus referre ſuprà expoſuimus. Verùm quoniam peccatum populus, exemplo maiorum, & Rempublicam gerentium, vt in plurimum admittit, vt hirci conſuetudine capra vterũ gerit: & in via virtutis & doctrinæ pabulo cuſtodes Eccleſiæ ſequi debet, & eorum induſtria ab inſectantibus hæreticis limpidas Eccleſiæ aquas deturbantibus defendi: hinc ab homine priuato & vno è populo capræ oblationem, & non tam rigidam & aſperam pœnitentiam, ſicut à principe qui grauius peccat, Dominus efflagitat. Et proptereà quia qui in poteſtate cõſtitutus eſt, ſcientia ſublimiori ſupponitur, grauiùs peccat, & maiori indiget pœnitentia, quàm popularis & ignorans: maris, & non fœminæ ſacrificium iniungitur, vt cenſet Iſychius. *Sin autem de pecoribus obtulerit victimam, &c.* Rupertus hîc, conſilium eſſe vult ouis oblationem, poſt ſacrificationem capręę, quæ pręcepta eſt. Verùm conditionaliter potius videtur loqui Dominus, ſi textus acutiùs attendatur, & ouem ſub diſiunctione in victimam exigere, quæ ob manſuetudinem, imbecillitatem, ſimplicitatem, angorem & balatus, cùm ſola ab alijs errat, non minùs appoſitè pœnitentiam ſignificat: nam ſimilibus doloribus & ſin-

gultibus homo per pœnitentiam torqueri debet, cùm per peccatum ab integritate vitæ, quam Ecclesia catholica docet, & populus Christianus ab ea instructus, errauerit. Et cum consimili etiam simplicitate, mansuetudine, & cum cognitione propriæ imbecillitatis, ad perstandum in officio, ex suis viribus absque Dei auxilio, in ipsum per amorem se conuertere debet, vt plangenda iterû non committat, vt inquit beatus Ambrosius. aut si non placet, dic cum Isychio, tertium genus hominum peccantium notare, simpliciores scilicet inter populares, à quibus minorem pœnitentiam adhuc exigit, ouem in sacrificium designando.

Ambro. de pœnitentia.

Colligis Christiane lector planè hinc sacerdotis officium, quibus absoluatur: tribus nempe, oratione pro populo, sacrificij oblatione, & auditione confessionum, secundum claues, quas habet, scientiæ & potestatis. Primum docetur, cùm inquit: Et orabit pro eo sacerdos, & propitius erit ei. est enim mediator inter Deum & populum. Vnde ea cura & sollicitudine, ad orationem accedere debet, quam conciliatoris officium inter Deum iratum & hominem ipsum continuè iniurijs irritantem, exigit. Et oculis iam perpende: quo animo, quanto affectu ad amicitias componendas accederes, inter regem & priuatum hominem, ex quorum discordia magna Reipubl. strages, honoris & rei familiaris iactura sequeretur. vt quàm anxiè, honore Dei, flagitijs hominum, continuè periclitante, precibus eius immensam bonitatem pulsare debeas, vt homini ignoscat, & ad eius gratiam & amicitiam conuertat: vt intercessoris munere sic debitè fungaris. Sacratissimû iam Christi Iesu, & pretiosissimum eius sanguinē in sacrificio Missæ offerre, ex officio sacerdoti incumbit: vt videat quàtum rebus fluxis huius vitæ, mentem & animum semper aggrauantibus, emori oporteat, & tam sancto Sacramento iustum ministerium sollicite semper exhibere conetur. debet sanè non solùm à sæculi curis (vt sanctissimè per Ecclesiam constitutum est) verùm & à quouis negotio abstinere, quod inanibus cogitationibus, à cura legitima sui officij distrahere aut impedire possit. Hoc autem munus per oblationem animalium, sacrificium Christi obumbrantium, hic apertè significatur. Per manus enim sacerdotis offerri solum, & sacrificari, ab ipsomet Domino, incruentè institutum est; cùm sacrificio illo cruento & inenarrabili de proximo, æterno Patri se offerre pararet: et sic efficaciter tanti pretij abundantia nobis applicaretur, & suæ sanctissimæ mortis memoriam, ad vitæ institutionem, fidelium mentibus infigeret. Tertiò à sacris confessionibus, populo adfuturum planè etiam figuratur dum tanta diligentia intima animalium præcordia & viscera ipsa extrahere, & adolere, sacerdotibus præcipitur. omnem etenim pinguedinem, & animalium interiora, quid aliud quàm peccata in corde habitantia, redundâtes vitę affectus, & appetitiones significat? quæ omnia sacerdos per clauem scientiæ extrahere debet, & eam recognoscēdo pœnitens, omnia abstrusa sui cordis propalare, vt eidem per salubria consilia, in futurum medeatur, & pœnitentiam pro pœnis in Purgatorio soluendis vt hic satis faciat, & à veteri vita caro arceatur, iniungat. Recognoscere enim peccati reum, hanc potestatis clauem in sacerdote oportet, vt integrè suos dolores & peccatorum plagas, ipsi manifestet: & sacerdote interrogante, & pœnitente quæ recolit proferente, & se accusante, integer morbus detegatur: atque ita vsus clauis potestatis accedit, quo per sacramentalem absolutionem à morbis animæ pœnitentis curatur, gratiæque diuinæ restituitur.

Luc. 22.

CAPVT QVINTVM.

SI peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisq́; fuerit, quòd aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.

GENERA peccatorum, quæ occasione fratrum inordinatè ambulantium quis potest incurrere, in hoc capite recensentur. Primò ergo loco notantur homines, quos nulla aut leuis honoris Dei vindicandi cura tangit. Hi autem sunt, qui cùm nomen Domini blasphemari, aut temere effutiri vident, nec ipsi corripiunt, nec Ecclesiæ ministro cui ex officio iniurias Dei publicas propulsare conuenit, manifestant, quos suam iniquitatem portaturos dicit Dominus. quoniam proculdubio à

Domino punientur, vel in bonis fortunæ, vel in bonis corporis, vel in læsione proprij nominis & famæ: & si huiusmodi punitiones, in alias causas reijciant homines, quoniam vt hæc peccata negligunt, vel ratò curant, ita & similes punitiones ipsos latent, nec aduertunt ob huiusmodi peccata infligi. Quod de communione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Sacramento altaris differens beatus Paulus, indignam accessionem causam esse dicit: quòd mortui sint multi & graues etiam infirmitates sustineant multi. Nec enim communiter aduertunt homines, vt cum maxima cura & sollicitudine candidioris conscientiæ ad tantum Sacramentum semper accedere curent. 1.Cor.11.

Anima quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum à bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immūditiæ suæ, rea est & deliquit. & si tetigerit quicquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem qua polluí solet, oblitaque cognouerit postea, subiacebit delicto.

SECVNDO loco eos tangit, qui ex conuictu, consuetudine & familiari conuersatione eorum, qui peccatis vitam transigunt, eisdem ipsi inficiuntur. Cùm enim similibus peccatis attracti consentiunt, immundum aliquid tangere dicuntur. Cogitationes enim prauas, blasphemias, furta, homicidia & adulteria, hunc locum explicans, immunda appellauit Dominus. Atqui, quoniam qui sensibus indulgendo peccant, reptilibus comparantur, quòd vel digito è terra non se attollant: cadauer reptilis aut morticinij tangere dicuntur; qui hac ratione inficiuntur. Ad quod Dominus alludens, à consortio vel minimo flagitiosi patris adolescentem cohibuit, dicendo: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Deinde quia homines malitia peccantes, & fastu vitæ & superbiæ ambitu, peccata sua defendentes, peccare docent, eorum consuetudinem sequentes, tangere per se mortuum dicuntur: nam sibi mortem proprijs manibus consciscunt, qui scientes, vitæ fastum & peccata omnia absq; fastidio admittunt. Atque eos tandem, occisum à bestia tangere notat, qui hæreticorum conuentibus & conuictu gaudent. sunt etenim huiusmodi omnino vitandi, iuxta doctrinam Apostoli. Hæretici enim præcipua membra Antichristi & diaboli sunt. qui nomine bestiæ censentur in Scriptura, vt passim apud beatum Ioannem in sua Apocalypsi. Quòd autem immunditiam hominum prauorum per enumerata genera cadauerum notauerit, exponendo subdit: *Etsi tetigerit quicquam de immunditia hominis, &c.* Quæ tribus modis positis potissimùm contingere potest. Vbi manifestè omnes occasiones peccandi fugiendas, & rescindendas esse iubet Dominus. Quod si non fecerint, cùm resciuerint, deliquisse, & peccati reos esse, declarat. Matth.15. Matth.8. Ad Tit.3.

Anima quæ iurauerit & protulerit labijs suis, vt vel malè quid faceret, vel bene, & non fecerit, & id ipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato.

HIC iam tertio loco eos notat, qui ab his, cum quibus communiter viuunt, prouocati, se aliquid facturos iuramento firmant: quos grauiter peccare dicit, non præstando iuramento pollicita, quando licita sunt, & in ipsa promissione iuramento roborata: & quando de turpi aut de re inhonesta fit: nam sic iurantem, cùm resciuerit, pœnitentiam agere præcipit. Vbi animaduerte, quòd quandiu homo non animaduertit pondus & grauitatem peccati, quod commiserit, nec quomodo animam dæmonibus præstituerit, & seruam corporis fecerit, & quam tandem per peccatum iniuriam Deo & sibi damnum intulerit, quia inter se & Deum, id tanquam murum opposuerit: semper in obliuione peccati esse dicitur. Non quòd excusetur, sed quòd dissimulet, & parui faciat commissum, vt qui facilè, & statim quod voluerit, gratiam pro illo impetrare in manu habeat. Quod docens ait: *Si oblita fuerit, & postea intellexerit.* Etenim donec homo intellexerit peccatum, vt dictum est, pœnitentiam non curat. Quia etsi naturali iure homo scientiam habeat peccati, amore tamen libidinum actus, eam obtenebrauit, & velut stupidus redditur. Atque inde Dominus purgatiuam potionem adhibet: *Cùm homo intellexerit peccatum suum.* Verùm rogabis

& iure,

& iure, quam ob causam peccantibus duobus oppositis generibus pœnitentiam Dominus non adiunxit; bene autem his, qui hoc tertio genere delinquunt? Hac sanè ratione, quòd non ita grauitet illi, atque isti, peccent. Nam illi consentiunt tantùm exteriùs, hi verò & consentiunt corde, & foris per opus se peccatum prodit. Quod facilè colligitur ex modo enuntiandi enarrata facinora. Nam dicit Dominus: Vidit aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. & infrà: *Si tetigerit.* Vides quomodo nullibi dicit opus patrasse. Item, quando de tertio peccati genere præscribit, apertè de peccato opere externo consummato differit. Nam inquit: *Anima qua iurauerit, & protulerit labijs suis, &c.* Hoc enim, quod ait: *Et protulerit labijs suis, &c.* Accedit tandem, quòd hinc Iudæi, suo sensu collegerunt, peccata cordis, quæ foras in opus non prodeunt, non esse peccata, nec à Domino prohibita, quia illis, vt in hoc loco, pœnitentiam non admouit. Quos correxit Christus redemptor noster cùm dixit: Audistis, quia dictum est antiquis, Non adulterabis, &c. Ego autem dico vobis, qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.

Matth. 5.

Et offerat de gregibus agnam siue capram; orabitque pro ea sacerdos, & pro peccatis eius: sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, alterum in holocaustum: dabitque eos sacedoti: qui primùm offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pinnulas, ita vt collo adhæreat, & non penitus abrumpatur: & asperget de sanguine eius parietem altaris. Quicquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius, quia pro peccato est: alterum verò in holocaustum adolebit, vt fieri solet. rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Quòd si non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem Ephi decimam. non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est: tradetq; eam sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens cremabit super altare in monumentum eius qui obtulerit, rogans pro illo & expians: reliquam verò partem ipse habebit in munere.

VT tres sunt ordines hominum, qui delinquere possunt, diuites, pauperes & inopes, ita pro ratione singulorum, tria genera oblationum instituit: pro diuitibus agnam siue capram, pro pauperibus duos turtures aut duos pullos columbarum, & pro inopibus tandem partem similæ Ephi decimam. In sacrificio agnæ aut capræ nihil occurrit notandum, præter ea quæ suprà animaduersa sunt. In oblatione verò turturum, & pullorum columbæ duo destrictè præcipiuntur: vnum, post ea, quæ superiùs dicta sunt, quòd caput turturis cùm occiditur à sacerdote, versus ceruicem, aut pinnulas retorqueatur, ita vt collo semper inhæreat, ne omninò plaga ab eo separetur. Hoc autem apertè significat, cùm qui ad pœnitentiam adsurgit, caput peccati, hoc est, id quod sua vita præcipuum est, vbi vitium & peccatum sustentatur, & occasio illa, ex qua, tanquam ex radice, peccatum pullulat, amputetur. Non ita tamen quòd abijciat, & à se ablegèt, vt peccati nunquam meminerit (Inquit enim Scriptura: De propitiatu peccatorũ noli esse sine metu) sed quòd humeris id imponat, & pro eo pœnas, labores, tribulationes, & quoduis genus iniuriæ & ignominiæ, quod quæuis creatura possit irrogare, paratus sit ferre. Pondus etenim & grauitatem peccati continuè memoria voluere conuenit, & mente recogitare: Nam ob hanc rationem è collo caput semper pendere, & eidem annexum esse, vt non penitus abscindatur, præcipit. Quod sanè Christus redemptor noster explicasse visus est, quando oculum, qui scandalo nobis fuerit, eruere præcipit. Præterea cùm caput pro mente in Scriptura sæpe accipiatur, vt eo loco: Tu contribulasti capita draconum in aquis: id est, mentem dæmonum contriuisti; remissionem peccati sancto Sacramento Baptismi præbente, caput ad pinnulas torqueri erit; & deinceps mentem in dominio corporis tota vita continere, eoque tanquam seruo & iumento non ignauiter vti.

Ecclef. 5.
Matth. 5.
Psal. 73.

uiter vti. Alterum, quod adnotare oportet, id est, quod alterum turturum adolere; alterum verò in holocaustum offerre iubet: proculdubio docens; pœnitentis dolores, gemitus, & singultus veniam peccati impetraturos, præcedere oportere: deinde igne amoris Dei peccatis offensi, accensos esse conuenire. Illud quidem turtur aut columbus, qui adoletur, significat: istud verò iste qui in holocaustum totus absumitur, & omninò incensus Deo offertur. In altari enim nostri cordis debent ligna, hoc est peccata superponi cum dolore & gemitu: deinde igne charitatis & amoris Dei ea accendere, & vt penitus eo ardeant, pro hoc igne continuè Dominum precibus pulsare. Pretio quippe pœnitentiæ, veniam peccati addicere instituit Dominus, quæ tunc iusti & debiti valoris apud Dominum existit, quando tribulationibus probata, igne charitatis cuditur. Nam, si qui venditant, priùs nummum quo paciscantur examinant, inquit Tertullianus; ne scalptus, neue rasus, ne adulter sit: etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem perennis scilicet vitæ concessurum. Vel aliter auis retorto capite in collum oblata, corporis mortificationem: aliter verò in holocaustum absumpta, incendium cordis in Deum significat, quo vitam verè pœnitentis absoluit. Ab oblatione similæ, oleum & thus omnino amouentur: oleum quidem, quòd lætitiam significet, vt tempore legis vnctiones olei in publicis gaudijs & gratulationibus, in vsum positas esse, passim in Scriptura legimus: peccator verò mœrens & dolore constrictus, seipsum flet, & sua peccata plorat. Deinde, vt fateatur, quòd peccator ex se, non habet, vt Dei misericordiam & veniam consequi mereatur, Dei liberalitate & pollicitis semotis: atque etiam vt suam indignitatem testetur, similam oleo (quod misericordiæ symbolum est) liquefieri prohibetur. Thus item ab hac oblatione relegatur: quod orationem significat. Nam vt ex thure incenso fumus Deo gratissimus mittitur, ita oratio, igne cordis incensa, Deo mitti debet. Pœnitens verò, quia, dum peccato subiacet, indignus est, vt coram Deo compareat, tantum abest, vt oratio eius gratiam mereatur, eamque proprijs viribus impetret, quòd incensum apponere inhibetur. Lethale quippe peccatum non eius generis est, vt oratione deleatur: fortiori medicamine eget, nempe acrimonia pœnitentiæ, secundum quod beatus Iohannes docuit, dicens: Est peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt roget quis. 1. Ioan. 5. Oratio enim, cùm quædam cum Deo collocutio sit, ac mutua; & familiaris communicatio, vt docuit beatus Paulus, cùm dixit: Conuersatio nostra in cælis est: vt ad Phil. 3. digna sit, & Deo grata, atque postulati meritoria, in gratia fieri necesse est. Vnde Dominus ante orationem, præparationem exigit: & Ecclesia etiam in laudibus & Eccles. 18. orationibus publicis, quas quotidie Deo dicit, pro venialibus etiam peccatis, frequentem confessionem repeti instituit: in hóc sanè vt in cæteris edocta à Spiritu sancto, qui per angelum labia Prophetæ calculo ignito mundauit; vel ob hoc quòd in medio populi iniqui ageret, ad Deum dignè laudandum. Esai. 6. Igitur quia peccator gemitibus & lachrymis potissimum Deum quærere debet, ideo thus ab eius obsequio reijcitur. Verùm quoniam his oblationibus figuratè, vt suprà dictum est, pœnitentes significabantur: per oblatores similæ, rigidæ pœnitentiæ, per sustinentiam laborum, & tribulationum, inopes ex imbecilla ætate, infirmitate aut simili re; proculdubio intellexit: quos per oblationem similæ notat, id est, sapientiæ incarnatæ, & in cruce oblatæ, ipsi innitendo cum dolore peccatorum intrinseco, quorum causa ibi acta fuit, remittuntur, cum emendatioris vitæ animo. Quapropter decimam similæ partem, id est, decem mandatorum obseruationem, quæ sapientiæ diuinæ regulæ petit Dominus. Reliquam autem similæ partem assumpto pugillo sacerdotibus committit: quibus pro sapientia sibi communicata & officio iniuncto, quod reliquum est negotij cum Deo, amandatur.

Locutusq; est Dominus ad Moysem, dicens: Anima quæ preuaricans cæremonias per errorem in ijs quæ Domino sunt sanctificata peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij: ipsumq; quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet suprà tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

SACER-

SACERDOTVM peccata hoc quarto loco Dominus reprehendit, quæ in administratione sacrorum committebantur: ac proinde eos qui nunc per incuriam & negligentiam in administratione Sacramentorum errarét,& in his quæ ad integrum & debitum cultum Deo in Ecclesijs exhibendum deficerent, aut irreuerenter se haberent. Iubebat ergo omnibus defectum supplere quem incurrerant in ministrando, aut si sacrilegium fuerit, restituere. Atqui, quoniam,aliquo sensuum rationem præcurrente, negligentia ea, aut delictum commissum fuerat, quintam partem, id est, sensum eum petulantem, offerre iubet sacerdoti, hoc est Christo, cuius typum gerebat. deinceps consecrare, id est, offerre pro peccato arietem valoris duorum siclorum. siclus quatuor drachmis Atticis æquiualebat,hoc est,quatuor argenteis cum dimidio septem superadditis dipondijs: & per orationem sacerdotis dimittebatur peccatum. Verùm hîc non est prætereundum, quàm grauiter ferat Dominus sacrilegium, & quoduis aliud peccatum in sancta: quandoquidem non hircum, aut capram, vt hactenus, sed arietem in sacrificium petit. qui Christum in cruce nostra Genes.22. peccata luentem, in sacrificio Abrahæ cornibus hærens, in vepribus, aut in arbore Sabech, vt transferunt Septuaginta, apertè significauit: & insuper quòd immaculatum exigit,& pretij duorum siclorum,& non cuiusuis ponderis,sed sanctuarij. Quæ omnia rem satis exaggerant, vt quanto studio huiusmodi peccata cauenda sint, hinc planè colligamus.

Anima quæ peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti iuxta mensuram, æstimationemq́; peccati. qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino.

CVM prosequutus hactenus fuisset distincta genera peccatorum, quibus homines teneantur,& quo pacto ab eorum onere eximi possint: nunc verò in genere quędam alia peccata notat,quæ temerè per imprudentiá & legis inscitiam,cuiusuis conditionis homines cōtrahere possunt,etiam qui extra populú Dei essent,quæ ignorantia ligante committerentur.Cùm ergo ea resciuerit se peccasse,Iudæus siue Gentilis esset, arietem offerre iubet: Quia nullus extra Ecclesiam & fidem catholicam,etsi per vitæ conuersationem ostendat se pœnitere, remissionem peccatorum vnquam assequetur. quia arietem, id est, Christi sacrificium offerre non potest. Atque ita de Gentibus, quæ extra Ecclesiam sunt, vt in mentem redeant, Dominum hîc differere placet Isychio. quod & contextus literæ planè docere videtur, cùm de differentijs peccatorum in populo Dei iam egisset. ob quod non addidit hîc; Anima de populo terræ,sicut antea: vel forsan,quoniam aries ob innatam mansuetudinem,& insuperabile robur, quo capite valet, Christum Iesum redemptorem nostrum inter alia animalia potissimùm figurauit. & quia passione eius sanctissima, siue nobis applicetur per Missæ sacrificium, siue per orationem, siue per quodcunque aliud opus bonum,eidem innitamur; peccata minora, id est, venialia absque speciali pœnitentia absorbentur; aries pro his offerri præcipitur. Nam hircus sacrificio oblatus, etsi Christum Iesum pro nobis passurum etiam retulisset, hac tamen in primis ratione, vt nostris nempe peccatis onustus, passurus erat. Quamobrem pro grauioribus peccatis, quæ peculiarem pœnitentiam exigunt, offerri mandabatur.

CAPVT SEXTVM.

LOcutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat: vel vi aliquid extorserit, vel calumniam fecerit: siue rem perditam inuenerit, & inficians insuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines.

NVLLA res est, quæ adeò homines sollicitudine premat, pacem & societatem publicam deturbet, quàm quemquę rem suam cum timore furum continuè possidere,

dere, aut prauorum hominum calliditatibus, versutijs, & astutijs amissionis periculo, semper expositam habere. Est enim ciuitas hominum congregatio gratia viuendi, & rectè viuendi in vno loco constituta: Quapropter cum facultatibus viuatur, rebus familiaribus nullibi securis, & homines perturbari & conuictus publicos perdi, necesse. Hinc igitur omnipotens Dominus in pacem & quietudinem hominum, atque communis societatis sustentationem & auctionem, legem hic tulit, qua extra strepitum iudicij (de quo in libro Exodi iam praecepit) in homines, qui in suos fratres iniurij fuerint, res familiares vtcunque extorquendo, & distrahendo, animaduertatur. Aduerte tamen hoc loco de latronibus, furibus, publicisque grassatoribus (quos morte plecti alibi iusserit) sermonem non esse, sed tantùm de alijs ciuibus, qui colore aliquo quaesito, aut propria astutia, aut alterius charitate, & bona fide, oblato, res alienas sibi adiudicant. Vt ille, inquit Dominus, qui propriae fidei commissum depositum, temporis magni lapsum, occasionem nanciscendo, negat: & qui mutuum praeextorserit, & reddere contempserit: & qui rapina aut vi pecuniam, aut quamuis aliam rem extorsisse mentitus fuerit: & qui fraude aut praetextu aliquo bona proximi occupasse, non confitetur, cum eo qui rem perditam negauerit: & denique omnis qui quouis modo proximum in bonis suis peccando, laeserit, & suam cupiditatem iuramento obtexerit, legis huius sanctioni tenetur.

Ari'o. libr. 1. Pol.

Arist. lib. 5. Ethic.

Matth 14.

Conuicta delicti reddet omnia, quae per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem Domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti iuxta aestimationem mensuramque delicti: qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quae faciendo peccauit.

IGITVR cùm proximi debitum quis retinuerit, & confessus fuerit se deliquisse, seu cõuictus fuerit à creditore, aut à proximis id examinantibus & quaerentibus, reddat principalem sortem, & vltra quintam partem. Haec autem quinta pars, propter damnum quod passus est, aut lucrum quod cessauit, forsan superaddi iubetur. Ni malueris in satisfactionem & temporalem punitionem, atque ad lapsae voluntatis erectionem, & reordinationem per poenitentiam deinceps, consectationem linguae Deo requiri, quae quinti sensus organum est, & enarratorum criminum conflatrix. Vt autem is Deo reconcilietur, arietem immaculatum offeret, eius valoris, quem sacerdos taxauerit cognita ratione delicti, & orabit pro eo, atque ita dimittetur, quicquid sic deliquerit. Quo loco planè adumbratam vides sacramentalem confessionem, siquidem delinquentem reum, testem & accusatorem sui coram sacerdote cernis: & item sacerdotem pretium arietis offerenti taxantem, & quantitatem delicti examinantem. Et tandem eundem orantem, vt peccatum dimittatur, quod absolutionem Sacramenti poenitentiae omnino figurabat.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Praecipe Aaron & filijs eius: Haec est lex holocausti. Cremabitur in altare tota nocte vsque mane: ignis ex eo altari erit: vestietur tunica sacerdos & feminalibus lineis, tolletque cineres, quos vorans ignis exussit: & ponens iuxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque alijs efferet eos extra castra, & in loco mundissimo, vsque ad fauillam consumi faciet. Ignis autem in altari semper ardebit: quem nutriet sacerdos subijciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto desuper adipes adolebit pacificorum. ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

IN voluntate populi positum erat, holocaustum offerre: significabat enim hoc sacrificium, perpetuam & continuam sapientiam in integritate & perfectione vitae, quam saeculi negotijs praepeditus homo quilibet, praestare non potest. Vnde ab eo hoc sacrificij genus non exigitur: bene tamen à sacerdote, & iuge atque perpetuum, quoniam perfectae sapientiae vitam & operationes debet. De iugi etenim sacrificio,

Exod.29. quod sacerdotibus ex officio incumbebat, hoc loco sermo est. Quo agnum anniculum vnum mane, & alterum vespere offerre iniunctum erat: quia à sapientia diem incipiens, in eandem finire debet, atque totam suam vitam ad perfectionem componere. Quæ à tempore, & functione sacerdotum sumuntur. Principio igitur noctis tempore, & deinde tota nocte eius adustio durabat. Hac etenim ratione ignem in altari vsque manè ardere præcipitur. Ex quo aperte ad officium sacerdotis eo tempore spectare vides, tenebris visum dementibus, ignem altaris nutrire & sustentare. Cæremoniæ igitur, quas in exequutione sui officij exercere oportebat, hic præcipiuntur. Sacerdotis autem habitus statim describitur: vt interim scilicet quod sacrum libatur, tunica linea indutus, & lineo etiam panno pudendis cōtectus accedat: quia iustitia, & castitatis puritate præfulgens. Ex lino verò, & non ex lana vestes exigit: quoniam linum molle & non asperum est, hasque virtutes maximè sacerdotis animæ cohærere desiderat. & quòd facilius item paretur, quàm quæ ex lana. Quando verò holocausti cineres, & excrementa extra castra deferre, & omnino absumere iubebatur, prioribus vestimentis excussis, alijs indutus, opus suum conficiebat. In quo virtutes alias præcedentibus adiungere docet: nec contenti exercitis simus, sed quasi nobis negligentibus, non imputari existimantes, ad alias properemus dicen-

Luc.17. tes. Serui inutiles sumus, quod debiumus facere fecimus. & tutius, quòd pœnitentia strictiorem vitam, alios mores, & contrarium viuendi habitum antiquo, desiderat. Hoc quippe significat sacrificium cinerum, statim alteri succedens, & continua vestium mutatio. Illud verò, quòd iuxta altare cineres absumendi extra castra deponuntur, hoc notat: censuram & æstimationem nostrorum operum Christo relinquendam, quia nostrum non est ea seruare, aut æstimare, merita iactando, aut memorando; sed quantùm ad nos attinet, est extra castra eijcere, id est, in futurum iudicium, ab omni corruptione sæculi & humanæ rationis deceptione mundum, reijcere. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, dicebat bea-

1.Cor.4. tus Paulus: sed Dominus est qui iudicat me: Ideo nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Verùm specialiùs hæc considerando, ad pœnitentiam aptissimè acommodari videntur. Atque inprimis, holocaustum quod cremabatur, peccatorem sua peccata coram sacerdote legitimo in sacramentali confessione detegentem, & accusantem, plane significat. Quod hinc innotescit: quia victima hæc tota absumitur, atque tenebris & nocturno tempore, donec lux tenebras excusserit, comburebatur. Peccator siquidem victima est, quæ confessori adurenda, proponitur. Nam caro cum suis concupiscentijs & desiderijs, quibus animæ dominabatur, mactanda est, & incendio charitatis tota exardescere debet. Deinde, quoniam nox

Iohan.12. & tenebræ peccata referunt, dicente Domino: Dum lucem habetis, ambulate in

Iohan.3. luce, ne vos tenebræ comprehendant. Et rursus: Qui male agit, odit lucem. quod

Rom.13. etiam beatus Paulus ad Roman. scribens; Opera tenebrarum, id est, peccata abijcere hortatur. Et quando his tenebris obrutus, peccator accedit, vespere aut nocte holocaustum offerebatur. Ignis verò inter alia munia, quæ habet, dissentanea, & heterogenea, seiungere & disgregare, & obiectam materiam absumere, & lucere item habet: Quæ igne charitatis sacerdos erga pœnitentem conari debet. Nam doctrina exhortatione peccatorum deformitates, onera, & torpores à pulchritudi-

Psal.118. ne, strenuitate, & gratia virtutum segregare debet. Est enim eloquium Domini ignitum, calorem præstans, & lucem etiam emittens, qua fides pœnitentis per peccata mortua conualescit, reficitur & roboratur. His enim illuminationibus, & igne charitatis confessoris, tanquam quibusdam medijs & attactibus, Dominus pro sua liberalitate fidem gratia viuificare, & igne sui amoris accendere solet. Vel saltem in eam liberationem & propositum adducit, vt carni & vitæ anteactæ renuncians, in Deum se conuertat, emendatioremque vitam deinceps agere studeat. Atque iam longa discussione conscientiæ habita, in crepusculum aut lucem diei exorto sole iustitiæ, Christo redemptore nostro, per gratiam gratum facientem, in corde illius contritione mediante, aut saltem attritione, accedente Sacramento, videre simul & viuere incipiat. Vnde vsque manè integra nocte, hoc est, donec tenebræ peccatorum, per cordis integram in Deum conuersionem modo posito excuterentur, victi-

ma comburi præcipiebatur. & insuper cum sacerdotes holocausti nomine, significentur oportet nocte, vigilijs & orationibus ignem spiritus accendere, vt quando alij terreni sint, & nebula ignorantiæ tenti transgrediantur, ipsi spirituales, Deum placantes existant. Quoniam verò sacerdotis officium, vitam tunsionibus pœnitentiæ candidam & præcipuè castitatis puritate sic præfulgentem exigit, linea veste præcinctum, & fœminalibus obductum, sacerdotem antiquum lex præmuniebat. Cui etiam, quia pœnitentem expergefacere, erigere & accendere pro sua vi incumbit, accensi ignis cura demandata erat. Et præterea quia ex officio, in sacrificio Missæ Christum Deo patri offerendo, perfectæ sapientiæ operationem debet, ignem spiritus accendere, & non sinere extingui, ipsi iniunctum est. Vnde hanc functionem memorans, dixit beatus Paulus: Spiritum nolite extingue- Thes.5. re: quia diligentia officij sustentatur, negligentia extinguitur. Cineres deinde, quos ignis reliquit, iuxta altare ponuntur, interim quòd vestes mutat: remissis peccatis per Sacramentum quantùm ad culpam, pœna temporalis restat, quæ in Purgatorio soluenda est, aut hic, operibus pœnalibus innixus cruci Christi. Quapropter iuxta altare cineres deponebantur: qui deinde extra castra eijci iubentur, & in loco mundissimo consumi: quia in corde iam puro, & in Deum per gratiam conuerso, opera pœnitentiæ, per mortis contemplationem, quam cineres hi significant, subeundo, vt dictum est, omninò deletur. Ad hoc autem alijs vestimentis indui iubetur, id est, pœnitentis habitu, vt suprà insinuabatur, quia peccata pœnitentis, sua ducere debet sacerdos, vt Christus nostra sua duxit, secundum quod de ipso in Scriptura proditum est: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Psal. 68. Est enim sacerdotis cura, peccata populi flendo exterminare, & Rom.15. medicinas salutares adhibendo, pro illis orare, & vt peccatorum vibices non reuiuiscant, quantum poterit ipsis occurrere, quod est extra castra cineres eijcere. Tandem ignem ministerio sacerdotum perpetuo ardere præcipitur; quoniam eorum curæ amandatum est, fidem in Ecclesia Dei charitate accendere, per Sacramentorum administrationem, per laudationes publicas & priuatas, per orationes, per iusta & sancta Missarum sacrificia, & opera pœnitentiæ. Et quoniam diligenter, & cum sollicitudine continua officium suum sacerdos curare debet, hinc manè ligna igni altaris superponere iubetur. Sunt item ligna Scripturæ sanctæ testimonia, & sanctorum exempla, quorum meditatione, spiritus nobis subministratur. Atqui, quoniam prima luce, meditatio maximè valet, ad oculos mētis in Deum attollendos, secundum id Prophetæ: Manè astabo tibi & videbo; manè per sin- Psal.5. gulos dies ligna igni nutriendo, apponere mandat. Vult enim ignem spiritus semper ardere: Quo item apertè promittit Ecclesiam Dei nunquam sine gratia vsque ad consummationem sæculi futuram.

Hæc est lex sacrificij, & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino, & coram altari. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monumentum odoris suauissimi Domino. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filijs suis absque fermento, & comedet in loco sanctuarij tabernaculi: ideò autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato, atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum atque sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur.

RITVS & cæremonias præscribit, quibus cibarij munera (de quibus suprà dictum est) offeruntur. adoleat, inquit, sacerdos volam similæ oleo conspersam, & cum toto thure quod offertur. Quæ sanè cor syncerum & purum oleo item charitatis & amoris in Deum & proximum, & thure orationis fumigans, ad Deumque tendens, obumbrabant, vt opera & obsequia, quæ fiunt, eius grata sint oculis. Opera enim externa absque cordis puritate & conuersione, ad numinis gratiam & beneuolentiam promerendam parum valent. Reliquum autem similæ, quod

 pugillo

pugillo vno Domino ambusto, restat; Aaroni & filijs eius masculis, in vsum vitæ
permittit, his legibus: vt in ecclesia & coram tabernaculo conuentus, & absque fer-
mento item comederent. Cedit ergo reliquum in sacerdotum vsum, sicut ea quæ
offerebantur, & immolabantur pro peccato. Quia sacerdotes qui Domino seruiunt,
de oblationibus, & rebus eidem consecratis, & quæ in eius patrimonium accre-
scunt, sustentari debent. Vnde hæreditas eorum nō erat definita, sed in medio Israel
Iosue. 19. posita. Ad quem nunc modum, vectigalia omnia, & diuitiæ, quæ in viris Ecclesiasticis
splendent, ex populi oblationibus ipsis accesserunt, & iure Ecclesiastico & naturali in
eorum ditionem venerunt, ad onus sui officij explendum. Iubentur autem sacerdo-
tes ea comedere in templo: quoniam obumbratur communis vsus harum rerum,
qui fulgente, & omnino charitate micante, in primitiua Ecclesia viguit: quando o-
mnes, qui Christiani censeri cupiebant, ad pedes Apostolorum bona deferebant.
Actuū 4. Quorum prouidentia etiam, cæteris discreta mensura diuidebatur: vt inter eos nul-
lus egenus esset. Peculiariter fraternitas & insignis charitas sacerdotum docebatur,
qui communi etiam mensa in Ecclesijs viuebant, vt in Cathedralibus, & collegiali-
bus Ecclesijs olim in morem laudabilem factum legimus. & adhuc in aliquibus
idem mos permanet, vt etiam ad vescendum simul conueniant, vt eorum vna men-
sa sit, quorum commune patrimonium & hæreditas esset: itaq; meum & tuum, dis-
sidia seminare inter spiritales viros desineret. Sed proh dolor, iam in omnibus so-
lùm nomen mensæ communis mansit, & lites atque discordiæ tam ardentis charita-
tis loco subingressæ sunt: Vnusquisque partem, quæ ex communi mensa obtigit, cu-
pide appetens, vtinam non auarè retineat, & iniuriose defendat, & fratri infirmo of-
1. Thes. 5. fendiculum non ponat, quem suscipere debuisset. Ad quod vitium fugiendum in
hac antiqua lege, vt coram tabernaculo sic oblata, à sacerdotibus sumerentur, cau-
tum fuerat. Tantùm autem mares hoc munere vesci concedebatur, quoniam hi
solùm Dei ministri sunt, quibus sustentatio vitæ pro ministerio debetur. Fœminas
enim à suo ministerio Dominus semper exclusit, quoniam officij sublimitas pruden-
tiam viri requirebat: & quòd Christi sacerdotium, qui altari deseruiret, semper figu-
rauit. Vnde, id quod subiungitur: quicquid illa tetigerit, sanctificabitur: non aliud
signat, quàm sanctos, hoc est sacerdotes esse oportere, & diuino cultui deputatos, qui
Deo consecrata in quouis genere sacrificiorum comedere possent. Inhibetur autem
fermentum clericis: vt vitæ puritatem ipsis necessariam indiceret, qui sacris tractan-
dis sunt assumpti, vt & dignè hinc officium suum exerceant, & alijs exemplo sint, ad
vitam emendandam: & suo insuper honori consulendo, Christianam nunc vitam
in populo promoueant, & sanctæ matris Ecclesiæ statum, dignitatem, auctoritatem
simul & ducatum, in illa antiqua cæremonia obumbratum, augeant, & producant.
Verùm quoniam simila & libamenta, quæ esui parantur, fidem, & mysteriorum Dei
cognitionem primò significant, sic accipe quæ hîc præcipiuntur: Pugillus, quem
sumit sacerdos, plenitudinem sapientiæ in Christo, quem sacerdos iste refert, no-
tat: reliquiæ verò filijs Aaron permissæ, fidem à Christo traditam; quam qui tra-
ctant & considerant, vt alios doceant, vitamque plebis componant, ne à veritate de-
uient, eam comedere dicuntur: quia stomacho mentis traijcere & coquere debent,
vt cibus idoneus cæteris præparetur. Et quia oratione, & eleemosyna præseruari
debent, oleum & thus huic sacrificio adiungitur: fermentum autem amouetur;
quoniam paganorum doctrina, sicut & Pharisæorum, ne veritatis massam cor-
rumpat, cauenda est, iuxta ea quæ suprà dicta sunt. Hanc autem doctrinam in
atrio tabernaculi iubet comedere; quia in Ecclesia Dei discenda est, extra quam
non est sapientia, sicut nec salus. Ecclesiam autem, tabernaculi cæli atrium es-
Psal. 121. se, explicuit Dauid dicendo: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem.
Sanctum autem sanctorum hoc sacrificium esse Domino deinde dicit; quoniam
qui debitè fide per dilectionem operante, in Ecclesia versabuntur, sancti sancto-
rum, id est, Christi pignora erunt, ipsique accepti, & amabiles. Atqui quoniam
qui fœmineum aliquid, & defluxum in cogitationibus admittit, Dei sermones &
legem dignè tractare non potest, viros solùm hoc sacrificium comedere statuit:
quod in perpetuum custodiri iubet. Quoniam quandiu aliquis in cogitationes se-
culares & vanas diffluit, & à viri dignitate decidit, nullo modo decenter de Deo
disputa-

disputare, aut docere potest. Vnde peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tandem subdit: qui ea scilicet libamina tetigerit, sanctificabitur. In quo docet: mysteriorum diuinorum tactu per fidem, vnumquenque contentum esse debere, nec altius & gloriosius ingenij iactatione perscrutari velle, ne ei contingat, quod stulto: qui pro eo quòd poterat & satis erat calefieri, interius manus mittens, combustus est. Nam in blasphemiam & mentis obcoecationem cadet, dum magna iactans, diuinorum dogmatum sublimitatem assequi praesumit. Ob quod Israeliticus populus ad radices montis, dum Moyses legem acciperet, sedere iussus est. Psal. 49. Exod. 19.

Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Haec est oblatio Aaron & filiorum eius, quam offerre debent Domino, in die vnctionis suae: Decimam partem Ephi offerent simile in sacrificio sempiterno: medium eius manè, & medium eius vesperè. quae in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret eam calidam in odorem suauissimum Domino sacerdos qui iure patri successerit, & tota cremabitur in altari. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.

RITVS & leges caeremoniarum, quae seruandae erant, quando summus sacerdos Aaroni succedens, consecrabatur, hic Moyses refert ex Domini praecepto, cuius consilio sunt conditae, & stabilitae. Sacerdotes minores, hoc est, alij à summo, in die consecrationis eius, decimam partem Ephi Domino in templum importare tenebantur, atque in munus & oblationem Domino praesentare: mox verò qui in summum sacerdotem consecrabatur, eam Domino offerre debebat, hoc ordine; dimidiam partem manè, reliquam verò vesperè. in sartagine deinde frixam, & calidam: & tota tandem, ait, igne absumetur, & holocaustum erit, nec quicquam remanebit, quod comedi possit. Primùm hîc aduertere oportet, solùm de vnctione summi sacerdotis sermonem esse: quod ipse textus exprimit, cùm sacerdotem qui vngitur, eum esse dicit, qui iure patri successerit, quod summi sacerdotis proprium erat: Deinde, quia omnes sacerdotes, oblationem decimae Ephi partis facere dicit: Vbi innuitur, quòd ille qui eam Domino litabat, extra eorum numerum erat. Et tertiò ex diuisione illius decimae partis colligitur: nam omnes decem partes, ex ratione numeri denarij (qui totus est) integrum & omnem numerum sacerdotum dicit, cum suo capite, quod illa decima pars, quae in oblationem separatur, proculdubio significat. Et tandem hoc ab Hebraeis omnino supponitur: quòd summus sacerdos tantum oleo puro vngeretur, alij verò impuro, oleo scilicet mixto sanguine: quòd non tanta sublimitas & excellentia vitae exigeretur, vt ab eo; qui in loco eminentissimo, omnibus suspiciendus, & imitandus, & tanquam summum oraculum consulendus, de doctrina & lege Domini proponebatur. Quod plenissimè praestitit Christus Iesus Dominus noster, qui vt summus sacerdos extitit, ita eum eius oblatio referebat. Vnde si dies vnctionis referatur ad sacerdotem, qui initiabatur; diem incarnationis Christi significat: nam ineffabili ea vnctione vnctus fuit, Spiritu sancto nempe & virtute; vt dixit beatus Petrus; Actuū 10.
Et virtute Spiritus sancti obumbratus, vt angelus nunciauit. Si verò ad oblationem Lucae 1.
similae, diem illius diuini sacrificij in cruce obumbrat, quod scopus fuit sacerdotij veteris, & subsistentia noui: in sacrificio siquidem Missae, in memoriam eius quotidiè Christus incruentè aeterno Patri offertur, sicut in ligno cruentè; & excellentiori oleo vnctus fuit prae consortibus suis, prae Regibus nempe, Sacerdotibus & Prophetis, Psal. 44.
qui in Christi figura (qui Rex, Sacerdos, Propheta futurus erat) in lege vncti fuerunt. Vesperè autem & manè memorata oblatio offerri praecipiebatur: in quo iuge sacrificium in celebratione Missae, & aliarum rerum ad cultum Dei gratum, & Ecclesiae promotionem, significabatur. & quia passionem Christi notabat, quae ab hora sexta vsque ad nonam protelata est, interpolantibus eam tenebris, & à manè vsque ad vesperam producta. Frixa etiam oblatio Deo consecrabatur, quia tanquā in sartagine igne supposito seruēti, iugum Domini portare, docere, & sustinere contra omnē furiam & immanitatem hostium ecclesiae frixos, incumbit. Atque calidam insuper: quòd igne Matth. 26.

 charita-

charitatis accensus & Deo gratus, qui Dei Ecclesiæ pondus, & æstus furentibus hostibus excutere & temperare debet, oblaturus conueniat, oportet. Quod si ad caput Christum referas, in cruce tanquam in sartagine frixus dicitur, propter eius fortitudinem: quia ab igne tam immanium peccatorum, minime læsa, aut inflexa fuit. & esibilem Christum, in Sacramento sancto Eucharistiæ, sicut sartago cibum, quem recipit, reddidit, vt suprà dictum est. Et calidam suam exhibuit Christus oblationem: quia inassequibili tribulatione frixam; quando tota plenitudine charitatis ardens, seipsum obtulit. Et tota hostia item comburitur, & omne sacerdotis munus holocaustum esse debet: quoniam à cutis sæculi & negotijs mundi, à Deo distrahentibus, segregatus sit oportet: & quicquid aget, in flammam altius surgentem, ignibus charitatis, consecrare Domino debet: & hinc vsui sustentationis vitæ, nulli remanet: quia cura sæcularis nullo pacto ipsum torquere, & anxium reddere, conuenit, imitatione Christi Iesu (provt datum fuerit) totum se pro nobis exhaurientis in sua sanctissima passione. Quæ quia in partes, seu buccellas, vt transferunt Septuaginta, halitum tortoribus recuperantibus, diducta fuit, & in vnam personam Christi collecta, per conspersam similam designatur. Et oleo insuper litam: quoniam nos miserans, passus est: vt ad pontificem nostrum nos aspicientes, cum misericordia fratrum, pro Christo patiamur, in vnum ipsum eas colligentes. Quia ipse est, qui iure sacerdotibus legis succedit, & qui verè obtulit, nos reconcilians Patri. sacerdotes verò legis hoc æternum sacrificium obumbrantes præcesserunt, vnde translato sacerdotio, legis etiam translatio facta fuit. Nec comeditur hoc sacrificium, hoc est non diuiditur: quia Christi passio, quantum ad fidem attinet, non est tribuenda humanitati secludendo deitatem à supposito, sed integra vnigenito filio Dei adscribenda est, qui in sua sacratissima humanitate sic passus est. Quantum autem ad mores membrorum spectat, qui sua vota Deo offert, non ea partiri debet, sed simul cum ipsis cor offerre: nam secus, ingratum Deo sacrificium est secundum illud: Si rectè offeras & non rectè diuidas, peccatum est tibi.

Matth. 10. Hebr. 1. Hebr. 7. Genes. 4.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere Aaron & filijs eius: Ista est lex hostiæ pro peccato. In loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino: sanctum sanctorum est. sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto in atrio tabernaculi. quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.

VIDE quanti fecerit Dominus harum legum obseruationem, quòd in latione cuiuslibet, non humana, sed diuina sua auctoritate, conditas esse à Moyse passim inculcari voluit. Cæremoniæ autem seruandæ in hostijs, pro grauioribus peccatis contra legem Dei cum electione patratis, hoc loco describuntur. Hostia igitur, quæ pro peccato offertur, in eodem loco vbi occiditur, Deo libari iubetur, in ostio nempe tabernaculi testimonij, vt suprà disposuit. Pœnitentiam enim hæc oblatio significat, cuius initium à peccato recessio est cum eiusdem detestatione, quod est victimam occidi: offerre autem, futuræ vitæ & conuersationis definitio, seu propositio, quæ à mali negatione statim pullulat. propter quod vbi immolatur, & offerri iubetur. Deinde sacerdoti offerenti hostiam, ea vesci in loco sancto iniungit: Quibus planè significatur, sacerdotem legis gratiæ, non nisi in Ecclesia catholica, & iuxta eius normam & statuta, conficere Christi corpus verum posse: & item communicationem, & sumptionem corporis, & sanguinis sacri, post oblationem in sacrificio Missæ sacerdotibus esse faciendam, vt Rupertus explicat. aptè etiam hostia hæc pro peccato, id est, in remissionem peccatorum non nisi merito passionis Christi, quem holocaustum figurauit, indicitur: quæ peccatorum remissio non contingit nisi in Ecclesia catholica, & cum applicatione passionis Christi, media contritione, aut Sacramento, merita eiusdem in se continente; quo veluti antidoto eorundem participes efficimur. Hostiam autem sic oblatam comedebat sacerdos tantùm, quoniam sanctum est. Vnde quicquid tetigerit, sanctificabitur: id est, oportet vt sacerdos sit, qui sanctificatus est nunc per ordinem sacrum, & tunc per vnctionem. vel refer hoc ad pœnitentem, qui cùm opera pœnitentiæ exercet, ieiunia, cilicia, eleemosynas, & similia, carnes pœnitentiæ, vt inquit Isychius, comedit: quia sic animam nutrit, & à reliquijs peccati redimit.

dimit. Duo ergo nos Dominus hic docuit. Vnum, quòd necessaria est applicatio passionis Christi, ei cui peccata remitti debent, quod per fidem solam non fit, nisi per Ecclesiæ Sacramenta: ob quam applicationem manducatio illa hostiæ pro peccato sacerdoti præcepta fuit. Alterum est, quòd sacerdos Missam celebrans, necessariò corpus & sanguinem Christi, quod conficit, sumere debet, hoc exigente lege sacrificij, vt lege canonica Ecclesiæ legitime sancitum est.

Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto. vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. Quòd si vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua.

TANTA reuerentia tractanda sunt diuina, vt etiam illo tempore, nihil quod sanctum & consecratum Deo non esset, hostiam illam, aut aliquid illius contingere posset. Quamobrem vestis quæ sanguine quoquo pacto tingeretur, lotione omnino excutienda erat: vide quanta munditia diuina tractanda sunt. Poteris etiam aptè dicere, Sacramenti Baptismi hic meminisse, cuius præambula in adultis pœnitétia aliqua est, & effectum habet, quando cum aspersione carnis (quæ vestis est animæ) adiungitur verbotum forma: Aqua enim illa sancta virtutem habet, à sanguine Christi. Quapropter per aspersionem sanguinis victimæ, quæ illum significabat, figurata fuit. Vas verò in quo frigebatur, aut lixabatur, frangédum, si obedientem materiam haberet, præcipitur. sin autem contumacem, fricandum, & penitus detergendum. Quo loco post commendationem curæ, qua sacerdos in Missæ celebratione distringi debet, ne vel corporis, vel sanguinis Domini nostri Iesu Christi aliquid decidat, aut fluat, aut negligentia aliqua, indignè atque irreuerenter officium peragatur, sumptio sanguinis & calicis communicatio plebi communiter inhibetur: quæ per vestes & vasa, quibus hostia litabatur, planè significatur. Item quoniam prohibetur tactus huius hostiæ cuicunque rei prophanæ & non sanctæ, ita vt abluenda, frangenda, aut tergenda esset huiusmodi res contacta: districtè autem hoc obseruari non posset, quin sanguis Christi indignè & irreuerenter funderetur, si plebi communicaretur. Propter dignam ergo calicis Domini & sanctissimi sanguinis tractationem, sanguis illius antiquæ hostiæ tantæ obseruationi amandatus fuit. Sed quoniam sacrificium hoc, pœnitentiá signare etiam dictum est: aptissimè per vasa hic memorata, pœnitentes intelliges. Ita vt per vasa fictilia pœnitentes infirmi notentur, qui in proposito non constant, sed ex eo quod iuuantur, & vident per Sacramentum peccata dimitti, securiùs in spe Sacramenti peccant, & in alia atque alia in lætionem & confusionem libenter incurrunt: quos lanè vasa in contumeliam, & Dei inhonorationem appellat beatus Paulus. Per vasa autem ænea, fortes & perseuerantes in exercitio pœnitentiæ designantur: qui non franguntur lapide antiquo se conterentes, sed in negatione sui; & in operibus pœnitentiæ se exercendo, defricantur, & exterguntur vsque ad sedimentum, quo prætentum peccatum conualuerat: quos vasa aurea & argentea honorem Dei procurantia, pœnitentiam retinendo, appellat. & hi pro illis prioribus orare debent, vt Deus illorum miserendo, ad gratiam Sacramenti pœnitentiæ, deducat, & in ea perseuerare finaliter faciat. horum enim oratione maximè indigent, imò & totius Ecclesiæ, secundum quod etiam dixit beatus Iacobus: Orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.

Rom. 9.

Iacobi 5.

Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia sanctum sanctorum est. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum, in sanctuario non comedetur, sed comburetur igni.

CVM de litaturo sacerdote primú sit sermo (quamobrem tantùm illi carnis hostiæ vsus conceditur: siquidem sacrificium Missæ celebrans (quod hostia illa significabat) corpus & sanguinem debet sumere) Fœminæ in primis à sacrificij celebratione coercentur, dum masculis tantùm vsus carnis concedebatur, qui ad ministerium altaris accedere possent. Vnde ex iure diuino, sanctione canonica ab Ecclesia legitimè, hoc sancitum est. Deinde quod offert sacerdos in sacrificio, sumere debet. Eo autem tempore

caro animalis & sanguis offerebatur, sed aliò mandabatur, vt supra visum est. Sacerdos verò in lege gratiæ, & corpus, & sanguinem offert Christi Iesu: quare vtrumque sumit. Verùm cùm corpus Christi in Sacramento altaris, toti plebi communicetur, (quod hostia illa figurabat:) quam ob causam tantùm esus illius hostiæ antiquæ, sacerdotibus, qui ex genere Aaron erant, concedebatur? Huius ratio est; quoniam de sumptione, & communicatione sacrificantis sacerdotis loquitur: Communicatio autem Eucharistiæ plebi, extra rationem sacrificij est. Tandem discrimen innuens inter hostiam illam, cuius sanguis inferebatur in tabernaculum testimonij, & aliam, cuius sanguis extrinsecus distribuebatur; præcipit, prioris hostiæ carnes comburi igne, & nullo pacto vesci. quia Christum Redemptorem totius generis humani, igne charitatis, totum in cruce accensum, significauit, vt inquit Rupertus. Verùm placet, vt hæc pars, textus sit superioris explicatio, in quo solùm masculis esus talium carnium concedebatur. cuius nunc exhibet rationem: quoniam fortis animus, & virilis intentio ad huiusmodi officium sacerdotale exigitur: quia toto & integro corde igne charitatis in Deum accendi debet, & comburi. Hoc autem, fortis & virilis animi, non fœminei est. Quamobrem quando dicit: Non comedetur, nisi à sacerdotibus intellige. Verùm si ad pœnitentiam, hoc sacrificium referas, ad sacerdotes & pœnitentes omnia hæc deuoluuntur. & sacerdos hostiam comedit, quia Christus Redemptor noster primus sacerdos nostram pœnitentiam Deo Patri in quantum homo, & aduocatus noster, in eius dextris residens, offert: & eam comedit, quia salutem peccatorũ, in cibum habere dixit. Deinde cæteri sacerdotes, eius ministri, dum Sacramẽtum pœnitentiæ dispensant, pœnitentiam comedunt, quando absolutione sacramentali peccata consumunt. Masculi item solùm edunt; quia pœnitentes, constanti & virili animo esse debent. de quibus singulariter dictum est. Viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. nihil enim fœmineum, aut fluxum, admittit pœnitentia.

Iohan. 6. Iohan. 4. Oseæ 4. Psal. 26.

CAPVT SEPTIMVM.

HAec est quoque lex hostiæ pro delicto: sancta sanctorum est. iccircò vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto. Sanguis eius per gyrum altaris fundetur. offerent ex ea caudam & adipem, qui operit vitalia, duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia est, reticulumque iecoris cum renunculis. & adolebit ea sacerdos super altare. incensum est Domini pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto vescetur his carnibus, quia sanctum sanctorum est: sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto. Vtriusque hostiæ lex vna erit. ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.

DElicti nomine peccata, quibus officium prætermittitur, & deuiatur, intelliguntur: Delictum enim quòd delinquatur, cùm non fit, quod fieri debet, dicitur. Quare omissiones & negligentiæ eorum, ad quæ quis tenetur, delicta dicuntur, vt dicit Rupertus. Quapropter purgationem peccatorum, quæ ex inconsiderantia, & inaduertentia contrahuntur, intendi hoc loco, prædictus auctor existimat. Qui autem excusabilia peccata ex parte declinare cupit, & admissa à se ablegare, meritis passionis Christi, per contritionem & amoris conuersionem in Deum inniti debet; ideò in gyrum altaris sanguinem fundere sacerdoti præcipitur. Per altare enim crux Christi intelligitur; & per sanguinem circumfusum, ipsa peccata, quorum pretium taxabatur: quod facere sacerdoti iniungebatur; quia ipsi sunt per confessionem detegenda: vt per absolutionem sacramentalem, re integrè cognita, liberationem à peccatis proferat, ea remittendo, & cruci Christi eadem tanquam sanguinem circumfundendo. Iussus est deinde caudam, & adipem intestinorum, & ilium etiam cũ renunculis adolere: quoniam medicina qua huiusmodi peccata cauentur, amputatio est redundantium affectuum, & irascibilis & concupiscibilis appetitus, vti eorundem renunculorũ abnegatio, seu abscisio. Lex autem vsus huius hostiæ, eadem est cum ea, quæ pro peccato stabilita est. Sed altiùs rem considerando, grauioris errati hîc mentio fieri videtur. Ita vt per delictum peccatum,

peccatum, in ipsum Deum intelligatur, & quod difficilem veniam habet, secundum illud Heli: Si homo in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Quamobrem, reum huius criminis, primò cogitationes omnes Deo offerendo, ordinare vult, omniaque desideria: Nam ita hæ cogitationes animã, vt adeps vitalia & membra interiora, operiunt. Deinde castitatem, & munditiam corporis externam: & item internam, vt à turpitudine cõcupiscentiæ, non solùm opere, sed & affectu abstineant. Illud per oblationem renum cum ilijs, hoc verò per sacrificationem reticuli iecoris cum renunculis notans: in hac parte enim desideria concupiscentiæ mouentur, & nutriuntur. Corruptio enim vitæ in desiderijs carnis incentiuum hæresum maximum existit. Vt B. Petrus earum auctores arguendo dicit: Quòd promittant alijs libertatem, cum ipsi subiecti sint corruptioni. In quo hunc locum B. Paulus apertè explicauit. Atque ita vita composita adimplebitur illud Apostoli: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: vt pax interiorem, & sanctimonia, exteriorem compositionem dicat: quæ sacerdotes maximè decent, cum quibus hic primùm sermo habetur. In eo autem quod addit: Incensum est Domino pro delicto: rationem videtur apponere differentiæ huius oblationis ab alijs, quia pro delicto est, id est, pro peccato in Deum, aut illi infensissimo, quale hæresis, & carnis præcipuè in sacerdotibus est. Quoniam Christi Iesu, omnis pœnitentia donum est, & quicquid ea homo assequitur, ad ipsum tanquam ad auctorem totius meriti, & satisfactionis referri debet. ob quod hostiam, quæ ipsum in cruce figurauit, ad sacerdotem qui offert, pertinere dicit.

1.Reg. 2.

2.Pet. 2.

Rom. 12.

Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.

PELLIS holocausti, quod pro peccato offertur, sacerdoti adiudicatur: quoniam veteris vitæ exuuiæ, in manu sacerdotis confessionem audientis remanere debent, cui ea linquit pœnitens, cùm peccata sua accusando detegit, & propositum firmum ea in posterum cauendi, testatur. Aliter etiam & ad eos, qui ad perfectionem anhelant, non minùs aptè extendere potes. Per holocaustum enim iam diximus intelligi, qui totum se Deo consecrat, vt religiosum. Huiusmodi autem viri omnes diuitias à se abdicant, & Christo tradunt, vt tempore Apostolorum ad eorum pedes cuncta ponebant, quicunque doctrinæ eorum credebant. Vt enim pellis animal, sic hominem circumstant diuitiæ, quare nomine pellis intelliguntur. cuius testimonium Deo diabolus reddit dicens: Pellem pro pelle, & cuncta quę habet homo, dabit pro anima sua, vt suprà dictum est. vbi nota quòd pellẽ pro pelle dare, hebraismus est, & idem est, ac si diceret: Omnẽ suam substantiam in numerato spontè & voluntariè dabit. Aut substantiam suam, pro patientia scripturarum accipit, & quam pariunt etiam persequutiones, quia ex patientia multa etiam vtilia proueniunt, vt probata spes, secundum quod dixit B. Paulus: Gloriamur in tribulationibus scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.

Actuū 4.

Iob. 2.

Rom. 5.

Et in omne sacrificium simila, quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula, vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis à quo offertur, siue oleo conspersa, siue arida fuerit. cunctis filijs Aaron mensura æqua per singulos diuidetur.

OMNE sacrificium subdit, quod ad genus cibatij pertineat, siue in fornace coctum fuerit, siue in craticula, aut sartagine præparatum, sacerdoti sacrificanti destinabatur. Quoniam doctor prædicator, & quicunque vitæ institutor, & prouector, cuius monitis, doctrina & exhortatione populus formatur, quando in fornace magnæ & vehementis tribulationis, aut craticula iniuriarum & ignominiarum, aut in sartagine passionum & afflictionum, Christi magistri vitæ vestigia sequendo; si patientiam & sustinentiam laborum pro gloria Domini Iesu, & virtute promouenda constans subierit, sui operis mercede non frustrabitur: sed eam cumulatiùs accipiet. Sic enim hunc locum interpretatur diuus Apostolus, dicens: Vniuscuiusque, scilicet ædificij, spiritalis fabricatoris opus, ignis, id est, tribulatio probabit: & si cuius, scilicet, prædicatoris opus manserit, mercedem accipiet. Si autẽ ad caput Iesu referantur, iam suprà exposita sunt. Quia verò

1.Cor. 3.

Tertul. libro de Pœnitentia.

verò quidam accedunt ad ſacerdotem cum amore feruenti Dei,& alij cum metu Dei, aut inferni,pœnitentiæ inſtrumento,vt inquit Tertullianus,nondum charitatē accenſi ducuntur,ſiue oleo hoſtia conſperſa fuerit, ſiue arida. Huiuſce autem quæuis hoſtia ſacerdotibus filijs Aaron pro menſura cuiuſcunque diſtribui præcipitur. quod iuxta antiquū morem, Apoſtolorum temporibus,& poſt in Eccleſijs cathedralibus,& collegialibus, & nunc in monaſterijs ,& cœnobijs obſeruatur. Vt ex communibus oblationibus,prout vnicuique obtigerit,& opus fuerit,diſtribuatur. Verùm, ſi,vt ſuprà expoſitum eſt,ſacrificium ſimilæ pro fide & vera Dei cognitione accipias, per ſimilá conſperſam, fidem docentem myſteria Chriſti, per aridam verò eandem , myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & cætera,quæ humanitatem Chriſti non concernunt, accipe. Quæ cùm in vno Chriſto collecta pleniſſimè ſit,& miſericorditer Apoſtolis tradita eſt, & æqualiter (nam ſimilia omnes de Deo ſentientes , & eandem fidem profitentes , in nos transfuderunt) ſiue conſperſa,ſiue arida hoſtia eſſet,æqua menſura per filios Aaron diuidi iubetur.

Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum, quæ offertur Domino: ſi pro gratiarum actione oblatio fuerit , offerent panes abſque fermento conſperſos oleo , & lagana azyma vncta oleo,coctamque ſimilam, & collyridas olei admixtione conſperſas: panes quoque fermentatos , cum hoſtia gratiarum , quæ immolatur pro pacificis. ex quibus vnus pro primitijs offertur Domino. & erit ſacerdotis, qui fundet hoſtiæ ſanguinem,cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit quicquam de eis vſque mane.

HOSTIA quæ pro gratiarum actione offerebatur: (de qua ſuprà dictum eſt) cùm ſiue placentis,panibus azymis,laganis,ſimila fricta,& collyridis,ſiue tortis,his omnibus oleo ſubactis,aut linitis offerri oportebat: & inſuper panes fermentatos deferre in templum præcipiebat Dominus. quorum vnus loco primitiarum ei præſentandus erat, & in ius ſacerdotis ſacrificantis cedebat. Hoſtia illa quæ offerebatur cum ſanguinis effuſione, hominem Deo gratificari conantem ob beneficia ſuſcepta referebat : qui vt dignè & debitè gratiarum officium impenderet ,prius mortificandus,& peccatorum ſanguis per confeſſionem effundendus erat, qua ratione cor mundum redditur . Cætera verò cibaria quæ hoſtiam comitabantur, opera externa virtutum, & orationes,poſtulationes, gratiarum actiones , quibus officium gratitudinis Domino impenditur, ſignificabant. huiuſmodi enim opera vt grata ſint Deo,& æterno præmio digna,abſque peccati fermento exhiberi debent: & cum hilaritate etiam,atque charitatis lætitia, quam oleum ſignificat, & eleemoſynarum etiam largitione , quæ in gratiarum actione non poſteriorē locum tenet. Panes autem fermentati,qui deferebátur, ſymbolum recognitionis erant,qua omnia ſua bona Deo accepta referebat, ob quod gratias homo Deo agere debet. Atque hinc ex multis panibus, quos in templum offerebant, (qui facultates omnes,quibus homines viuunt,ſignificát) vnus tantùm in primitias Domino dabatur. & item in recognitionem , quòd nullus quantumuis conetur, abſque Dei gratia & adiutorio,minimè illi placere poteſt,ne dum ſalutem aſſequi· & in ius ſacerdotis cedebat, qui eius miniſterium exercebat. Non tamen in altari offerebatur, quia in altari nil, niſi azymum,offerri poſſe,ſuprà præceptum eſt. Cæterùm attende,quòd hoſtia hæc non acceptabilis erit Deo, niſi in fide & doctrina Apoſtolorū,& Prophetarum offeratur . vnde cum azymis panibus cōſperſis oleo,& laganis ſolum vnctis immolatur : illis apoſtolicam doctrinam miſericordia imbibitam ſignificantibus : iſtis verò, prophetiam quæ etſi cū oleo miſericordiæ,plena tamen minis: vnde vncta ſolū dicitur. Simila præterea cōſperſa oleo offerebatur :quia cum fide eleemoſynis roborata. Fides enim eleemoſynis creſcit,& accenditur. & collyridis tandem panibus: quoniam qui mentis oculis videre deſiderant,& ſalutem aſſequi; Apoſtolicam doctrinam amplecti & opere complete oportet. Sed neque ex oblato quippiam vſque manè , id eſt , in alterum diem manducandum relinquere permittit: vt quod potes,& tibi operabile eſt,inſtanter facias, quia neſcis quid pariat futura dies. & auaritiam ſimul in ſacerdotibus refrænat, vt victu quotidiano contenti,non ſint ſolliciti de craſtino.

Prou. 3.

Si voto

Si voto vel spontè [illegible] obtul[illegible]it hostiam, eadem similiter edetur die. Sed si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis ab[s]umet. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet eius oblatio, nec proderit offerenti. quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit.

AD hostiam pacificorum etiam pertinet, quicquid homo ad consequutionem beneficij, aut gratiæ alicuius, spontè, aut ex voto & animo beneuolo Deo offert, de quo est lex: quod eadem die comedatur, sicut panis superior, qui in primitias datus erat. Si autem tertio die seruetur, offerens frustrabitur voto; & qui comederit, reus præuaricationibus habebitur. Itaque munus oblatum, si in tertium diem eius esus differatur, nec Deo acceptatur, nec eius manducatio est licita. Proculdubio hostia quæ hîc offertur, homo peccatis subiectus est: aut propositum illud, quod pro sua liberalitate Dominus illi immittit, vt à peccatis resurgat, & veterem vitam suo confessori depromat. Id tamẽ, qui de die in diem facere negligit, auxilium speciale Dei primi diei, & specialissimum secundi contemnens, tertio die, quando in profundum vitij est delapsus, nunquam acquiescet vocationi; quia etsi possit resurgere, de facto tamen vix & rarò resurget, iniquitatis faucibus deglutitus. Atque si peccatorum funiculis constrictus ad confessionem accessent, quoniam coactus, & eò tantum id faciat, vt iussis legis canonicæ obsequentem se præstet, sacerdos qui eius peccata per absolutionem comederit, aut munus ob hoc sibi oblatum, criminis reus erit. quia impœnitentem, & in peccatis persistentem absoluere non potest. Vnde subdit, quòd caro illa immunda comburenda est, igne scilicet charitatis accendenda, pòst verò manducanda. Quòd si immunda remanserit, semper ab ea sacerdos, se abstinendo immundis dæmonibus scilicet relinquat. Sed & annectendo hæc superioribus dic: præsumptionem hîc eorum hominũ damnare, qui post resurrectionem, quam tertius dies signat, ex resurrectione Domini tempus operabile huic simile futurum, temerè sibi pollicentur, vt in peccatis nunc agant. Nam qui sperauerit tunc comedere, id est, operari, quando impossibile est, abominabilem suam oblationem constituit, falsò de futuro sæculo æstimans, & peccati præuaricationis in legem Dei reus manet, & comburetur in inferno. Oportet ergo in præsenti sæculo, Prou. 3. quod hodie & cras significat, sententia Sapientis allegata, diligenter operari.

Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igne: qui fuerit immundus, vescetur ex ea. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.

HOSTIA illa pacificorum Christum Redemptorem nostrum in cruce pro nostra & omnium salute sanguinem suum sanctissimum penitus effusurum significabat: qui per sanguinem crucis eius pacificauit, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, vt inquit beatus Paulus. 1.Colos.1 Placentæ verò illæ collyridæ, & lagana & simila, eundem Christum Iesum in Sacramento altaris sub speciebus panis contentum, planè præfigurarunt. Vnde sacerdos illa sacrificans, sacerdotem euangelicum Missam celebrantem retulit; quem indignè ad celebrandum, & quemuis laicum ad Eucharistiæ Sacramenti assumptionem, cum pollutione peccati accedentem manifestè damnat. Quod exponens Apostolus, dixit: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: 1.Co. 11 Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Quod perinde est, ac illo tempore extra castra fieri, & de populis interire.

Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, siue omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis.

TAM putam, castam, & synceram vitam amat Dominus in sacerdotibus, quòd vt tanto altari se dignos præbeant, omnem immunditiam hominis & iumenti fugere districtè præcipit, ita vt nec tangat nec comedat, hoc est, à peccati immunditia, quam homines e vulgo mundi, vitam diligendo, & ab ea item, quam in iumentorum stercora,

& bruto-

& brutorum sensus declinando, incurrere solent, omnino abstineant: vt non tantùm eam non comedant, opere similia patrando, verùm nec tangant, id est, ne implicent se 2.Tim.2. negotijs secularibus, quia rarum est sic ambulantes peccato non consentire, vt exponit diuus Paulus. Sed attende diuini spiritus dispensationem, quoniam per hostiam & sacrificium, hominem per pœnitentiam & studiosa alia opera ad Deum accedentem, toto Esai.40. hoc libro intelligit, carnem hic huiusmodi votum appellat: quo nomine in Scriptura ipse homo censetur. Omnem igitur vitæ integritatem ab eo exigens, vt Deo gratus sit, & pacem cum eo ineat, castitatem primùm commendans, luxum cohibet, quando carnem immundam tangere vetat, pœnam congruentem adiungens, ignis combustionem.: quippe qui ignem concupiscentiæ hîc amat, meritò ignibus inferni deputatur. Deinde omnem virtutis cultum desiderans, hypocrisim ab ea remouens, animam pollutam de carnibus hostiæ pacificorum edere prohibet. Nam iniuste & fraudulenter, tanquam lupus rapax, in animo, sub pelle ouina ambulat, qui ad carnes & opera Dei, sinistra & non virtutis intentione accedit. Hic siquidem est, qui de carnibus hostiæ pollutè edit, & se in hostiam pollutè dicat. Et quoniam ex mundicia carnis & intentione virtutis recta, peccati odium nascitur: vniuersum vitium fugere, quod in communi hominum conuersatione grassatur, & superstitiones & diuinationes omnes, quas à Magis & veneficis hominibus, docente dæmone, mutuantur, tandem cauere iubet. illud per immunditiam hominis intelligens, quod Dominus explicuit, dicen-Matth.15. do: Ex corde hominis exeunt prauæ cogitationes, & cætera, quæ coinquinant hominem: illud verò, per immunditiam cuiusquam alterius rei, dæmonem intelligens, qui post hominem immundus est, attestante Domino. Cùm immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, di-Luce 11. cit: Reuertar in domum, vnde exiui, &c.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel: Adipem ouis & bouis & capræ non comedetis. Adipem cadaueris morticini & eius animalis, quod à bestia captum est, habebitis in varios vsus. Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoq; omnis animalis non sumetis in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.

SACERDOTUM auaritiæ consulendo, qui prætextu officij & ministerij, quod Deo pro populo exhibent, integrum animum in commoda & vtilitates oblationum deflectere solent, adipem ouium, boum & caprarum comedere prohibet: & item auium, & quorumcunque iumentorum sanguinem. quoniam nec de superfluis, nec de necessarijs populi ad vitam extorquere quicquam licet, nedum in iucunda & conferentia, potius quàm iniustum Dei cultum soluendum, animum propendere fas est: Nec etiam quantumuis ingenui & copiosissimi hominis (qui auis nomine significatur) qui peccati votum fugere velit. Quoniam autem res familiaris, vt redundat, adipis rationem refert: in quantum verò vsibus vitæ & communi sustentationi necessario subest, sanguinis (quo nutrimur) vicem gerit, vtroque nomine hoc loco intelligitur. Vsibus tamen varijs ipsius vitæ, adeps morticinij, & capti etiam à fera, atque discerpti conceditur. Per morticinium enim significatur homo, qui proprijs affectibus & appetitionibus mortificatis, spontanea pœnitentia, & verà ad sacerdotem accedit, vt à peccatis absoluatur, consilium vitæ capiat, vt luæ vitæ medeatur. Per captum siue a fera discerptum ille intelligitur, qui nondum carne contritione, & pœnitentia domita, nec tyrannica diaboli seruitute exuta, medicum salutis, confessorem nempe suum conuenit, miserandam suam captiuitatem, & peccati immanem consuetudinem, accusatione voluntaria detegendo. Horum equidem oblationes, vsibus sacerdotis, quoniam erga eos suum officiū legitimè exquiritur, inseruire possunt. Quod 1.Cor.9. exponens beatus Paulus, inquit: Si nos vobis spiritalia seminamus, magnum est si nos Matth.10. carnalia vestra metamus? Et paulo antè: Quis militat suis stipendijs vnquam? Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo,

est Deo? an propter nos vtique hoc dicit? quod & ipsemet Dominus dixerat: dignus Matth. 10. est operarius cibo suo. Verùm aduerte, quòd de horum adipe vsus sacerdotibus conceditur (quæ redundantiam bonorum dicit) non sanguinis, per quem quæ vitæ necessaria sunt, insinuantur. Facultatibus enim viuitur, sicut sanguine homo nutritur. Aristo. lib. 3. Ethic. Ouium autem, boum & caprarum, adipem sacerdotibus negat: quoniam per hæc animalia eos intelligit, qui largitionibus, oblationibus, munusculis, contractus iniustos, mores prauos, vitam deliciosam, consilio doctorum, confessorum, & prælatorum redimere conantur. Atque ipsi tantùm sua commoda, dignitates, & præfecturas captantes, cum iniuria maxima officij temere absoluendo, perperam consulendo, & perniciosius dissimulando, vt suo ventri seruiant, ipsis condescendunt. De quibus propheta clamat: Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Ezech. 34. & rursus de eisdem: Et violant me ad populum Cap. 13. meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Ad hæc etiam, superbiam & elationem, in his horrens, qui Deum pacificare & placare, in hostiam se offerendo, student, omninò vt auaritiam, cohibet. vnde excellentiam propriam horum deprimens, obedientiam maiorum reipublicæ, simplicis plebis, & famulorum seruitia, atque pœnitentium vota, & studia siue desideria (hæc enim intelligit per adipem) comedere, hoc est, sibi captare & affectare vetat, cùm Dei ordinationi adscribi, & eius gloriæ referri debeant. Ob has enim hominum differentias bouis, ouis, & capræ sacrificia repetit. Concedit autem morticinij & capti à bestia adipem, in varios vsus, & virtutum exercitia: quia hominis praui, & in propriam superbiam & malitiam lapsi, conuersationes, & designationes (qui morticinium appellatur; & eius item, qui per negligentiam & desidiam, sui custodiam deserens, ab infernalibus bestijs capitur, qui captum à bestia dicitur) ad exercendos bonos, solùm à Domino permittuntur. Quapropter horum vita sic deficiens, ipsis, & non Deo, qui eam permittit, vt præcedentium, adscribitur. Et quoniam proximi dilectio, ad hæc omnia bona, quæ sacer textus intendit, promouet; ab omni malitia, & insidiarum molitione contra iustos, qui propter altiorem volatum, per aues hic censentur: & ab iniuria contra peccatores, quantumuis molesti & importuni studiosis sint, qui per pecora, quòd ad inferiora intendant, notantur, abstinere præcipit, sub exterminationis pœna. In sanguine enim vita hominis consistit. Vnde aptè per sanguinem comedere, in proximum operari, & peccare prohibetur.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius. Tenebit in manibus adipem hostiæ, & pectusculum. Cumque ambo oblata Domino consecrauerit, tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare: pectusculum autem erit Aaron & filiorum eius. Armus quoque dexter de pacificorum hostijs cedat in primitias sacerdotis: qui obtulerit sanguinem & adipem filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua. Pectusculum enim eleuationis, & armum separationis tuli à filijs Israel de hostijs eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti & filijs eius lege perpetua ab omni populo Israel.

ACTIONEM pœnitentis, & etiam sacerdotis confessionem audientis, hac lege cæremoniarum planè descripsit Dominus. Oportebat enim offereurem victimam simul & sacrificium, id est, libamenta offerre: Quoniam externo opere victimæ, Deus non placatur, quando ex corde in Deum conuersio, tanquam ex radice non proficiscitur. Etenim victima, opus pietatis & religionis, vt Missæ sacrificium, largitiones, quæ ministris & fabricis templorum fiunt, anniuersaria, & item confessionis frequentationem, significat. Sacrificium verò cordis contritionem, & conuersionem in Deum,

quod facer textus explicat, dicendo: Offerat sacrificium, id est, libamenta. Cibus enim Prou. 13. Domini, cor conuersum in ipsum est: ita siquidem ipse ait; Fili præbe mihi cor tuum. Et item, studium & voluntas eidem gratificandi, & obsequendi obsonium est Domini, Iohan. 4. sic dicentis: Hic est cibus meus, vt faciam voluntatem Patris mei. Quoniam autem non in colore solùm, sed ipso smaragdo delectatur Dominus; victimam & sacrificium simul petit. Oblatio equidem externa cùm de bonis fit, quibus viuitur, oblationis sui ipsius signum est. Quamobrem cùm munus consecras Deo, & teipsum tibi reseruas, Genes. 4. oblationem diuidis, quæ partitio, Deo exosa est. vt oblatio illa Cain omnibus exemplo posita est. Ordinem oblationis deinde ponit, cùm ait: Tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum, &c. quoniam radix oblationum quæ Deo gratæ sunt, cor mundum & purum est, hoc autem confessione mundatur, & à fæce peccati expurgatur, de ea hoc loco præcipit. Atque in primis adipem & pectusculum hostiæ manibus tenere iubet, & sic eam ad manus sacerdotis eleuando, Deo dicare & consecrare: quoniam pœnitens peccata sua accusando, sacerdoti debet manifestare, quod est adipem manibus tenere. Adeps enim extra consistentiam animalis est, vt peccatum extra rationem Psal. 16. vitæ: vnde in Scriptura pro peccato vsurpatur, vt à Rege vate: Adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam. Cor autem pectusque suum integrum sacerdoti manifestare, vt eiusdem nec minimus angulus lateat, & sic ipsum in Deum attollere, pectusculum est manibus tenere: vnde & eleuationis infrà dicitur. Sic verò pœnitente disposito, sacerdoti iubet Dominus adipem adolere, pectusculum sibi reseruando. Prius efficit, quando igne accenso amoris in reo, aut dolore peccatorum compuncto, Sacramento pœnitentiæ ipsum absoluit: quo ministerio peccatum & offensa absumitur super altari: id est, cumulo meritorum sanguinis & passionis Christi Iesu. Posterius verò, id est, pectusculum sibi reseruat, quando dat operam, vt in arbitrio eius corde pœnitentis deposito, eiusdem consilio, ductu, & gubernatione vitam suam instituat, vt in posterum viuat, qui mortuus fuerat. Quapropter tunsionibus, scissionibus, cauterijs sacerdoris, nullatenus obsistere debet. Deinde armum dextrum in hostia pacificorum sacerdoti adiudicat: quoniam armis animalia maximè valent, & in ipsis robur totum consistit. Rationes autem viuendi, atque vitæ instituta & mores, vbi imposita onera humeris hominum, sacerdos proponit, & armum dextrum, vitæ studiosæ institutum, atque in æquum, & bonum propensionem, appellat: sinistrum verò, deuiationẽ à recto & oberrationẽ. in ius aũt sacerdotis armum dextrũ cedit, quoniã normam & regulã viuendi, qua deinceps in via vitæ recta gradiatur, præscribere debet: cuius etiã gubernaculis pœnitens se submittat, oportet. At quia ad confessoris officiũ spectat, vitam studiosam à praua, instruendo secernere, virtutemq; à vitio separare: hoc quidem deturpando, Scyllas, & Charybdes, in quas præcipitet, explicando, plagas item & vulnera, quibus animam sauciat, næuos & vibices, quibus eam deijcit, & casum parat, oculis infirmi, & periclitantis, præsentando: iram item & Dei furorem inculcando, vt qui eius manus vindices, atque iudicium incurrerit, & quod pristina vita, non aliud, quàm eius odium sibi conciliet: illam verò, hoc est, virtutem extollendo, eius viam explicando, dulcedinem, honesti animi candorem, dilatationem eius cultus, & præmium tandem & fœlicem eius exitum, in pectus ipsum mittere debet. Quod efficere donum scientiæ est, atque adeò a Domino summis votis expetendum. Atqui quoniam ad hoc præstandum sacerdoti pro officio suo, Dominum propendere incumbit, vt separationem hanc faciat, armum separationis, hoc est, dextrum, quod ipsi adiudicatur, in textu sacro dicitur. Significat item armus dexter acceptationem pœnitentiæ, oblationemque roboris, & virium ad sustinenda quæcunque opera, quantumuis grauia, & acerba pro satisfactione debita pœnis temporalibus suorum peccatorum, vt Purgatorij pœnas effugiat, in hac vita debitum soluendo: & vt castigatione corporis, & pœnarum (quibus sustinendis humerum dexterum debet cõfessori porrigere) peccata in futurum caueat, & integritas vitæ coalescat. Quòd si latiùs hæc ad fidelem quempiam, vitam suam ad Christi normam effigiantem, seque ipsi offerentem, absque ordine ad sacerdotem extendere velis, vitæ Christianæ institutionem planè videbis. Nam qui in sacrificium & victimam sic se Deo offert, adipem & pectusculum, primùm manibus teneat oportet, id est, cogitationes, desideria, quæ redundare, vt adeps, solent, manibus rationis ne diffluant, teneat: & pectusculum item, id est, rectam intentionem, & finem, à quo vita o-

omnis

mnis studiosa promanat, aut si mauis, fidei firmitatem accipe, quæ Christianæ vitæ basis & fundamentum est: quia sicut cordis est finis, ita fortitudo & audacia, quæ omnia pectoris robore, offerre debet Christo summo sacerdoti. Pectusculum autem erit Aaron, & filiorum eius: quoniam sicut fides à Christo fuit tradita, & per eius sacerdotes semper docetur, ita & finis actionum à Christo donatur, & doctrina Sacerdotum, cùm sua ministeria exercent, dirigitur. Deinde in actiones rectas prorumpere oportet, quæ nomine armi dextri intelliguntur. Armus autem iste sacerdoti deputatur, qui Christi imaginem gerebat, quia ab ipso est constantia & perfectio, in huiusmodi actionibus, nobis cooperantibus, sicut & ipse est, qui offert sanguinem, & adipem, id est, animas nostras, & vota nostra Deo Patri nunc in cælo, in quantum frater noster est, perinde atque sacrificio sui cruento in cruce, eadem obtulit: Quapropter horum omnium primitiæ ipsi debentur. Et quoniam huiusmodi oblationes semper Deus ab Ecclesia sua suscipit, iure perpetuo à filijs Israel hæc fieri, præscripsit.

Hæc est vnctio Aaron, & filiorum in cæremonijs Domini die quo obtulit eos Moyses, vt sacerdotio fungerentur, & quæ præcepit eis Dominus dari à filijs Israel religione perpetua in generationibus suis. Ista est lex holocausti & sacrificij pro peccato, atque delicto, & pro consecratione, & pacificorum victimis, quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

EPILOGVS est eorum, quæ dixerat, atque in priori parte mercedem, quam signauit Dominus Aatoni, & filijs eius, ob vnctionem ad sacerdotij officium, in die quo eos destinauit, vt sacerdotio fungerentur, quando scilicet data est lex in monte Sinai, per totam suam posteritatem significat. Quæ ea est, quam ex oblationibus sacerdotibus adiudicauit, iuxta præscriptiones positas. Vnde ait, hæc est vnctio, id est, merces vnctionis. Verùm, quoniam hoc præcedentibus non ita cohæret, meliùs dices: quia difficultate plena suut quæ condidit, ad eorum completionem, præmio allicere: nempe quòd sit sacerdotium regale, gens & populus acquisitionis fieret, vt ipsi promiserat: secundum quod beatus Petrus explicuit: Ostēdit enim profectum, & dignitatem, quam 1. Pet. 2. sanctitas præstet, ad quam aliter perueniri non potest: & ad sequentem tractationem se accingit. Exod. 19. In posteriori parte, cùm ait: hæc est lex holocausti, &c. ea quæ dixerat de holocausto atque de sacrificio pro peccato, & delicto, & item pro pacificis epilogando, auctoritate diuina sanxisse affirmat: Nam in monte Synai, vbi data est lex, hunc cultum, & has cæremonias docuit eum Dominus, quando ipsum alloquutus est, atque de omnibus quæ ad suum cultum spectarent, instruxit. Sed obuiare his videtur, id, quod Dominus dicit: de verbo holocaustomatum & victimarum non fuisse loquutum, quando Hier. 7. eduxit eos de terra Ægypti. Cui respondet Rupertus & optimè: non loquutum quidem fuisse Dominum quicquam de carnali lege sacrificiorum, vt refert Hieremias, bene autem de spiritali lege spiritus in carnali inclusi, quam Moyses promulgauit. Cui Exod. 33. rei aperto argumento est, quòd facie ad faciem cum Domino loquebatur: 2. cum populo verò posito ante oculos velamine. quod planè significat: claram mysteriorum intelligentiam à Domino in monte percepisse, quam condita lege, sub velamine & obscuritate 2. Cor. 3. tradidit, donec accederent, qui reuelata facie in Deum Christum Iesum Dominum nostrum, Euangelij luce coruscante, crederent. Sic etenim rudis ille populus infantiæ & pueritiæ ætate (tempore legis naturæ transacto) in virilem indolem, veritate Euāgelij accedēte, humeris vehendus fuit. Vnde abominatio holocaustorum toties in prophetis inculcata, non tantùm pro tempore Euangelij Ecclesiæ intimabatur, sed pro tunc synagogæ ei exprobrando, quòd corticem literæ obseruarent, spiritualem verò sensum ad vitæ institutionem, in ea inclusum neglexissent. Confirmat autem hoc loci Synai mentio, vbi hæc lex data est. Nam rubus, tribulatio, siue tentatio interpretatur. Quòd studium bonæ vitæ his legibus præscriptum, non nisi tribulationibus & tentationibus consumatur; vt contendentium in agone non nisi sudore & labore. Etenim vt rubus difficile & absque punctionibus manu non apprehenditur, ita nec studiosa vita exercetur.

CAPVT OCTAVVM.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Tolle Aaron cum filijs suis, vestes eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes cum canistris azymis & congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. Fecit Moyses, vt Dominus imperarat: congregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri: statimque obtulit Aaron & filios eius. Cumque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptauit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit caput, & super eam contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus.

RITVS & cæremoniæ, quæ obseruabantur in ordinatione, & promotione sacerdotum, ad diuinum cultum & ministerium, in hoc capite describuntur: & eisdem, consecratio Episcoporum & initiatio Sacerdotum per Sacramentum Ordinis, præfigurabatur. Principio igitur, quoniam sacrificium celebrandum erat, vitulum & duos arietes, qui eo tempore offerebantur, vt cum officio, materiam acciperent, importari tabernaculum, iubet Dominus. Deinde quàmprimùm, Aaron, atque eius filios Domino repræsentauit, ac dicauit, eosdem lauando, & indumentis sacris vestiendo, sed in primis Pontificem. Lauit quidem eos prius: quoniam Domino consecrandos, omni peccati macula, atque sæculi immundiria expurgatos, accedere oportet. Iohan. 13. Quod Dominus Iesus verus existens Moyses, suos discipulos in sacerdotes ordinaturus, paulò antè eorum pedes humillimè lauit, & linteo, quo erat præcinctus, tersit. Vestibus etiam nouis Moyses Aaron induit, nempe subucula balteo præcincta, tunica hyacinthina laxiori, & superhumerali, rationali, cidari, siue mitra, & tandem lamina in fronte prominenti eum ornauit. Habitus (vt dicitur) non facit monachum: distincto tamen muneri, distinctum indumentum decernitur: vt officium debito decore peragatur, atque vitæ professæ minister sic admoneatur, & sui officij memoriam semper oculis verset. Vnde subucula, balteo constricta, primùm Pontifex induitur, quæ vitam moralem, quatuor virtutibus cardinalibus, vti lini quibusdam staminibus, & tramis contextam, & vinculo charitatis tanquam balteo constrictam, significat. Deinde tunica hyacinthina, aëris aut cæli colorem referente, induitur: quæ vitam iam deiformem, Christianam & religiosam notabat: quoniam Christiani hominis institutio, à virtutibus moralibus ad Theologicas, fidem nempe, charitatem, & spem progreditur, quæ potissimùm in sacerdote tanquam in exemplari pellucere debent. Superhumerali (quod Ephod etiam dicebatur) ornatur. quoniam iugum 1.Cor. 9. Domini Pontifex cum omni obedientia, laborum sustinentia, imbecillitates infirmorum supportando (vt inquit beatus Paulus) vt omnes lucrifaciat, ferre debet. Et bene de auro, hyacintho, purpura & cocco bis tincto, & bysso contectis, humerale di- Exod. 28. stinctum esse præcipitur: vt quatuor harum rerum coloribus, quatuor elementa quibus mundus constat, referentibus, omnium hominum suis orationibus Pontifex recordetur, vt inquit Rupertus. Rursus cùm duplex homo in vtroque nostrum sit, exterior, & interior, quod propheta notauit: priorem & terrenum, quando dixit: Fe- Genes. 3. cit Deus hominem de limo terræ: posteriorem verò, quando subiunxit: & inspirauit in faciem eius, spiraculum vitæ, & factus est in animam viuentem. Hinc secundum interiorem, in exercitio virtutis, quilibet homo, vt viuat, agere debet. Quoniam autem hæc vita in sacerdote, & Pontifice, potissimùm fulgere debet; linea subucula induitur, terrenum illum hominem primò formatum significans: linum enim ex terra nascitur: vnde forsan apud Ægyptios, nefas magnum habitum est, lineas vestes in ædes sacras inferre. Tunica talari induitur colore cæli; quæ animam & cælestem hominem, in humilitate & obedientia ad effigiem CHRISTI formatum, vt ipsum Pontifex omni studio imitari curet, significat.

Rationali

Rationali deinde, siue pectorali pontificis pectus obducitur, quod iudicij dicitur; quia absque eo iudicia populo ferre non licebat. In eo autem cælatum erat nomen יהוה Iehoua tetragrammaton, quod Vrim, & Thumin appellabant, id est, illuminationes & perfectiones, vt Rabi Salomon magni nominis inter Hebræos interpretatur. Quod mysterium sanctissimæ Trinitatis cum vnitate essentiæ, eo includebatur. qua fide mens illuminatur & perficitur. Nam י Patrem, dicunt significare Hebræi, quia est principium & origo omnium rerum: ה Filium per quem omnia facta sunt, & esse cœperunt, ו quæ est coniunctio, Spiritum sanctum, quia est nexus vtriusque, & ab vtroque procedit: Repetitur in fine iterum ה propter duplicem naturam existentem in Christo, diuinam scilicet & humanam. Noster autem interpres vertit, Vrim, & Thumin, doctrinam & veritatem: & aptè quidem; quòd doctrina Pontifex cæteros debeat illuminare, atque veritate vitæ perficere. Septuaginta verò verterunt; ostensionem & veritatem; quòd veritas Euangelij sacri in lege abstrusa & recondita, manu summi sacerdotis Christi Redemptoris nostri ostendenda erat Ecclesiæ; & postea per vicarium eius Pontificem Romanum, successoresque Apostolorum Episcopos. In quem etiam sensum, quem germanum credo, illuminationes & veritates, seu perfectiones, aptissimè litera illa vertitur. In eodem insuper rationali, duodecim lapilli preciosi sculpti erant, qui duodecim Patriarchas, & duodecim item Apostolos referebant: quorum meminit beatus Iohannes: Quoniam robore fidei sanctorum patrum & Apostolorum, Pontifex pollere maxime debet. imò & decoro illarum duodecim virtutum, quas beatus Paulus in Episcopo & sacerdote exigit: quando non superbum, non iracundum, non violentum, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, castum, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, eum optauit. Habet item scripta nomina filiorum Israel, quorum memoriam suis precationibus & sacrificijs agere incumbit. officium etenim pontificis, primum est, reconciliationis & beneuolentiæ gratiam populo à Domino iugiter conari, & deinde verò omnium sacerdorum. Cidari tandem pontificis caput ornabatur, lamina quadam fronti prominenti; in qua opere cælaturæ sctiptum erat; *Sanctum Domino*. id est, sanctitas decet Dominum: Quasi pontifex in fronte, & anteriori parte cidaris siue tiaræ; aut mitræ, cælatura hic semper dicat: Procul este prophani, sanctè colendus est Deus: aut, Deus sanctissimus est: ob quod recedite constipatores, & insidiatores dæmones, abite & prophanæ curæ: Et hoc est quod dicit noster textus: Posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, hoc est, quia in ea erat scriptum: Sanctitas Domini est; aut sanctitudo decet Dominum. Arbitror tamen hic aduertendum, quòd superhumerale cum tunica, in qua erat capitium, & rationale, quoniam mysteria Christi Iesu præfigurabant, post aduentum eius sanctissimum & complerionem eorum, quæ de ipso scripta fuerant, institutione sanctæ matris Ecclesiæ, in almaricas cum suis ornamentis, Diaconi, & Subdiaconi ministrantium Presbvtero in altari, cessisse: & item in pallia, quibus in choro præcellunt Missæ officiarij. & iure id quidem optimo: vt quemadmodum vestes illæ mysteria Christi Iesu Redemptoris nostri præfigurando, fidei eiusdem Domini seruiebant, ita eædem in ornamentum eorum nunc cedant, qui Presbytero in altari Missam celebranti, & personam Christi Iesu Domini nostri sustinenti, præscriptis officijs ministrarent. Etenim in ornatu capitis Pontificis hoc loco, primum verbi diuini incarnatio effigiabatur: ita vt mitra Patrem, qui caput est Christi notet: lamina æqualitatem dignitatis cum ipso, in quantum Deus. vnde & contra mitram pendebat. Vitta verò hyacinthina, qua ligabatur, humanitas sacrosancta Christi est, quæ inseparabiliter diuinitati iuncta est, sicut cætera, quæ in hac ordinatione præcesserunt, eius sacrosanctæ vitæ dispensationem innuerunt.

Apocal. 21.

1. Tim. 3.

Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum, cum omni supellectile sua. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus vnxit illud, & omnia vasa eius labrumque, cum basi sua sanctificauit oleo.

CONSECRATVRVS Moyses Aaronem & filios eius, prius consecrat litione quadam tabernaculum cum omnibus vtensilibus, quibus cultus Dei peragebatur. Locus enim & instrumenta, quibus sacrum soluitur, eidem aptari per sanctificationem maximè decet. Vnde canonica Ecclesiæ institutione, loca in quibus Missæ sacrificium celebratur, prius consecrantur & benedicuntur, cum cæteris ad hoc ministerium requisitis, sic serie rerum exigente. Et optimo id quidem iure: nam quemadmodum priùs Dominus, vniuersitate rerum orbem impleuit, quàm hominem, vt patremfamilias, eis dominaturum, crearet: ita decuit in supernaturali rerum dispositione, priùs omnia sanctificatione præueniri, quæ celebratio tanti mysterij exigit, quàm Deo dicaretur, & consecraretur, qui tanto ministerio promouendus erat. Tabernaculum item, Ecclesiam catholicam referebat, sub cuius fide sacerdos sacra facturus accedere debet. Nam extra ipsam nullatenus Missam celebrare, nec sacrosanctum corpus & sanguinem Iesu Christi Domini nostri conficere contingit. Quapropter oleo vnctionis, sicut Aaron & filij eius, consecrabatur siue liniebatur tabernaculum, vt eandem fidem, quam Ecclesia catholica profitetur, in suo sacerdote & ministro omnino requirere significaretur. Quòd si ad cælestem Hierusalem, tabernaculum referre velis, eodem oleo quo sacerdotes, linitur: quia sanctificatione nostra per verbi diuini aduentum, superior quoque creatura, nempe angelica, magis sanctificata est. vnde pacem Dei optatam hominibus (Luc. 2.) nunciatur: & eorundem etiam, vt conseruorum & fratrum pacem cum ipsis tripudio, scilicet, quodam nouo humanæ salutis, gratulata est. Secundum quod dixit Paulus: Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in (Colos. 1.) cælis sunt. Et item quia per Ecclesiam maioris scientiæ particeps facta est. Nam vniuersalis redemptio omnium gentium, Sacramentum absconditum fuit à sæculo in Deo, qui creauit omnia, cuius dispensatio commissa est beato Paulo, vt in- (Ephes. 3.) notesceret principibus & potestatibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro. Dicitur autem vnctionis oleum; vt contra aliud, cæteris vsibus commune, distingueretur. Etenim cum myrtha pura & non adulterina, cinamomo item, cassia, & calamo aromatico, oleum olearum permiscebatur: quoniam charitatis oleum quatuor virtutum exercitio, fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ, & prudentiæ, pro occasionibus vitæ occurrentibus, nutritur & coagmentatur, & tanquam manibus per opera misericordiæ exeritur. Hoc autem vnctionis oleo, septies tabernaculum aspergebatur: Quòd septem donis Spiritus sancti, Ecclesia replenda erat in die Pentecostes per aduentum Spiritus sancti, cuius nutibus dirigitur, & gubernatur. Eodem item oleo sanctificabantur omnia vasa cum labro & eius basi: quo quanta puritate sacerdos ad sacra tractanda accedere debeat, perstringitur. Verùm potissimùm labro: tum ob eius vsum, quòd manibus sacerdorum abluendis constitutum erat; tum ob materiam, ex qua constabat: conflabatur siquidem ex speculis mulierum. vide quantam curam expurgandi, & defæcandi animam à sacerdote accessuro ad sacra, requirat: quòd ea, quam elegantiores fœminæ singulo mane adhibent, ad decorandas facies, & aptandas tiaras ad specula ænea, siue vitrea, ad eam collata, vili penditur. Huiusmodi autem specula erant in tabernaculo: quippe quæ mundi pompam non sequerentur, iam ipso fastiditæ, specula quibus se transpiciendo, speciem & formam pigmentis dissimularent, & expetibilem omnibus reddere curauerant, Deo ad ostium tabernaculi offere- (Exod. 38.) bant, è quibus labrum æneum fundi iusserat Dominus. Quo fœminarum exemplo, mundo renunciare, atque ipsum sacerdotes sub pedibus habere docet, ea, quibus antea ipsi seruierant, consecrando. Ad quem etiam modum, omnes Christiani, ad sacram communionem accessuri, suo modo pœnitentiæ pharmaco mundandi sunt, & ad hanc normam vitam componere debent, vt vasa Christi di- (Actuū 9.) gna appellari mereantur. Vnde selectissimo aliquando dixit Dominus: Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram regibus & gentibus, & filijs Israel. Cùm ergo omnes Christiani vasa sint, in honorem, & non in contumeliam, conari semper esse debent.

Quod sun-

Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit. filios quoq; eius oblatos consecrauit, vestiuitque tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitq; mitras, vt iusserat Dominus.

PER infusionem hanc olei super caput Aaron, primùm Moyses vnctionem Christi Iesu septem donis Spiritus sancti figurauit, vt pòst regius vates de eodem Domino Iesu cecinit: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię prę consortibus tuis. Psal.44. Et Esaias item sequutus: Et repleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, Esai.11. spiritu consilij & fortitudinis, &c. Et simul vnigeniti filij Dei nomen, quod Christus siue vnctus dicendus erat, prænotauit: vt etiam nomen Iesu ille indidit suo successori, Naue parentum nuncupatione insignito, Iosue appellans, vnde in posterum Prophetæ & Reges qui insigniter Christum referebant, Vncti fuerunt appellari, Regem summum & Sacerdotem præfigurando Iesum Christum saluatorem nostrum, vt Eusebius Cæsarien. apposite scribit. Eusebius 1.lib.hist. Eccl.ca.8. In consecratione autem hac, Moyses effudisse dicitur oleum, & in caput Aaron signanter: à capite siquidem omnis virtus, & animalis gubernandi facultas, in cætera corporis membra deriuatur: quæ si magna & copiosa fuerit, fusiùs extenditur & propagatur. Hinc igitur vnguentum fudit, quod omnis copia gratiarum & donorum Spiritus sancti in Christum Iesum redemptorem nostrum (cuius Aaron typum gerebat) largissimè effundenda erat, & item Aaronis in caput, quoniá à Christo Iesu Domino nostro tanquá à capite, in omnia mébra sui corporis mystici, nempe catholicæ Ecclesiæ, pro cuiusque ratione & ordine distribuenda erat. Quod etiam pòst significans sanctus rex Dauid, & bonitatis, iucunditatis, siue lætitiæ donorum Spiritus sancti hoc oleum esse explicando, & gratiam simul capitis, qua Christus Iesus vngendus erat: vt membris suæ Ecclesiæ pro sua largitate impartiretur, obumbrando, dixit; O quàm bonum, & quàm iocundum est habitare fratres in vnum; sicut vnguentú quod descédit in barbam, barbam Aaron, &c. Psal.132. Quod tandem tanquam præsentior & oculatissimus testis diuus Paulus expressit dicendo: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. vnicuique autem datur manifestatio spirituum ad vtilitatem. Alijs quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alijs autem sermo scientiæ, &c. 1.Cor.12. Atq; ita gratia diuini Spiritus descendit à Christo Iesu Domino nostro tanquam à capite, & primùm in Apostolos, Prælatos, & gubernatores Ecclesiæ, sicut in barbam Aaron: deinde in cæteros deriuatur Ecclesiæ catholicæ clientes & asseclas, tanquam in oram vestimenti eius. Item filios Aaron Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar, præscriptis sibi vestimentis indutos, tunicis nempe lineis, habitum pœnitentium referentes, & mitris capite ornatos, eodem oleo liniuit, & consecrauit. Tunicæ enim lineæ, ob tunsiones quas linum patitur, vt in vsum vestium veniat, & lotiones frequentes, quibus detergi debent, vt dignè & absque reprehensione vehantur, aptè pœnitentiam significant. Quæ quoniam indiuiduus comes sacerdotum esse debet, balteis siue zonis corpori ipsi tunicę astringebantur. Mitra verò siue pileolus, quo caput in ea parte, quæ sinciput appellatur, præcipuè ornabatur, mentem in Deum erectam significabat, & à rebus sæculi assurgentem. à tergo verò caput ornabat: quoniam mysterium fidei Christi Iesu Domini nostri inuolutè & obscurè satis ante eius aduentum significabatur. vnde & incuruus erat, nec partem anteriorem frontis amiciebat, sed filis annectebatur. Quos nunc potissimùm referunt diaconus, & subdiaconus, sacerdoribus in altari ministrantes, & præcipuè in officio feriali, quando albis stolis & cincturis, torquibus, siue collaribus, mitras illas referentibus seruituri exeunt.

Obtulit & vitulum pro peccato. cumque super caput eius posuisset Aaron & filij eius manus suas, immolauit eum: hauriens sanguinem, & tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum. quo expiato, & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius. Adipem verò qui erat super vitalia, & reticulum iecoris, duosque renunculos cum aruinulis suis adoleuit super altare: vitulum

cum pelle & carnibus, & fimo cremans extra castra sicut præceperat Dominus. Obtulit & arietem in holocaustum. super cuius caput cùm imposuissent Aaron & filij eius manus suas, immolauit eum, & fudit sanguinem eius per circuitum altaris, ipsumq́; arietem in frusta concidens, caput eius & artus, & adipem adoleuit igne, lotis prius intestinis & pedibus. totumq́ue simul arietem incendit super altare, eo quòd esset holocaustum suauissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. Obtulit & arietem secundum in consecrationem sacerdotum. Posueruntq́ue super caput eius Aaron & filij eius manus suas. Quem cùm immolasset Moyses, sumens de sanguine tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis. Obtulit & filios Aaron. cumq́ue de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum. Adipem verò & caudam, omnemq́ue pinguedinem quæ operit intestina, reticulumq́ue iecoris & duos renes cum adipibus suis & armo dextro separauit. Tollens autem de canistro azymorum quod erat coram Domino panem absque fermento vnum & collyridam aspersam oleo, laganumq́; posuit super adipes & armum dextrum, tradens simul omnia Aarôn & filijs eius. Qui postquam leuauerint ea coram Domino: rursum suscepta de manibus eorum adolebit super altare holocausti, eo quòd consecrationis esset oblatio in odorem suauitatis sacrificij Domini. Tulitq́ue pectusculum, eleuans illud coram Domino de ariete consecrationis in partem suam, sicut præcepit ei Dominus. Assumensq́ue vnguentum & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron & vestimenta eius, & super filios illius, ac vestes eorum.

Exod. 29. IAM sacrificia, quibus initiatio sacerdotum perficiebatur, Moses iussu Domini præscribit. Vitulum autem vnum, & duos arietes, vt præceperat Dominus, sacrificat. Vitulus, pro peccato consecrandorum offertur: qui ob id, quòd laboris symbolum, & patientiæ existit (vnde labores postremos omni obedientia suscipit, & patientia tolerat) Christum redemptorem nostrum apprimè significauit: qui indicibili obedientia patris quos labores non suscepit, & inassequibili patientia non tulit, vt à peccati iugo nos eximendo, in libertatem assereret? ita enim per Prophetam Esai. 53. ipse clamat: Tanquam agnus ad occisionem ductus est Dominus. & rursus: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non Esai. 43. aperiet os suum. Vnde alibi ait: Seruire me fecistis in peccatis vestris. Atque hinc pro peccato vitulus offertur, eo ordine & ritu, qui suprà præscriptus est. Mactat deinde duos arietes: Primum quidem in holocaustum, vt dispositum est; in quo pectus & cor ordinandorum integre in Deum igne charitatis omnia superflua vitę comburentis, accendi debere significatur. Secundum verò arietem, in consecrationem sacerdotum offert, ob id, quòd eius sanguis consecrationi eorundem deseruiebat: Eo siquidem extrema auriculæ dextræ, & pollices manus & pedis eiusdem partis dextræ, tingebantur. Quibus tinctionibus veritas & integritas fidei Christi Iesu redemptoris nostri charitatis opus in fratres indeficiens, exercitium, robur & animositas prædicationis Euangelicæ, planè significatur: quæ in sacerdotibus & potissimùm in summo, vt in capite, elucere debent. Prius horum munerum explicuit beatus Rom. 8. Paulus, cùm fidem per auditum comparari docuit. Item, idem Propheta innuit, quando aure à Domino, quę prædicaturus erat, accepisse testatur: Mane, inquit, erigit Esai. 50. mihi aurem, manè erigit mihi aurem, & ego non contradico. Posterius autem docuit Dauid, quando rogauit: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in Psal. 15. loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano ani- Esai. 35. mam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Et alius Propheta: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate: dicite: Pusillanimes nolite timere. quibus locis manus pro operibus accipiuntur. quæ potissimùm in sacerdotibus splendere

conue-

conuenit. Et expressiùs Dominus Iesus Christus discipulos suos alloquens, hoc explicuit, dicendo: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, Matth. 5. & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Et iterum eosdem instruens sal appellauit, postquam lucem item fecerat, subdens: Qui fecerit & docuerit sic homines, magnus vocabitur in regno cælorum. Postremùm verò Propheta exeruit, cùm dixit: Quàm speciosi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem. Pol- Esai. 52. lices autem tantùm tinguntur, quoniam pollice pedum gressus figimus, manibus verò res apprehendimus, tenemus, & executioni mandamus. Consideratione tamen dignum est, quòd sacerdotes oleo consecrantur, & sanguine item, quo non liniebatur tabernaculum: Nimirùm quòd Christum Iesum Dominum nostrum referrent. Qui Spiritus sancti donis vnctus est præ consortibus suis, vt inquit Psal. Psal. 44. Et proprij cruoris effusione in cruce oblatus, seipsum sanctificauit, vt morti proximus dixit: Et pro eis Iohan. 17. sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in virtute. Et iterum: Ego baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? Tabernaculum verò Lucæ 12. sanguine non tingebatur; quoniam vetus Synagoga merito passionis Christi Iesu exhibendæ, ductu Patriarcharum, Regum & Prophetarum, Spiritus sancti gratiæ fuerit copulata: Quia tamen diuinus ille sanguis nondum effusus erat, non continebant Sacramenta nec sacrificia, quòd ex opere operato gratiam conferrent, & peccata remitterent. Et item sanguis ille fidem mortis & passionis Christi Iesu, pro liberandis hominibus, potissimùm significabat. hæc autem, non in lapidibus, lignorum structuris, & parietibus, sed in sacerdotibus, quorum ministerio in populum, tunc passio Domini futura, propaganda erat: sicut tandem tempore gratiæ, per Apostolos & Discipulos Domini, atque eorũ successores iam exhibita, fuit inuulgata, & continuè inuulgatur, vt in Scriptura proditum fuit: Non enim peribit lex à sacerdote, Hiere. 18. nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta.

Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas: panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro sicut præceperat mihi Dominus, dicens: Aaron & filij eius comedent eos. Quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus igne absumet. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, vsque ad diem quo implebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio, sicut in præsentiarum factum est, vt ritus sacrificij compleretur. Die ac nocte manebitis in tabernaculo obseruantes custodias Domini, ne moriamini. Sic enim mihi præceptum est. feceruntq; Aaron & filij eius cuncta, quæ loquutus est Dominus per manum Moysi.

CARNES & panes simul ante fores tabernaculi, hìc comedere iubebat Dominus; sacrosanctũ planè Eucharistiæ mysterium obumbrans, in quo vera caro Christi sub speciebus panis, qui antea erat, in sancto altari comeditur. In cuius etiã figuram 3. Reg. 17. sancto Heliæ corui deferebant panes & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi. Corui equidem, qui animalium oculis infesti sunt, & ex rapto viuunt, & morticinis gaudent, ministerio Sancti destinati sunt: quoniam virtus, cibusque animæ solis ab aduersarijs illatis tribulationibus paratur. Sic enim à Iezabele & suis, Prophetæ subministratus est: & nos salutem ex inimicis nostris; & de manu omnium qui oderunt nos, habuimus; hoc est, Christum Iesum in cruce redimentem, & in Lucæ 1. sancto altaris Sacramento cibantem. Vnde aptè in hac Prophetæ fuga, obumbratum est. Reliquias verò, quæ superfuerint sacerdotibus comburi præcipit: quia quæ carni impossibilia in hoc mysterio fidei iudicantur, igne charitatis fidem inflammantis, deuoranda sunt: & in obsequium fidei intellectum captiuando, non modò possibilia æstimanda, sed vera, firma, & rata omnino, & infallibiliter tenenda sunt. Vnde forsan in Ecclesia mos & consuetudo inoleuit, vt quæ sacris superesint, igne absumantur. Septem diebus tempus cõsecrationis finiri item præscripsit Dominus Moysi, & ita ipse obseruauit: Cuius ratio multiplex esse potest. Primùm, quòd septem diebus creationis opus finitum est: & hominis reformationi & reparationi, propter

quem

quem orbis conditus est, quæ hi obumbratur, idem spacium respondere congruit. Deinde, quòd lex (quam horum dierum intercapedo figurabat, vt hominem ita plenè iustificaret, quòd è vita excedens nisi pœna aliqua temporalis in Purgatorio soluenda restaret, cęlum ilico ascenderet) Christi Iesu mortem, resurrectionem, & eiusdem admirabilem in cælos ascensionem expectare debuisset. Signatis quippè diebus, plenitudo temporis, quo Christus Iesus in lege promissus, expectandus erat, absoluebatur. Tertiò, quia aduentus Spiritus sancti in die Pentecostes in Apostolos, obumbrabatur: Die enim quinquagesimo post Christi gloriosam resurrectionem aduenit, qui numerus ex septenario in se multiplicato, vno superaddito, resultat. Quippè tunc Apostolorum consecratio perfecta est, quę per quadraginta dies extensa fuit:
Actuū 1. Quando præbens seipsum Dominus viuum post passionem suam, in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei: & conuescens etiam præcepit ab Hierosolymis ne discederent (ad prædicandum scilicet) sed expectarent promissionem Patris. & rursus ait: Ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. (Luc. 24) Quod hoc loco insinuans septem diebus consecrationis, donec perfecta sit, de ostio tabernaculi sacerdotes exire non permittit. Tandem mysterio septem dierum vtitur, qui tempus huius sæculi significant: vt doceret, qui ad dignitatem sacerdotij promouendi sunt, valedicere omnibus voluptatibus & sæculi rebus fluxis: & vt non solum vitæ præteritæ pœniteant, verùm futuræ ita prospiciant, quòd omnino mores commutent, tempore ad id requisito (quod septenario numero significatur) in meditationibus, sanctis contemplationibus, & orationibus exerciti. Ob quod etiam septem diebus templum aut tabernaculum egredi initiandis, prohibebatur. & rursus speciali cura mandabatur, vt die ac nocte obseruarent custodias Domini, ne morerentur, hoc est, vt præcepta Domini custodirent, & ab omni peccati labe se abhorrere discentes, bonis operibus assuescerent. Non enim sat est relinquere malum, sed facere bonum etiam requiritur. Et item, vt in præceptis, & cæremonijs, quibus instruxerat eos Moses ex Domini mandato, se exercerent; vt debitè, & absque errore iuxta cæremonias præscriptas, ad sacrificia accederent. Itaque hoc est obseruare custodias Domini.

CAPVT NONVM.

FActo autem octauo die, vocauit Aaron, & filios eius ac maiores natu Israel: dixitque ad Aaron: Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum vtrumque immaculatum, & offeres illos coram Domino: & ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculum, & sine macula in holocaustum, bouem et arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. hodie enim Dominus apparebit vobis. Tulerunt ergo cuncta quæ iusserat Moyses ad ostium tabernaculi.

QVONIAM de ritibus & cæremonijs in sacrificijs seruandis, latè satis suprà disputatum est, superfluum eadem hic repetere, & molestum duxi. Tantum mysteria quæ hic obumbrantur insinuabimus. quorum id principio se offert: quòd octauo die, quando completa est consecratio, conuocatio sacerdotum & maiorum natu, & totius etiam populi ad sacrificium, facta fuit: Quia in die resurrectionis Domini Iesu, & item Pentecostes, quem dies Dominicus & octauus iste dies significat, Apostolorum congregatio facta fuit, ad dominicum Sacramentum suæ sacrosanctæ mortis & gloriosæ resurrectionis celebrandum, adorandum & admirandum: in quorum figuram sacrificia hæc gesta fuerunt. Illis enim diebus pignora resurrectionis nostræ, & gloriæ futuri sæculi, data fuerunt. quod octauus dies significat. Et quoniam ministerio summi pontificis, & aliorum sacerdotum maiorum & minorum, illac gradiendum est, iure optimo ipsis initiatis, & ministrantibus, populus coadunatus est. Sed attende quòd Moyses, quia personam Domini Iesu Christi sustinebat, Aaron, & maiores natu conuocauit: Quoniam Christus caput existens omnium, per sacerdotes & maiores in reliquum populum, fidei sapientiam influit, suam guber-

natio-

nationem exercet, voluntatemque communicat. Deinde Aaron iussu Moysis, quia vicarij Christi officium figurabat, populum conuocat, eidemque loquitur, Mosis præscripta aperiendo. Pontifici enim Romano, cui Christus tanquam vicario suo, per speciale priuilegium adest, totus Ecclesiæ populus in spiritalium administratione subiectus & morigerus esse debet. promotus autem Aaron, duo tantum sacrificij genera ex præcepto Domini offert: vitulum nempe integrum aut vnicolorem, siue immaculatum, & consimilis qualitatis arietem: pro populo verò tria, scilicet hircum pro peccato, iuuencum, & agnum vnius anni in holocaustum, & bouem & arietem etiam in sacrificium gratulatorium, siue hostiam pacificorum cum libaminibus. Cuius ratio videtur: quòd hostia pacificorum ingratitudinem & gratiarum actionem offerri mandabatur, ob largitiones & dona quę Dominus ad populi sustentationem, copiam & opulentiam omnium rerum donauerat, quarum curam populus gerebat. Nam sacerdotibus, cùm à populo sustentari debeant, tantùm officium orandi, intercedendi pro populo apud Deum, impetrandique ipsi beneficia, iniunctum est: vnde à beneficio gratulatorio parando, exempti erant. Quia tamen peccato obnoxius, perinde ac cæteri sacerdotes sunt, pro peccato suo Aaron primùm vitulum offert, quoniam qui precatij officium exercet, gratum ei, quem precibus pulsare debet, esse oportet: imo vtrique parti beneuolum, vt eo interposito, in amicitiam partes discordes coeant. Negotia autem populi apud Deum oblatione holocausti tractabat: ideò holocausti hostiam, primùm initiatus obtulit, vt ad sui officij munus, manus admoueret. Atque victima, quæ in holocaustum ibi signatur, aries erat: ob id sanè quòd sacrificium holocausti, cor offerentis primùm, aut ministerialiter significabat. Nàm ideò totum incendebatur: quòd integrum cor Deo offerri debet, non diuisum similiter & ex æquo cætera amando. & omni rursus animo vehementi feruore, atque fortitudine debet ad altare accedere, cuius aries ob robur capitis, symbolum existit.

Vbi cùm omnis multitudo astaret, ait Moyses: Iste est sermo quem præcepit Dominus: Facite, & apparebit vobis gloria eius. & dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum & deprecare pro se & pro populo. Cumque mactaueris hostiam populi, ora pro eis, sicut præcepit Dominus.

CONGREGATA multitudine, cui ex præscripto Moysis, Aaron locutus fuerat, iam ipse Moyses testatur sermonem esse Domini, quem sacerdos summus illis intimauerat, vt districtè eum obseruent, ac compleant, nec munere & præmio vacuos sic abituros. Nam gloria, ait, Domini apparebit vobis, id est, propitius & beneuolus, multisque spiritus donis liberalis aderit. Mirabilis sane Dei misericordia; vt serui inutiles, facimus quod tenemur, & quod nobis confert, ac necessarium est, & ad meritum ascribit, & supra humanum studium, magnis nos beneficijs & largitionibus donat: quod eius ingenium est, omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis. Sed quid opus fuit, quæ Aaron dixerat, Mosen sanctum approbare? quoniam personam Christi Iesu apprimè referebat, vt ex officio liberandi populum ab Ægypto & ductandi per desertum, planè colligitur: & ex eiusdem testimonio de Christo loquentis: Prophetam de gēte tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies. & oportebat, quæ Aaron summus sacerdos tanquam os Domini dixerat, ipsummet Dominum per Mosem stabilire & confirmare, & ita eius definitionibus, ad Dei cultum & religionem spectantibus, infallibilem apud populum fidem facere. Vbi apertè vides summi Pontificis auctoritatem obumbratam, & vsque adeò stabilitam, vt quæ in declaratione fidei religionisque ampliatione decreuent, rata & firma in cælis haberi, luce clarius Dominus per Mosem hoc loco testetur. Deinde tria Aaroni distringit: vt immolet pro peccato suo, vt offerat holocaustum, & pro se ac populo deprecetur, & tandem, quòd cùm hostiam populi mactauerit, oret pro eis. Quæ mysterijs plena sunt. Aaron enim, vt dictum est, personam Christi Iesu summi sacerdotis referebat: Quapropter quæ ipsi iniungebantur, ad sacerdotium

Lucæ 17.

ad Ephe. 3.

Deut. 18.

tium eius proculdubio spectabant. Cùm ergo immolare iubetur pro suo peccato,
immolationem vituli memoratam intelligit, quę vituli diuini, nempe filij Dei in cru-
ce figuram gessit, quem Pater æternus pro redemptione, aduentu, & recuperatione
Luc. 15. filij prodigi occidendum tradidit. Vnde de aduersariorum sæuitia queribundus in
Psal. 20. cruce dixit: Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Atqui,
quoniam pondere peccatorum totius generis humani pressus ad crucem accessit,
quorum quia originale peccatum & totius naturę à primo homine infectę caput ex-
titit, & factus homo, vt proprium luere, & pro eo satisfacere dignatus est; pro suo
peccato, hic Aaron immolare iubetur. Nec oratio iniungitur, quia immolatione
& morte diuina, eius iustitia primum definita erat. Deinceps arietis etiam dispositi
meminit, cùm in oblatione holocausti, pro se & populo deprecari iubet: Quod &
fecit Dominus Iesus cùm in cruce morti proximus, mansuetudine & fronte stabili,
plusquam arietis, pro crucifixoribus, quòd nescirent quid facerent, & pro seipso e-
Lucæ 23. tiam orauit, dicendo: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; eidem se in
sacrosanctum holocaustum obtulit. Quando verò hostiam populi mactantem pro
populo orare præcipit, propositi sacrificij plebis mentionem facit, & curam orandi
iniungit: Oratione etenim vti vehiculo sacrificium ad cælum ascendit: Quocirca
munus seu sacrificium populi suo comite, nempe oratione carere non debuit. Quo
loco formam, in posterum Dominus dedit Ecclesiæ, vt eius memoriam in sacrificio
Missæ celebrando, pro se sacerdos, & pro cuncto populo Christiano oraret. Cuius
1. Tim. 2. memor beatus Paulus, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus,
pro regibus & his qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vi-
tam agamus in omni pietate & castitate, suo discipulo Timotheo fieri præcepit.

*Statimque Aaron accedens ad altare immolauit vitulum pro peccato suo, cuius san-
guinem obtulerunt ei filij sui, in quo tingens digitum tetigit cornua altaris, &
fudit residuum ad basim eius, adipemque & renunculos, ac reticulum iecoris,
quæ sunt pro peccato adoleuit super altari, sicut præceperat Dominus Moysi.
Carnes verò & pellem eius extra castra combussit igne.*

STATIMQVE Aaron iussa capessit, ad præscripta sacrificia se adiungens. Pri-
mum vitulum pro peccato mactauit, ex cuius sanguine à filijs suis oblato, cornua
altaris tetigit: Deinde adipem, renes & reticulum iecoris super altare cremandum
posuit: Tandem carnes & caudam extra castra combussit. Verus Aaron Christus
Esai. 53. Iesus sponte sua se morti tradidit: Oblatus est, inquit Propheta, quia ipse voluit. Et
Iohan. 14. rursus idem Dominus: Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quic-
quam, sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mi-
hi Pater, sic facio: surgite eamus hinc. Hanc igitur oblationem præsignauit hîc Aa-
ron immolatione huius vituli, sui immolationem, quam iuxta superius exposita, exi-
gebat Dominus, & Christi immolationem figurans. Filij autem eius, victimæ san-
guinem offerunt; quoniam populum illum repræsentabant, cuius fides sanguine
futuri redemptoris Christi Iesu protestata, & populum continebat, & peccata re-
mittebat. Maiores etenim populi, & præcipue sacerdotes eiusdem ductores, & re-
ligionis magistri, reliquum vulgus & multitudinem omnem referunt: Ideò in te-
stimonium suæ fidei, Aaroni redemptorem figuranti, sanguinem victimę offerebant.
Atqui, quoniam negaturus, & traditurus erat Dominum suum populus ille, sangui-
nem vltra sanctificationem populi gentium in Ecclesia catholica, quam suprà expo-
suimus, ad basim altaris fundit, & eo cornua eius tingit, in figuram blasphemi oris
Matth. 27. eorum, quando dixerunt, mortem Domini agitantes: Sanguis eius super nos & su-
per filios nostros. Patratio enim tanti sceleris per sacerdotes, & maiores Reipublicæ
facta est (ob quod hic cornua altaris tinguntur) & populi etiam applaudentis & fa-
uentis. Deinceps adipem, renes, & reticulum iecoris super altare cremanda propo-
nit: quoniam Christus Iesus omnia sua studia, cogitatus & vota inter angustias suo-
rum tormentorum, omni obedientia, humilitate, patientia & mansuetudine, æter-
no Patri obtulit. Vt aliquando per os Dauid suam animam, & interiora quæque al-
Psal. 102. loquens dixit: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini

sancto

ſancto eius. Quæ item pro modulo ſuo a ſacrificante vitulum, qui ipſum teſtabatur, Dominus petebat. Tandem extra caſtra, carnes, & caudam accendit ſummus ſacerdos, quoniam poſt tot diſſectiones, & tormentorum afflictiones, quales coram Anna, & Caipha, & Pilato, & Herode paſſus in Hieruſam fuerat Dominus, extra ciuitatem eiectus, poſtremis tribulationibus, carnem ſuam ſanctiſſimam in cruce diſtentam, clauis & lácea confoſſam, inflammantibus, in gloriam æterni Patris ſumma charitate accédit, & pellem dedit: Quia demum ibi extra portam, vt inquit beatus Paulus, paſſus, pro noſtris flagitijs mortuus eſt. Heb. 13.

Immolauit & holocauſti victimam. obtuleruntq; ei filij ſui ſanguinem eius, quem fudit per altaris circuitum. Ipſam etiam hoſtiam in fruſta conciſam cum capite & membris ſingulis obtulerunt. quæ omnia ſuper altare cremáuit igne, lotis aqua prius inteſtinis & pedibus.

INITIATIS ſacerdotibus, officium in manibus ponitur, & puritas conſcientiæ, qua exequi debet, commendatur. Primúm oblatione vituli, immolationis Chriſti figuram gerentis, exhibuit Dominus: ſecúdum verò arietis oblatione, in holocauſtum. Etenim etſi alia ratione, nempè vt frontis fortitudine & intentione valente, contra impugnationem dæmonis, in cruce ignibus charitatis in holocauſtum, totus exarſit: habitū tamen offerétis ipſum in ſacrificio ſancto Miſſæ incruento (vt ipſe inſtituerat morti proximus) pręſignauit: vt ſacerdotibus legis, figurá tanti holocauſti hîc gerentibus, fecerat. Vnde pro hoſtia hac, in aliquibus habetur ὁλοκάρπωμα, quod omnis fructus interpretátur. Cyrillus cap 6. Vt qui non offerat Domino fructum pietatis, miſericordiæ, & fructus ſpiritus; qui ſunt, auctore B. Paulo, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, ad Gal. 5. longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas; non offert omnem fructum, quem ſacerdos Domini conari debet. Hinc, ſanguinem, conciſa membra cum capite, & ventre etiam atq; inteſtinis & pedibus prius lotis, Aaroni filij offerunt: qui ſuper altare cuncta cremanda proponūt, quia holocauſtum eſt. Vbi vnitas totius cleri cum ſummo ſacerdote & Pontifice in eiuſdem verę fidei adminiſtratione, & in toto Chriſtiano populo ſeruetur, perſtringitur. De qua B. Paulus aliquando dixerat: Rom. 15. Deus autẽ patiẽtiæ & ſolatij, det vobis id ipſum ſapere in alterutrū ſecundum Ieſum Chriſtū; vt vnanimes vno ore honorificetis Deū, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et rurſus: Obſecro itaq; vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Ephes. 4. Et iterum: Tantùm dignè Euangelio Chriſti conuerſamini, vt ſiue cùm venero & videro vos, ſiue abſens audiam de vobis, quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes collaborantes fidei Euangelij. Philip. 1. Quod filij Aaroni ſacrificanti miniſtrãtes planè docuerunt, in vnum opus, & cultum Domini concurrentes. Modus præterea inſinuatur, quo acceſſus dignus ad Miſſę celebrationem pateat: Nam oblatio ſanguinis ſimul cum ſignificationibus alijs peccatorū ablegationem ab anima dicit. Cùm enim Dauid remiſſionem peccatorum à Domino peteret, ſanguinem nomine ſignificauit dicendo: Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ. & finem ſuæ petitionis ſubijciens, ait: Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Pſal. 50. Perinde ergo vt ſacerdos dignè offerat ſanguinem ſui peccati, ſe mactando per pœnitentiam (quod holocauſtum ſignificabat) Chriſto offerat, & ad baſim fundat Domini, quia ad pedem ſuæ ſanctiſſimæ crucis; qua peccatū, diabolus & infernus victi fuerunt. Deinceps membra cū capite filij Aaron offerunt: quia omnes potentias & vires animæ, & membra etiam corporis cum firma intentione gratificandi Chriſto Ieſu, offerre debet ſacerdos, vt ſic veluti hoſtia à tumore ſæculi, & tenacitate carnis diſſectus, ſe dignè in altari Domino præſentet. Demum cogitationes, ſtudia, vota & deſideria omnia (quæ per ventrem & inteſtina ſignificantur) ab omni fæce peccati mundari, defæcari, & lachrymis cordis lauari debent, cum ipſis pedibus, qui affectus, quibus ad actiones & opera vitę mouetur, repræſentant: ſic enim in holocarpoma, id eſt, in omnem fructum, & in holocauſtum, hoc eſt, ſacrificium totum accenſum, & Domino inflammatum ſe offeret.

Et pro peccato populi offerens mactauit hircum, expiatoque altari fecit holocau-

f ſtum,

ſtum, addens in ſacrificio libamenta quæ pariter offeruntur : & adolens ea ſuper altare abſque cæremonijs holocauſti matutini.

INSTRVCTO ſacerdote, quantum ad officium & diſpoſitionem, qua ad id accingi deberet, iam ipſum in populi reconciliationem & eiuſdem gratificationem exercet, vt interpoſitus inter Deum & hominem negotiator exiſtat. Principio tamen amicitię & reconciliationis opus aggrediens, hircum, quem populus pro peccato tradiderat, mactat, Dominoque offert. quoniam animal hoc ob hirſutam & hiſpidam pilorum rationem, & ob perfricatam frontem & audacem, in ſentinam peccatorum refert, quibus populus onuſtus, Domini propitiationem quærit. Præſentem enim populum, aut eius vices miniſtros gerentes, in ſacrificio vult Dominus. Vnde diuinitus edocta ſanctâ mater Eccleſia inſtituit, vt non niſi in locis publicis & ſacris, vbi populus conuenire ſolet, regulariter Miſſæ celebrentur. Caper igitur ſic in holocauſtum præparatur quod altare ante omnia mundatur. Deinde apponuntur cibaria iuxta ſuperius diſpoſita, abſq; cæremonijs tamen holocauſti matutini; aut præter holocauſtum matutinum, vt habet alia verſio. Mundati altare, forſan erit, hoſtiam præparari in holocauſtum, ſi ad literam ſpectes: ſi verò ad ſpiritum, quem hic intendimus; vt victima populum, ſic & altare referebat. Quoniam autem hoſtia, quæ gratiam impetratura eſſet, grata eſſe debebat, locum ſacrificij & altare prius ab omni ſpurcitia peccati mundari oportebat. Non enim cor ferum, aut indomitum Deo ſacrificium eſt, ſed contritum & humiliatum, id eſt, mactatum & occiſum, quantum ad antiquam & veterem voluntatem peccati, ſicut nec caper accepta Deo hoſtia, niſi occiſus. Neque abſtinentiæ macerationes, eleemoſynæ, aliaque id generis opera Deo grata erunt, ſi peccatoſint coniuncta, ſi noua voluntas Deo in omnibus ſeruiendi non acceſſerit. Victima quippe occiſa, altare & locum mundum, id eſt, animam, & totum hominem innouatum, & à peccato iam abhorrentem, & præterita mala non ſolùm plangentem, ſed firmo propoſito futura cauentem, requirit, vt holocauſtum fiat, & deinceps totus homo Deum ardeat, ipſum ſapiat, & depereat. Huc etiam ſpectat quòd apponuntur cibaria: Etenim non commodè iter ages abſque conueniente cibo, qui & ſpiritus vitales recuperet, & vires neceſſarias ſubminiſtret. Quî ergò Chriſtianæ vitæ iter conficies, ſi indeficientē cibum diuini verbi, in quotidianū miniſterium tecum non attuleris? Si purgata anima per pœnitentiam, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, animam reficiens, ſpiritum in fide, ſpe, & charitate contra peccati offendicula confortans, non ſumpſeris? aptiſſimè igitur victimę, pro peccato in holocauſtum oblatæ, cibaria coniunguntur: ſed abſque cæremonijs inquit holocauſti matutini. Summo enim manè ante omnia ſacrificia holocauſtum offerebatur, & etiam veſperi vltimum, quod poſt alia ſacrificia offerebatur, holocauſtum erat. Atq; vt holocauſtum hirci, quod hîc præcipitur, diſtinctum ab eo, quod ex officio incumbebat, intelligeretur, citata verſio dicit: præter holocauſtum matutinum. Verùm noſtra editio ad ſpiritum proximiùs accedens, cæremonias illius holocauſti, ab hoc, pro peccato, quantùm ad cibaria attinet, ſeiungit, quoniam pro peccato peculiariter offertur. Etenim etſi peccator cum cognitione integra fidei ad Sacramentum pœnitentiæ accedere debeat, quam cibaria hic ſignificant: non tamen dignus eſt ex ſe & ſuis meritis, vt orationibus audiatur, neque vt oleo diuinæ miſericordiæ perfundatur. Quare his præcisè remiſſionem peccatorum cum Deo negotiari ſolùm non debet, ſed pœnitentia ſibi ipſi vim inferendo: & hinc thus & oleum ab hoc ſacrificio remouentur.

Immolauit & bouem atque arietem, hoſtias pacificas populi: obtuleruntque ei filij ſui ſanguinem, quem fudit ſuper altàre per circuitum. Adipem autem bouis, & caudam arietis, renunculosq; cum adipibus ſuis, & reticulum iecoris poſuerunt ſuper pectora. Cumq; cremati eſſent adipes ſuper altare, pectora eorum & armos dextros ſeparauit Aaron eleuans coram Domino, ſicut præceperat Moyſes.

REMISSIONEM peccatorum, iuſtè gratiarum actio ſequitur: quæ vt tanto iure remiſſum peccatum comitatur, ita quodlibet aliud beneficium à Domino ſuſceptum ſequi debet: Atqui, cùm continue immenſæ eius miſericordiæ, largitiones nos comitentur, nunquam non ſua occaſione fungetur, quod hîc planè edocemur.

Bouem

Bouem autem cum ariete ad salutare siue gratulatorium sacrificium eligit,& non vitulum: quoniam ad macellum pœnitentiæ veniens peccator, cum feritate vituli, vigente peccato accedit,quam,adepta remissione,exuens,iugo legis & mandatorũ Dei collum submittit,bos domitus iam effectus. Atq; hinc bos in pacificam hostiam immolatur,& cum ariete, qui in præcedentibus sacrificijs offerebatur: Quoniam rectæ intentionis in Deum robur & firmitas in quauis vitæ parte ad diuinum beneficium aliquod promerendũ semper est necessaria: sacrificiũ verò sic struitur: quòd vtriusq; animalis adeps & cauda primùm altari superponuntur : deinde renes cum adipe eos obtegente, & reticulo iecoris supra animalium corda cremando parantur : & tertiò eorum corda & armos dextros separauit eleuans corã Domino,vt à Mose suprà præceptum est,id est,agitatione diligenti & cum cura obtulit. Quæ mysterijs plena sunt in nobis, quos animalia oblata referebant : adeps enim quæ inter carnem & cutem generatur Physicis asserentibus,redundantiam honorum,diuitiarum,quęq; circumspectam vitam, sicut crassitudo animalis consistentiam,excedunt, manifestè significat. Aristot. de part. anim. Hæc autẽ comprimenda & infrænanda est,finis & mortis consideratione,quam cauda postrema animalis pars notat. Quippe cum mortis violentia, omnia sæculi bona suo iure vti ab iniustis possessoribus rapiat, qui cum Dauid quilibet sanæ mentis homo semper Domino non dicet; Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuũ nimis. Psal.118. Renunculi deinceps cum suis adipibus & reticulo iecoris cordibus superadiacent: quòd appetitiones cunctæ, desideria, cogitationes, intrinseca quæuis negotia,mentis legitima perpensione,rationis examinatione,atque honoris,& glorię Dei mensura , vbi cordis humani sedes sita esse debet,nascantur, vegetentur,& crescant. Sic enim animus componitur , & cor custoditur, ex quo omnis vita procedit. Demum corda & armos dextros,accurata diligentia inter cætera eleuando offert. Prou.4. Quoniam post relictionem antiquę vestis per districtam pœnitẽtiæ emundationem, qua peccator ad modum prudẽtis serpentis excoriatur,non sat est intus animũ componere,sed in opus prorumpere oportet,nouam vitam inchoando,& promouendo,in ea semper ambulando,vt requirit B. Paulus. Atqui, quoniam ad rectas actiones,studiosamq; vitam traducendam, recta intentio & finis, qui vitæ gubernacula tenet, simul & humeri, ad onus virtutis vehendum, laboresq; ei cognatos subeundo, requiruntur,vt qui per sacrificium pœnitentię ad Deum accessit, non retrogradus fiat,sed per nouam vitam se illi consecret ; corda & armos dextros sursum leuando , vt qui terrena amplius sapere nõ debeat, Aaronem offerre iubebat. aut potius in proprium vitæ vsum leuauit, vt suprà dispositum illi fuerat, & sequenti capite aperte comprehenditur. Rom.6.

Et extendens manum ad populum benedixit ei: sicque completis hostijs pro peccato, & holocaustis & pacificis, descendit. Ingressi autem Moyses & Aaron in tabernaculum testimonij , & deinceps egressi benedixerunt populo. Apparuitque gloria Domini omni multitudini: & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum,& adipes,qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudauerunt Dominum ruentes super facies suas.

PRÆPARATIS hostijs pro peccato, holocaustis & pacificis, extendens Aaron manum suam benedixit populo,& fausta imprecatus est eis,& de loco edito,vbi memorata sacrificia præparata fuerunt, descendit. Deinde ipse & Moyses ingressi sunt tabernaculũ testimonij: & inde egressi, iterum benedixerunt populo, beneq; ei precati sunt. Et tandẽ apparuit gloria Domini,quia à Domino,id est,à tabernaculo testimonij,vbi astabat Dominus,egressus est ignis,apposita sacrificia vorans. Ad cuius stupendũ miraculum, omnes turbæ in facies suas ruẽtes in laudes Domini proruperũt: Oportet enim cuiusuis generis opus Deo oblaturos,vt à Deo benedictionẽ assequantur,mentem in Deum eleuare,in edituműq; eius locum per considerationem ascẽdere. Ita siquidem oblationes hæ nos ipsos referentes in loco alto dispositę fuerunt, vnde & hic Aaron descenderat. Atq; eiusdẽ item manibus præparatæ: quia ope,& gratia Domini nostri Iesu Christi, quẽ Aaron referebat,studia omnia nostra,& orationes iuuandæ sunt, æternoque Patri per ipsum præsentatæ, dignitatem sumpturæ, vt benedictionem assequamur,id est, votorum compotes efficiamur. Sic quippe de eo lo-

1. Ioan. 2. quitur B. Ioannes: Habemus aduocatum apud Patrem, Iesum Christum Dominum nostrum, &c. Significat item disposita sacrificiorum constructio, cordium Apostolorum, & Discipulorum preparationem per multa argumēta, quibus post suam gloriosam resurrectionem illis apparuit, benedicens, vt ad recipiendum Spiritum sanctum se disponerent. Vnde ad eius aduentum maturãdum, Christus decem diebus antè in cælos cōcessit: In cuius figuram hîc Moses & Aaron deprecaturi Dominum pro populo, tabernaculum testimonij ingrediuntur. Moysi enim, in ostio tabernaculi affuturum & loquuturū promiserat antè Dominus: Quare cum Aarone Dominum negotiaturo, necessariò ingredi debuit. Christus enim Iēsus Dominus noster, legislator & sacerdos summus ad interpellandum pro nobis, donaq; nobis spiritus impetranda, præuius cælos ascendit, horum personas planè exhibens. Sed hi è tabernaculo egressi bene precati sunt populo, faustaq; omnia polliciti sunt, qui homines erant: Verùm Christus Iesus, quia verus Deus & homo in tabernaculo testimonij, hoc est, in cælo manēs, & semper residens, lętissima & diuina queq; negotiatus nobis est, mittens Spiritum sanctum die Pentecostes in corda Apostolorum linguis igneis refulgētem, qui eorū corda accendit, terrena & animalia omnia absumpsit: perinde ac ignis iste materialis, à tabernaculo testimonij egrediens, disposita animalia igniuit, ac vorauit. Atque vt corpus vmbræ omnino respōdere videas, attende dispensationis diuinæ admirãdum mysterium: ad inopinatum ignis egredientis, atq; gloriæ Domini inusitato signo se monstrantis spectaculū, præ admiratione ceciderunt in facies suas, Dominum laudantes, & benedicentes, quoniam arcanum id sacrum à sæculo reconditum figurabatur. Nempe quòd cùm verus ille ignis Spiritus sancti, in Ecclesiam & Apostolos descenderet, eorum pectora inuisibiliter penetrando, in laudes & magnalia Dei celebranda eos præcepturus erat, & confluentium animi ad cæleste spectaculum stupore

Actuū 2. confundendi. vt contigit referente B. Luca: Nam facta Apostolorum voce, conuenit, inquit, multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisq; lingua sua illos loquentes.

Capvt decimvm.

Arreptisque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis suis imposuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est, quod loquutus est Dominus: sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi: & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.

Non dubium, quin genera sacrificiorum præcedenti capite præparata, Ecclesiam & collectionem fidelium repræsentarent, & potissimùm eorum qui suas vitas per pœnitentiam Deo consecrare studerent. Vnde & ab Aaron sic disposita fuerunt, quia à Christo Iesu in cruce pro nostra salute se offerente, quem Aaron retulit, sufficientiam omnem meritorum sumpserunt, vt inde pœnitentiæ, & quæuis alia virtutis opera in conspectu Domini valerent. Atq; hinc ignis ille à Domino egressus viuæ fidei Christianæ ignibus charitatis ardentis, & in flammā se attollentis, qui corda Apostolorum inprimis accensurus erat, & omnes deinde qui eorum ministerio Christi familiæ se debitè manciparent, manifestum signum extitit. Nunc autem per

Matth. 25. Lucæ 19. ea, quæ circa sacrificia disposita, & ignem eorum voracem contigerunt, qualiter serui, quos constituit dominus super familiam suam, se gesturi erant, item obumbrant. Quibusdam enim quinq;, quibusdā duo, alijs verò vnum tantùm talentū commisit. Qui omnes secundū diligentiā in depositi cultura, sic rationem reddiderunt. quippe, qui quinq; talenta acceperant, vt prælati, doctores, prædicatores, confessores, qui cum fide noui & veteris Testamenti, omnes alias gratias & priuilegia sumpserūt, (quæ per ternarium, iuxta proprietatē numeri multitudinis apud Grecos superadditum, binario duorum talentorum, intelliguntur) iuxta commissi mensuram laborantes, talenta duplicauerunt. Et pręterea quinarius numerus talentorum, huiusmodi viris contigit, ob quinq; libros Moysis, quibus tota lex tradita est, Euangelium inclusum, & excellentiæ perfectionis virorū Ecclesiæ in Patriarchis sanctis obumbratæ. Qui verò duo

talenta

talenta acceperunt, nimirùm, nouum & vetus Testamentum, & secundum eorum integram fidem operati sunt, cum eorum geminatione, fideles etiam inuenti sunt: vt fideles communiter in Ecclesia catholica, qui in doctrina eius Apostolica perseuerantes, in oratione insuper & fractione panis, cum pœnitentia, vt inquit beatus Actuū 2. Lucas, fidem suam opere coluerunt. Tandem qui vnum tantum talentum, id est, vetus Testamentum, vt Iudæi suæ curæ sumpserunt, qui negligentia & vecordia torpentes, cùm nullum lucrum in eius adimpletione reportarent, eo spoliati, eiecti, & perditi fuerunt. Quorum perditionis causa fuit, quòd ignem cælestem, id est, fidem legis, quam dono Dei è sursum acceperant, non coluerunt, & eius forma, nempe charitate per sua opera, eam ardere nõ fecerunt: sed propria auaritia & ambitione ab eius impletione deficientes, alienum ignem, nempe gentium idololatriam, vt tempore Manasses, quando subtractum aut perditum fuit illis volumẽ legis: & demùm quando Christum redemptorem nostrum, & suum Messiam, capitosi noluerunt recipere: 4.Reg.21. & præterea hæretici omnes eiusdem farinę sunt, qui inconsutilem Christi vestem scindentes, ab Ecclesia recessuri erant, & igne cælestis fidei neglecto, alienum, nempe terrenam doctrinam & proprio ingenio fabricatam, & paganorum erroribus fultam inferentes, Domini sacrificia, hoc est, fideles, in Dei altari, & catholica eius Ecclesia, ementito igne, prætextu accendendi, perdituri Domini sacrificia, & verum eorum ignem suis hęresibus extincturi. Quos omnes nempe hęreticos & Iudęos planè Nadab, & Abiu pręcepto Moysi inobedientes, retulerunt. Quorum illi iugo obedientiæ excusso, spontanei, quod Nadab sonat, ignem alienum thuribulo superponunt, dum præter ordinem & Ecclesiæ catholicæ obedientiam, Christi Euangelio gloriantur. Hi verò adhuc Christum in sua lege & cæremonijs latitantem, & aduentum suum præmolientem perquirunt, patrẽ Deum se habere gloriantes, iuxta nominis interpretationem. Nam Abiu, pater ipse, aut pater est, vertitur. Igitur vniuersi hi nõ sumpserunt ignẽ de altari, qui descenderat in sacrificium Aaronis paratum. Ad hoc enim eum de cælo misit, vt ex eo sacerdotes sumentes sacrificijs supponerent, quoniam cælestem ignem & non terrenum huiusmodi sacris vsibus perpetuò inseruire voluit: & ita durauit vsque ad captiuitatem Babylonicam, vt referunt Hebræi. 2. Machabæorum 1. Sunt prætereà omnes, qui formam fidei, hoc est, charitatẽ extinguunt: & potissimum sacerdotes praui, qui auaritiæ stimulis exagitati, & ignibus concupiscentiæ exardentes, amore proprij commodi ducti, & cupiditatibus seruientes; ad altare Domini tantùm accedunt, & cultum Deo gratum offerre præsumunt, dum non diuini amoris ignis, sed proprij æstus incendium eos vrit. Quos omnes ignis Domini in inferno vorabit. quoniam hîc Domino per gladium, per mortes, per tribulationes, & cæteras calamitates, audire noluerunt. Oportet enim sacerdotes mundo & puro corde ad altare accedere, si Dei vltricem manum euadere volunt. Sacerdotes, quippe ait, & populus quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos. Quod & hoc loco efficit, superbiam eorum morte plectendo. Vbi primùm Exod.19. attende, quòd igne etiam egrediente à Domino hîc comburuntur: Quòd Dominus sicut misericors, ita & iustus. vt intelligas, quòd qui eius misericordia non bene vsi fuerint, eius proculdubio iustitiam sentient: vt hi qui igne, qui gloria Domini appellatus est, vti renuerunt, in se ipsos voracem senserunt, & mortui sunt. In signum sanè, & apertum testimonium mortis spiritalis per excommunicationem, qua vsura erat Ecclesia, & vsus est beatus Paulus in Hymenæum, & Alexandrum, quia circa fidem naufragauerant, 1.Tim.1. quos tradidit sathanæ, vt discerent non blasphemare. Sed & causam huius animaduersionis subijcit Moses Aaroni dicens: Hoc est quòd loqutus est Dominus: sanctificabor in his, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Memorat namque testimonium, quo munditiam sacerdotum & plebis appropinquantis Domino commendauerat. Vbi Aaronem & suos Exod.19. sacerdotes aduertit, qua puritate ad altare accedere debuissent, vt iram Domini vindicẽ effugerẽt. Quod Domini mãdatum, Aaron audiens, & iam ad spectaculum pręsentis punitionis totus veluti tremẽs, & stupefactus tacuit. Hinc igitur nos sacerdotes, qui ex officio appropinquãtes Domino hic dicimur, omni humilitate ad sacra accessuros, præparare pœnitẽtia discamus, manũ Dñi metuentes. Nam hi in fragrãte delicto depræhensi, in nominis Dei gloriã mortui sunt, & tam citã punitionẽ nos indignè

accedentes vocamus, nisi sanguis Domini Iesu effusus in terra, ad æternum Patrem pro nostra pœnitentia clamaret. Non tamen tardabit, si impœnitentes manserimus. Genes.4.

Vocatis autem Moses Misahele & Elisaphan filijs Oziel patrui Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra castra. Confestimque pergentes tulerunt eos sicut iacebant, vestitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, vt sibi fuerat imperatum.

STABILES & animosos sacerdotes in cultu & amore eius eligit Dominus, vt mortuos priores extra castra deportent, quod eorum nomina indicant: Nam Misahel tactus Dei, Elisaphan Dei specula, Oziel fortitudo mea Deus, vertuntur, qui etiam patrui Aaronis erant filij. Quoniam maiores natu, & proceres Dei in Ecclesia, qui eius custodes positi sunt, coercere & punire mortuos strage vitiorum & peccatorum sacerdotes, & item amissione fidei diabolo incorporatos, vt hæreticos debent. Ij siquidem sunt, quos Dominus suæ Ecclesiæ speculatores constituit, & digito sui spiritus tangit, ne in nomine eius congregati in fide errent: Vnde à Moyse ad id vocantur, & Aaronis summi sacerdotis sunt nepotes. Etenim Aaron summo sacerdotio fungens, vt Moses legis latione, filij Legis & Prophetiæ à Deo editi fuerunt, vt Euangelij, Christus eiusdem legislator, & sacerdos summus. Deinde filij etiam alij prodiere, nempe Apostoli & eorum successores Episcopi, & potissimùm deinceps sacerdotes, qui in Ecclesia Dei maiora gubernacula tenent. Vnde diuinitus hic ab Spiritu sancto præsupponitur, Euangelium, fratrem esse Legis & Prophetiæ, cuius cultor, & summus ministrator Aaron legitur. Et aptissima quidem id ratione: ad eundem siquidem finem fraterna charitate, fidem scilicet Christi Iesu vniformiter coëunt, & mutuo etiam se adiuuant, dum Euangelium promissa Legis reddit, & Lex atque Prophetia Euangelij dogmata firmat: In eius siquidem fidei stabilitatem, Prophetiæ tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco attendendum est, donec dies illucescat, & lucifer scilicet Christus oriatur in cordibus nostris. Nam Spi- 2.Pet.c.1. ritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines, vt inquit beatus Petrus. Atque hinc vt Ecclesiæ sacerdotes designaret, per quos nō solùm praui mores extirpādi erāt, sed & hæretici euellendi & eijciendi, filij patrui Aaron eiectores horum mortuorum à Mose deliguntur. Et quoniam in scientia, & Dei sapientia stabiles & versatos esse Ioel.1. oportet, ex interpretatione hominum, idem insinuare voluit. Verùm cùm Dominus vsque adeò longanimis sit, & præstolabilis super malitiam, vnde hec ad breuissimum tempus coram se ferre eos non potuit, sed à conspectu sanctuarij, & lineis tunicis vestitos, vt iacebant, foras ilico asportarunt? In odium sanè & abominationem peccati hæresis, quo fides amittitur: Vt quàm abominabiles Domino sint, qui sic ab eo recedūt, vel ex hoc loco discant, & quàm difficilis horum reditus ad viam salutis, cùm sic à Domino abiecti fuerint. Est quippe fides basis charitatis, & gratiæ fundamentum, qua iustificamur, & aliorum etiam donorum, quibus ad pœnitentiam vocamur, attrahimur, & varijs generibus illuminationum & inspirationum inuitamur, quæ Christus Iesus redemptor noster sua sacrosancta vita & morte nobis meruit. Quare non nisi media eiusdem Domini fide vti vehiculo importantur, & fidelibus tantùm dispertiuntur. Hæretici verò, quia non solùm charitatem extinctam habent, verùm & fidem amissam, huiusmodi adminiculis gratiarum priuati sunt, quibus etiam suam faciem & præsentiam maximè ostendere solet, ad hoc significandum, meritò hi à conspectu sanctuarij & Domini, statim auferuntur. Et præterea quòd in Ecclesia non sint tolerandi, sed puniendi & eijciendi, ne cæteros fideles inficiant: sanctuarium enim Ecclesiam Dei repræsentabat: vnde nunc & igne materiali comburuntur, & spirituali excommunicationis, ab ea eijciuntur. Nam hunc ignem spiritalem significādo, ignis à Domino egrediens, qui hos Apostatas combussit & deuorauit, vestibus pepercit, & mortui iacētes perindè ac viui cum suis vestibus repræsentarentur: ob quod lineis tunicis, & sacerdotalibus vestibus indutos, vt iacebant, asportatos esse expressit sacer textus.

Loquutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini, & super

ſuper omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres veſtri & omnis domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit. vos autem non egrediemini fores tabernaculi: alioquin peribitis. Oleū quippe ſanctæ vnctionis eſt ſuper vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moyſi.

SVBLATIS ſic è medio duobus ſacerdotibus Deo miniſtrantibus, & ob eorum dignitatem, & occaſionem, qua mortui fuerant, planctus populi iuſta ratione ſequitur: quod Dominus non ſilet, imò rationem eius præſcribit. Dolentium atque mœrentium apud illum populum mos erat, caput nudatum cinere conſpergere, & veſtes etiam ſcindere, in demonſtrationem ſenſus eius rei, quæ contigerat. Hic autem in re víque adeò ſtupenda, vtrumque Aaron & Eleazar, & Ithamar ſub mortis comminatione prohibet, & indignationis etiam in populum. Rurſus non egredi, ſed permanere in tabernaculo præcipit, rationem ſubijcens, quòd oleum ſacræ vnctionis habeant: Cæteris verò ſacerdotibus cum toto populo luctum huius incendij committit. Quæ omnia, myſterio non vacant. Fuit per ipſummet Dominum legis vindicatio facta, & iuſtitiæ actus executioni mandatus. Quod cùm facere ſummo ſacerdoti, & maioribus viris, qui ei eſſent à conſilio, præcipit, & ſi eorum fratres, & Aaron filij eſſent, honorem & gloriam Domini & iuſtitiæ adminiſtrationem, ſenſu carnis præferre edocti fuerunt, vt nec parentibus parcere diſcerent, quando aliò honor & gloria Domini vocauerit. Et ſimul docet Dominus ſigna illa diſcoopertionis càpitum, & ſciſſionis veſtium, in deteſtationem peccati quo offenditur, & ad indignationem laceſſitur & prouocatur, dolendo Domini iniuriam & propriam negligentiam & vecordiam, qua ſimile ſcelus in populo, cui præſunt, contigit. Et tandem hæreſis peccatum hìc plectebatur, & eos cautos voluit reddere Dominus, ne vnquam quid ſimile cogitarent, quod hac ratione prouidit: nam pilei quibus eorum capita tegebantur, mitræ ſeu cidares erant, quæ cùm duobus cacuminibus ſurgant, ex vna baſi & fundamento, diuinitatem ſimul & humanitatem in Chriſto ſignificabant: quæ ſic in vno Chriſto coëunt, vt ab eo vtramque, aut vnam ab altera ſeparare, hæreticum & pluſquam impium ſit. Significant præterea nouum & vetus Teſtamentum, illud in hoc incluſum, & hoc illud contegens, vt lucerna, prænium, & vt rudimentum primum ad illius fidem & receptionem præambulum. Vnde in primitijs ſuæ doctrinæ antequam Petrus Chriſtum filium Dei eſſe pronunciaſſet, & quàdo Ioannes, inquit Tertullianus, de illo certus eſſe deſijſſet, dixit diſcipulis ſuis Dominus; Quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis: nempe Scripturas, vbi vera Chriſti cognitio & Euangelij quærenda erat: ſicut nunc in Eccleſia Romana, ex qua ad accipiendam veram fidem, auctoritas præſtò eſt, ſanguine principum Apoſtolorum Petri & Pauli conſecrata.

Tertul. lib. de præſcri-ptionibus hæreticorum.

Quocirca idem auctor aſſerit: prius peculiariter Apoſtolos in prophetijs inſtructos eſſe, quàm Chriſto plenè credidiſſent. Ait equidem, Apoſtoli ſatis iam audierant Moyſem & prophetas, qui ſequuti erant Chriſtum credendo Moyſi & prophetis: Nec enim accepiſſet Petrus dicere; Tu es Chriſtus, antequam audiſſet, & credidiſſet Moyſi & prophetis, à quibus ſolis adhuc Chriſtus annunciabatur.

Aduerſus Martion. lib. 4.

Iohan. 6.

Hinc etiam Iudæos, qui ob ſua delicta retro penes Deum fuerant; quia locum, vbi quærendus erat Dominus, & quæ ianua pulſanda, vt qui eiecti foras exierant, optimè nouerant, ad campum ſcripturarum, in quibus ipſi nutriti fuerant, ad quærēdum Dominum mittit, & ad oſtium domus pulſandum, à quo exierant. Ad quos etiam ſpectat, quòd dixit. Habent Moyſem, & Heliam, hoc eſt, legem & prophetas, me, ſcilicet prædicantes. & alibi: Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis, in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Quod & apertius illis Dominus intimauit, dicens: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierūt domus Iſrael, vt quæ prima elementa haberent, ad fidem Chriſti Ieſu, eiuſque ſacri Euāgelij accipiendam.

Iohan. 5.

Matth. 15.

His ergo ſic ſe habentibus, omnino impium eſt, integritatem fidei vtriuſque Teſtamenti, vel in minimo tangere. Quòd hìc voluit animaduertere Dominus. Eam quippe reuelauit Chriſtus Apoſtolis, quos ad eam prædicandam miſit: Quare alij prædicatores, qui ipſorum doctrina non fuerint inſtituti, audiendi non ſunt, quia doctrinā cæleſtem non afferent, cùm nemo nouerit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, vt fecit Apoſtolis.

Matth. 11.

Apertè igitur in mendacio deprehenduntur omnes hæretici Lutherani, Caluiniani, & eorum ſequaces: cùm neque à Chriſto inſtituti prædicatores, neque ab eius Apoſtolis,

Christianos mores corrumpendo, vestem sacerdotalem Ecclesiæ dilacerent. Prohibet item scindere vestes, ad idem spectans: omnes enim Christiani in Baptismo, vestem sacerdotalem (efficimur siquidem in eo, vt inquit B. Ioannes, regnum & sacerdotes) [Apocal. 1.] integritatis vnius fidei Iesu Christi induimus, quam venerari, colere, & seruire in æternum pollicemur: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, ait Apostolus. [Galat. 3.] Rumpunt autem hanc vestem, imò ipsum Christum hæretici, progenies horum, qui ignem alienum submiserunt. Quos omninò vitandos præcipiens Aaroni cum memoratis sacerdotibus, vestes scindere inhibet. Iubet præterea tabernaculum non egredi, quòd vnctionis sanctæ oleum habeant. Vbi cùm tabernaculum Ecclesiæ figurasset, planè docet cæli scalam eam esse, neque extra Ecclesiam salutem contingere. quod insinuans, egredientes perituros, & non morituros, vt antea dicit: vt hoc ad corporis mortem, illud verò ad animæ mortem in inferno referatur. Cùm autem hoc ad totú populum pertineat, Aaroni, Eleazaro, & Ithamaro, tantùm intimat, quia primas voces in conseruatione religionis habebant; & caput omnium Aaron constitutus erat. Vnde toti populo religio communicanda erat: vbi priuilegium etiam sedis Apostolicæ Romanæ permásuræ semper in integritate fidei obumbratur: cùm Aaron successoris Petri aperta figura sit, sicut Christi. Habet enim Romanus Pontifex excelsiorem in Ecclesia locum, atque Dei adiutorio ad vincendos Ecclesiæ inimicos diuinitus est roboratus. Vnde Aaron, qui eum refert, excelsus interpretatur, & collateralis eius Eleazar, & Ithamar Dei adiutorium, & insula palmæ vertuntur. Ad hæc, cùm peccatum pestiferum, & serpentinum (quale est hæresis) in Ecclesiá contingit, sacrificijs, & orationibus, etsi omni tempore; verùm tunc potissimú cum Deo agere & negotiari, maioribus Ecclesiæ concomitantibus, debet. Quare Aaron hîc cum suis comitibus tabernaculum egredi non permittitur, vt suo officio vacet, & opportunus & importunus Deo negotiator existat. & rursus verbi diuini indefessus prædicator, & inuulgator, pro Spiritus sancti gratia sibi collata, in defensione catholicæ fidei persistat, vt ex officio incumbit. Quod significans Dominus antiquis his sacerdotibus, propugnationi legis intendere, & eius conseruationi inuigilare præcipit, quòd oleum vnctionis super se habeát. Quasi diceret: prædicationem legis datæ, ex vnctione quam susceperant iniunctam habere, vt ab ea non cessent, nec declinent, sicut consortes eorum fecerút. vt hunc locum interpretans beatus Ioannes de obseruatione verbi Dei differens, dixit: Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis: non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus: & verum est; & non est mendacium. [1. Ioan. 2.] Vbi manifestè prædicationē diuini verbi, quam acceperant, vnctionem appellat. Quia gratia Spiritus sancti communicata & accepta. Bene tamen populo cum alijs sacerdotibus, vt curæ eius ad vitę necessitates amandatis: (vt Diaconi tempore Apostolorum extiterunt, quibus núc Parochi succedunt) luctus & planctus permittitur, imò precipitur. Etenim mortuos lugere, & virtutis & religionis, atque proprię charitatis officium est. Ita sane societatis humanę vinculo constringimur, vt nemo sit vel natura impellente, qui è medio ferri socium videat, qui similem exitum sibi præstitutum non cogitet, & ita communem casum non sentiat: & tantò magis, quantò sanguine, amicitia, aut necessitudine alia fuerit coniunctior. Quoniam plura vitæ adminicula sibi deficere, & mortis violentia auferri videt. Est item religionis non exigua pars, quando quidem, planctus lugubres vestes, monimenta sunt, quibus homines in se recolliguntur, antiquos mundi plausus & consuetudines negant, & mortis recognitione, quæ vitiorum exquisita medicina, & appositissimus virtutis exercendæ stimulus existit, à peccatis abstinent. Quòd si huiusmodi mortui sunt, vt pastores vitæ spiritalis constituti essent, qui doctrinę pabula præstarent, virtutis gubernacula administrarent, necessitatibus vitæ prospicerent, ita vt populus in sui legitima progressione ex ipsis pédeat, quibus lacrymis lugendi, quibus sentibus eorum absentia, sublatio, & profectio non erit lugubriter prosequéda? Huiusce siquidem cōditionis, sublati hîc sacerdotes incendio fuerunt. Quapropter iure optimo planctus à populo super eorum morte sumendus præcipitur. Nulla enim tam grauis punitio populo admoueri à Domino in præsenti potest, quàm maiorum casus: non fames, nó pestis, non gladius, vsque adeò populi vorator existit, quàm bonorum prælatorum & principum sublatio, & prauorum suffectio. Hinc enim animarum ruina, legum contemptus, & religionis abolitio: isthinc autem corporum tantum interitus, & vitæ præsentis

ſentis anxioſa,& indiga ſubiectio. Sunt quippe ſuperiores populi caput, à quo tota virtus,vt in humano corpore deriuatur, & forma gregis facti, quæ vitam,vim, & efficaciam incompoſitæ materiæ plebis tribuit. Meritò ergo ſacerdotum ſuorum, defectionem religionis,morte mulctatam,plangit populus. Verùm in hoc ſtupet animus,quòd procerum caſus populus lugere debeat, & ob eorum etiam peccata plecti. Indixerat enim Dominus Aaroni,& duobus comitibus capita non nudare,nec veſtes ſcindere: alioqui ait: Fortè moriemini, & in vniuerſum cœtum orietur indignatio. Nunquid pro peccatis maiorum alienis populus plectendus venit? Quò hęc bone Deus tendit comminatio? an abuſum principum ob ſuam libidinem populos prementium approbas? quos quidam deridendo dixit: Quicquid delirant Reges,plectuntur Achiui? Minimè quidem: ſed indiuiduam eam conſequentiam Dominus inſinuare voluit, qua populus vti iure hæreditario,maiorum ſcelera & peccata ſequitur,& imitatur: quam in grauiſſimam illorum punitionem permittit Dominus,& vt eam fugiant,atque ruinas ſui populi metuant, cuius cuſtodes eos conſtituit, ſe eam punirurum ſi peccauerint, comminatur. Vt tanquam parentes vices filiorum acerbas timendo, peccata caueant, & impenſiùs functioni à Domino commiſſæ inuigilent. 1. Pet. 5.

Dixitque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, & vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ loquutus ſum ad eos per manum Moyſi.

CVM mentis vis ſit,ad optima quæque inuitare: tunc in propria ſede,& throno reſidet, quando in corpore exiſtens, eius pondere non deprimitur, vt eius nutibus ducatur, imò eidem dominetur & præſideat,vt liberum ſit cùm oportuerit, ad negotia rerum ſpiritalium aſcendere ex ſenſibilibus, quod commodum & ipſi adminiculare eſt, tantum accipiens. Quæ cura cùm neceſſaria ſit,ſtadium vitæ Chriſtianæ legitimè currere procuranti; potiſſimùm tamen his, quibus forte Domini ſacerdotale munus contigit,quibus ex officio iram Domini placare, atque amicitiam inter Deum offenſum,& populum peccantem conari incumbit. Hoc autem in corpus animæ dominium, apprimè abſtinentia & ſobrietas negotiantur, quibus corpus obtemperare diſcit, & anima laboris diſciplina eruditur à Domino. Vnde per prophetá ſacerdoti dixit, Quia tu ſciétiam repuliſti,repellam te,ne ſacerdotio fungaris mihi. Itaque & ſcientiam comparat ſacerdos ad propriam vitam in officio religionis continendam,qua prophanum à pio & ſancto, & pollutum à mundo diſcernere valeat: & præcepta, atque legitima Domini, quæ populo olim per Moyſem,& tempore gratiæ per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum,ad populum docédum,promulgata ſunt. Ex quo loco legitimè ab Eccleſia conſtitutum eſt,vt ieiuni ſacerdotes ad celebrandam Miſſam accedant.& rurſus,vt cælibes ſint,nec matrimonio copulentur,vt aptiſſimè notat Rupertus. Ná vſus fœminæ quantumuis honeſtè & ſanctè in matrimonio fiat, ſapientis etiam mentem rapiendo, & in terreſtres voluptates deprimendo deijcit,& quodam modo eneruat. Vnde & homines alioqui doctos à vera mente deturbat; præſertim tamen, quando laſciuè & extra leges Sacramenti matrimonij fit; & res inſuper nouas moliri facit, vt omnes hæretici noſtri temporis aptiſſimo exemplo ſunt. ſolutiorem iré vitam requirit, quàm Dominus à ſuis miniſtris exigat,qui cum ipſo conuerſari,populi negotia quotidie tractare,& ipſummet in Miſſæ celebratione, in ſe, atque intra ſua viſcera recipere debeant. Vnde B. Paulus Corinthijs dicebat: Nolite fraudare inuicem,niſi fortè ex conſenſu ad tempus,vt vacetis orationi. Vbi de legitimis coniugibus loquebatur,vt vel temporis articulo Deo negotiarentur. Quibus ergo ſemper negotiandú eſt,& non ſolum orationibus,ſed in tanti Sacramenti tractatione, ſemper abſtinendum eſt, Quibus inſpectis Sapiens aliquando dixit: Vinum apoſtatare facere ſapientes. vinum enim in hoc loco,vt ſæpe etiam in Scriptura, amorem ſenſibilem, & ea quæ ipſum nutrire, & augere ſolent, ſignificat. Quamobrem tá rem licitam,vt vſum legitimum propriæ vxoris in matrimonio,quàm illicitam aliam conſuetudinem, & quamuis inhoneſtam actionem, nomine vini & ebrietatis

Ariſto. lib. 1 Ethic.

Oſeæ 4.

Ariſt. 4. Ethic.

1. Cor. 7.

Eccleſ. 19.

ebrietatis hîc ingressuris tabernaculum testimonij, pro eo tempore interdicit. Oportet enim, qui ad sacra tractanda accedit, puro & sacrato amore charitatis in Deum, & proximum ardere, non sensibilis & corporatæ vitæ obtutibus torpere, nunquam vel digito à sensibus se attollendo.

Loquutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento iuxta altare, quia sanctum sanctorum est. Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi & filijs tuis, de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. Pectusculum quoq; quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filij tui, & filiæ tuæ tecum. Tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostijs salutaribus filiorum Israel, eò quòd armum, & pectus, adipes, qui cremantur in altari, eleuauerunt coram Domino: & pertineant ad te, & ad filios tuos, lege perpetua, sicut præcepit Dominus.

MIRANDA profectò erga nos Dei charitas, & nostra profundiùs contemplanda ruditas: leges superiùs condidit Dominus, quibus cōuenienter sacerdotes ad altare accederēt, & nunc modum, quo eas debitè exequantur, & compleant, peculiariter docere non grauatur, nostræ prospiciendo inertiæ. Igitur etsi igne alieno cōbustis sacrificijs, quæ Aaron superiori capite parauerat, vsum restantium iuxta præscriptas leges dirigit, & manus exercitio admouere docet. Et in primis cibaria, quæ vltimo loco disposuerat, hic primò & iuxta aram, & absque fermento Aaroni, & Eleazaro, & Ithamaro, qui ex filijs eius residui fuerant, comedere iubet: Deinde quæ ex sacrificijs supererat, eundem, & filios comedere in loco sancto etiā iubet, quibus ex iure sacerdotali suprà deberi statuit: tertiò pectus & armum dextrum, quæ eleuata & separata fuerunt sibi & filijs & filiabus, in loco tamen mundo edere præcipit, & iure sempiterno eisdem deberi, sicut sancitum est, iterum aduertit. Quæ cùm vt prima rudimenta spiritus edocendi proposita fuerint, mysteria recondita, infantiam iam & pueritiam excessis, enucleare conuenit. Principio ergo vsum sacrosancti Sacramēti Eucharistiæ hîc præscribi pro certo habe. Quod & textus sacer manifestat, cùm sanctum sanctorū esse dicit, quod sumptione cibariorum notatur. Et rursus, quoniam primo loco eorum vsus propositus fuit, quæ in præparatione vltimum habuerunt; quia cætera omnia eodē seruiebant, & præcedere debuerunt, vt vmbra corpus: verùm in vsu præcedit, sicut primum in quod ferebatur Spiritus sancti intentio, & ob quod præparata reliqua in lege fuerunt. Atque hinc absque fermento cibaria hæc comeduntur: quia in cœna agni in pane non fermentato sanctum hoc Sacramentum instituendum erat: & in hoc item sancto loco, quia super aram & altare in sacrificio sancto Missæ à sacerdotibus sumendum. Quoniam autem sanctissima Iesu Christi caro in eo sumitur, dicente ipsomet: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mūdi vita: & rursus, Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Hic in loco sancto cum cibarijs carnes, quæ supererant ex sacrificijs, simul comedere præcipit: sub speciebus quippe panis & vini, quæ panem repræsentant, vera caro & verum corpus Christi sumitur, & manducatur; quoniam de sacrificio loquitur, cui annexum est oblatum sumere, in loco sancto, & iuxta aram comedere præcipit. Vnde sacerdos euangelicus, quia corpus & sanguinem Christi redemptoris nostri in sancto sacrificio Missæ offert, corpus & sanguinem iure optimo sumit. Secus autem laici, qui Christū sub specie panis tantū assumūt, quia non sacrificant. Etsi vsus sanguinis aliquādo permissus fuerit, vt recens & rudis in tantis mysterijs Christi populus disceret, pro nostra redemptione totum sacratissimum Christi sanguinem in cruce effusum fuisse, & sub speciebus vini in calice verum sanguinem Christi contineri. Quæ consuetudo eousque perseuerare debuit, quousque sub vtriusque speciebus totum Christum, vt est in cælo gloriosum, contentum esse firmaretur: & tunc communicatio calicis laicis cessare, propter pericula effusionis, & irreuerentiæ, quæ in prospectu videbantur. Et insuper vt doceret Missæ sacrificium non minus conficiendum, nec minus gratum sibi futurum ex opere operato à malo, quam si à bono sacerdote celebretur, sacrificium hîc

Iohan. 6.
Lucæ 22.

igne alienum combuſtum, Aaroni & filijs eius reſtantibus mandare præcipit: non minùs ac ſi igne legitimo egreſſo à Domino, & iuxta eius præſcriptum accenſum eſſet. Demú eſum pectoris & armi dextri eleuati, filijs & filiabus in loco tamen mundo concedit, iuxta ſuperiùs diſpoſita. In quo vitæ integritas commendatur, quæ tunc numerum virtutis abſoluit, quando cogitatio & actio in Dei gratificationem coëunt, & quádo quod finis rectus (qui cor vitæ exiſtit) conſulta ratiône præcipit, manus & opera exequuntur; Imo vt Dei operator ſtrenuus, ne laboribus perterritus ab officio deſiſtat, humeros ipſis accuratè ſupponit. Nam in hoc toros poſitos eſſe ſuos aſſeclas deſiderat Dominus, vt ita cum laboribus continue bellum definitum habeant, ac ſi ad hoc tantùm vocati & ſtipendiati eſſent: Quod quia à viris & fœminis in vniuerſum præſtari cupit, pectus & armum dextrum in eſum omnibus concedit. ſed in loco mundo, comedentium munditiam ſignificans, quæ tunc contingit, quando pœnitentia vita agitur. Et rurſus iure perpetuo ex ſacrificijs pacificis, hęc his obuenire iuxta ſancita definit: quoniam & ſi ſacrificia & cæremoniæ, quæ hîc præſcribuntur, ceſſaturæ erant, vt defunctas iam videmus, nunquam tamen ſpiritus legis, qui ipſa côtegebatur, imò ex ipſa & ſacrificijs tanquam ex folliculis foras per Euangelium ſanctum prodíturus. Quod libertatem contra legis ſeruitutem attulit, & Dei voluntatem abſque fuco, & literæ tegumento, manifeſtum exhibuit. Hæc autem, cor legis, & dexter armus eiuſdem exiſtunt, quæ ad Eccleſiæ filios ad finem vſque ſæculi ſpectant. Quod Regius Pſaltes de electis ad cæleſtes ſedes, reprobis expulſis, dixit: Congregate illi ſanctos, qui ordinaut teſtamentum eius [Pſal. 49.] ſuper ſacrificia, hoc eſt, illos, qui voluntatem Dei & ſpiritum legis, vt teſtamentum, ſacrificijs prætulerunt, vt eleganter diuus Auguſtinus interpretatur.

Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cùm quæreret Moyſes, exuſtum reperit: iratuſque contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron, qui remanſerant, ait: Cur non comeditis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, quæ ſancta ſanctorum eſt, & data vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini, præſertim cùm de ſanguine illius non ſit illatum intra ſancta; & comedere debueratis eam in ſanctuario, ſicut præceptum eſt mihi? Reſpôdit Aaron: Oblata eſt hodie victima pro peccato, & holocauſtû coram Domino, mihi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremonijs mente lugubri? Quod cùm audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem.

NEMO exiſtimet peccans proſpectum Domini fugere, aut commiſſi pœnas debitas euadere poſſe. Vtrumque enim hoc loco Dominus docet, dum per Moyſem, fractionis ſuorum præceptorum rationem requirit, & deficientes arguit. Sed ſuſpicienda ſemper Domini benignitas: vt iudex ad viſitandum venit, & nihil non agit, vt delinquentes ad pœnitentiam moueat, & rationem ſui reddant, & ſic vltricem ſuam manû præueniant: Huius ſiquidem cauſa, tactus dolore cordis, Adam auerſum prouocabat [Geneſ. 3.] dicendo: Adam Adam vbi es? & hoc loco indulgentiæ ſtudioſus, per Moyſem, prætermiſſam comeſtionem victimæ pro peccato, queritur, vt ſui rationem reddendo, incolumes ſacerdotes euadant. Obijcit illis ergo Dominus, quod victimam pro peccato non comederint, hoſtia pacificorum contenti. Etenim qui doctriná alienam à ſanctionibus ſanctæ matris Eccleſiæ prædicât, in Spiritum ſanctum peccant: quod peccatum [Matth. 12.] neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittitur: quia voluntariè peccantibus, id eſt, in malitia perſeuerantibus, non relinquitur hoſtia pro peccato: vnde pro ignorantibus [Hebr. 10.] hoc lib. ſolum conſtituta fuit. Peccatum enim in Spiritum ſanctum Euangelio & catholicæ doctrinæ vim facere definiuit B. Stephanus, dicêdo Iudæis pertinacibus: Dura ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut [Actor. 7.] patres veſtri, ita & vos. Huiuſmodi ergo peccatum ſacerdotum ignem alienum ſupponentium fuit; qui quoniam pœnitentiam non egerunt, morte percuſſi fuerût. & quod Aaron & reſtantes filij pœnitentiam pro eo peccato ad multitudinem continendam in officio, ne ſimiliter delinquendo, à Domino plecterentur, nô aſſumpſerint, ſe dignos reprehenſione præſtiterunt. Pœnitentia enim, & ad remiſſionem peccati & ad officij exemplum

exemplum omnino valet: ob quod ita ſacroſancta Domino habetur, vt angeli in cælo (Lucæ 15) ſuper vno peccatore pœnitentiam agente tripudient, & gratulatorium munus ipſi exhibeant. Quocirca & hoc loco victima pro peccato ſancta ſanctorum dicitur. Referebat ſiquidem Chriſtum in cruce pro peccatis noſtris oblatum, vt B. Paulus interpretatus eſt (1.Cor.5.): Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in illo. Et quoniam remiſſionem peccatorum nanciſci, eſt per pœnitentiam mortem eius noſtram facere, eamq́; mentis ore ruminando, traijciendo & in ſtomacho coquendo, ſpiritum alere, & ſuſtentare, hic comedere hoſtiam pro pœnitentiam agere accipitur. vt potare aquam cineribus vituli conſperſam, in ſignum pœnæ ob ſcelus idololatriæ (Exod. 32.) commiſſum, quæ ſtatim ſubſequuta fuit, Moyſes aliquãdo populũ coegit. Exaggerando præterea Moyſes peccatum ſacerdotum, reos conſcientiæ arguit: cũ ob eam cauſam, vt iniquitatem multitudinis portent, hoc eſt, vt in ſe per pœnitentiam recipiendo, propagationem eius in populum cohibeant, & vt orationibus multitudinis incolumitatem, cum Domino negotientur, ne peccati morſibus percutiatur, ius victimæ illis conceſſum eſt. & rurſus rem augendo dicit, eius victimæ ſanguinem in tabernaculũ teſtimonij non eſſe illatũ: nam huiuſmodi hoſtiæ eſus, tunc non dabatur, cùm igne extra caſtra abſumeretur, dicente Apoſtolo (Hebr. 13.): Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem: horum corpora cremantur extra caſtra. Reſpondit autem Aaron, ſublationem filiorum in ipſa officij functione cauſam fuiſſe, quòd non comederit, exiſtimans, quòd mente lugubri in cæremonijs, Domino nõ poſſet placere. Quaſi diceret: ſi oblatio vſque adeò Domino exoſa fuit, quòd in ipſa actione, duos filios meos morte percuſſit, quomodo de ipſa oblatione comedendo, quod ad cæremonias pertinet, illi placere poſſem? ſciat ſiue ignoret cauſam mortis filiorum, in quo aliqui laborant. & placuit Moyſi reſponſio, accepitq́; ſatisfactionem. Vſque adeò enim benignus eſt Dominus, vt non imputet tranſgreſſionem, quam ignorans omnino quis committit, zelo tamen placendi Deo. tunc enim teſtimonium conſcientiæ ante tribunal Domini excuſabit, & defendet, iuxta doctrinam B. Pauli de gentibus naturali lege agentibus · teſtimonium reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitantibus (Rom. 2.), accuſantibus, aut defendentibus, in die, cũ iudicabit Dominus occulta hominum. & aliter, non comedit de oblatione, quia doctrina propria, & innixa tantũ viribus hominum, quam ignis alienus figurauit, nemo, pœnitentia tali orationem fundere legitimè poteſt, neque oratione ſimili pœnitentiam adipiſci, quæ Deo placere poſſit: Atque hoc ſignificans Spiritus ſanctus, per abſtinentiam Aaronis & filiorum, proprio eiuſdem ore vulgare voluit. Hoc autem cauere gloriæ eſt Domini: vide quàm legitimè Moyſes ſatisfactionem accepit. Etenim, vt proprijs commodis tantùm paratam legem Iudæi inclinauerunt, inde ambitioni & auaritiæ propriæ, ea vtentes, ſpiritum omnem eius extinxerunt; & callo peccati hinc indurati, Chriſtum Ieſum noſtrum, ſpiritũ eius enucleantem, audire noluerunt (Iohan. 15.). Quod idem Dominus Scribis & Phariſæis obiurgans, dicebat: Si non veniſſem & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: modò peccatum eorum manet, ſcilicet in Spiritum ſanctum. Legis enim ab ſpiritu Dei alienationem (quam ignis alienus ſignificauit) recogitans Aaron mente lugubri, & repudiationem ſui populi ob eam videns, mœrore confectus, non comedit. & acceptauit Moyſes ſatisfactionem: quoniam ſic futurum Dominus diſpoſuerat, vt Iudæis derelictis, ob duritiem ſui ſenſus, in cæremonijs Legis, Euangelium & gentes ſubingrederentur. Vbi tu Chriſtiane lector vide Domini manum in eos, qui legem, & Dei religionem proprijs commodis ſeruire faciunt, ipſiſq́; ad ſuum luxum abutuntur: Et time ne diuitijs Euangelij fumoſo, ſimile tibi contingat; & oliua ſpecioſa Dei miſericordia factus, in oleaſtrum relabaris (Rom. 11.), vt monet B. Paulus. Præterea docemur, ſpiritus triſtes, & ſenſu rei aduerſæ occupatos, interim quòd oppreſſi iacent, Deo actione ſpiritus non poſſe attendere, donec è ſenſu ſurgant, & ſurſum animum attollant. Quod Sapiens vidẽs ſpiritum triſtem fugere, his verbis docuit (Eccl. 30.): Miſerere animæ tuæ placens Deo, & cõtine, & congrega cor tuum in ſanctitate eius, & triſtitiam longè expelle à te. multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

LOquutusque est Dominus ad Moysem & Aaron, dicens: Dicite filijs Israel: Custodite omnia, quæ scripsi vobis, vt sim Deus vester. Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animãtibus terræ: omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus comedetis. Quicquid aũt ruminat, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut camelus, &c. non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. Chærogryllus, qui ruminat, vngulamq; non diuidit, immundus est: lepus quoque, nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit: & sus, quæ cùm vngulam diuidat, nõ ruminat. Horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis.

EFFORMATIO populi illius antiqui Israel, figuratio, & prototypus quidam fuit populi Christiani, Euangelij tẽpore. Vnde egresso è tabernaculo igne, qui vsq; ad captiuitatem Babylonis in altari permansit (quæ destructionem populi Iudæorum ob interfectionem Christi, proculdubio significauit) alter multò diuinior, qui Ecclesiæ adesset, amoris nempe, & gratiarũ Spiritus sancti die Pentecostes, lege Euangelij sacri à Christo Iesu nostro cęlitus prædicata, è cæli tabernaculo mirabiliter descendens, super Apostolos cum spectatione orbis comparuit. Vnde conditis legibus, quæ ad Dei cultũ conuenienter exhibendum expedirent, vt cautiùs mandata seruarent, à suo commercio & conuictu, tanquam cibos sibi infaustos & insuaues, gentes, immundorum animalium, & ciborum nomine excludit. Etenim cùm vsq; adeò immersæ corpore agãt, vt ad spiritus & vitæ animæ contemplationem nunquã assurgant, mensæ Domini ineptæ epulę sunt: Quapropter à suorum edulio & commercio, in quibus curam spiritus amat, meritò excludit. Repugnant præterea Domino, eas ad sui cognitionem inuitãti, & ad pœnitentiam exspectanti, perinde ac fera animalia hominibus: Vnde omninò inutiles fidelibus existunt, nisi solùm ad exercendam virtutem, bellis & infestationibus. Ob quã causam, eas etiam permittit Dominus. Non enim, inquit, delebo nationes, vt habeatis Iud. 2.
hostes: Nec minùs venenosæ Iudæis quàm serpentes sunt, eos contingentibus. Verùm cùm tantis diuitijs, & indulgentijs abuterentur, neque ad fructus arboris crucis decerpendos pædagogia legis præpararentur, prædicatione Apostolorũ ex gentibus congregata est Ecclesia, & immũda animalia feritate exuta, mũda facta sunt, & Domino morigera, & per fidem Euangelij sacri veneno amisso, in grege, id est, Ecclesia Dei sociabilia in charitate, probata sunt. In cuius rei mysterium vidit B. Petrus cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in Actuũ 10.
terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentes terræ, & volatilia cæli: cui iussum est occidere ex eis, & manducare: & renuenti, quòd immũda essent, & lege hęc prohibita, respõsum est: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Vbi vides gẽtes ex hoc loco immunda animalia fuisse: & per occisionem, qua feritas repugnandi Deo moritur, & per manducationem, qua ad pœnitentiam peccator ore & stomacho prædicatoris & confessoris præparatur, gẽtes ad Ecclesiam venisse, & peccatoris cuiuslibet simili forma reconciliationem negotiandam. Recepit ergo iam gentes ad fidẽ, & ad publicam suæ Ecclesiæ scholam, lege hac abrogata, quæ vsq; ad memorata tempora perseuerare debuit: vt eo populo sic adunato, per legem & prophetas pollicitationem redemptionis Adæ primo parẽti factam, repeteret, expressionem faceret, & proprijs figuris, ac viuis coloribus Christum Iesum Redemptorem nostrum, vt tempore suo eum reciperent, designaret. Ipso autem iam pręstito, & suæ legationis functione peracta, in populo, cui credita fuerant eloquia Dei, oportuit etiam gentes, ad conuiuium suæ mortis, simul resurrectionis & ascensionis, per integram fidem, charitatem, & spem admittere, atque in sua Ecclesia recipere, quorum gratia populum Israel coëgerat, vt tãquam in publico spectaculo, Christi stupenda miracula, redemptionis hominũ admiranda mysteria, totus mundus contemplaretur. Præterea quod etsi natura ita comparatum sit, vt promerẽdæ gratiæ inter homines, ansæ, tum doctrina, tùm opera beneficentiæ existant: Cùm autem eo docentis, & benefacientis amor procedit, vt patrimoniũ, honorem & famam, atque vitam pro redimẽdo amico exponat, (præsertim si illustris & ingenua persona sit omninò, in quem beneficia tot collocauit) beneuolentia deuincit, & in sui amorẽ rapit.

In hunc igitur modum Omnipotens,& Altissimus Deus rem nostram gessit: Nam omnibus plane hominibus, paucis demptis, Patriarchis, scilicet & Prophetis, cum paucis alijs vitiorum & peccatorum tenebris obrutis à Deo & potentissimo Domino, in idola, blasphemias, & omne genus impietatis declinãdo, primùm luce suæ doctrinæ & legis, & beneficijs etiã innumeris populum peculiarem ad se asciuit, gratiam continue ipsum docendo, defendendo, & magnis largitionibus donando, eum promereri visus est. Et deinde tempore beneplacito accedente, ipsemet Deus vnigenitus Filius æterni Patris, non solùm luce Euangelij illustrando, sanitates restituendo, beneficia magna resurrectionis mortuorum conferendo: sed neque honori, famæ, neq; vitæ propriæ pro hominibus redimendis parcendo (siquidẽ præstigiator, Diaboli socius, hæreticus, aut Samaritanus, factiosus, vini potator, & amicus publicanorum à suis æstimatus) tandem spontaneus mortem pro saluandis hominibus complexus est, vt vel hac ratione omnes homines, horum mysteriorum liberi inspectores, & inauditi amoris contemplatores, in sacrosancto illo pectore exardescentis, vicem rependerent, & redamando eius legibus & iussis vincirẽtur. Nulla equidem gens adeò agrestis, immanis, & inculta est, quæ tanto, inexhausto, & indicibili amore, non ad redamandum trahatur. Hinc enim gentes, quæ immundæ Domino fuerunt, post Christi ascensionem, & Spiritus sancti aduentum, ad ipsum anhelantes confugerunt, & mundæ in Ecclesia catholica factæ sunt. Ex quibus potissimùm Christianus populus constat. Quoniam qui feri, & immanes fuerant, tanti amoris magnitudine attracti, domiti sunt, atque Ecclesiæ legibus subiecti: tanta enim vis amoris fuit Christi Iesu Domini nostri. Quã vim, & efficaciam vocationis gentium, designauit Pater æternus, quando vnigenito Filio suo inuitationis hominũ, ad cælestes

Luca 14 nuptias, munus iniungens, dixit: Cõpelle eos intrare: vi, nempe, amoris, qui suauissimè operatur. Propius tamen ad literam accedendo, per immũda animalia, non solùm gentes, verũ omnes, qui in populo suo perperam agerent, & extra viam mãdatorum Domini effrænes vagarentur, primùm & immediatiùs intelligit. Per esum enim animalium mundorum, virtutis exercitium, & per immundorum abiectionem, vitij fugam, significat. Atqui quoniam in populo Dei, vt in Ecclesia, boni extiterunt, qui Deo audientes, virtutes colerent: & mali etiam, qui desiderijs hominum viuant, ad voluntatem gentiũ

1. Pet. 1. cõsumandam, quibus præteritum tempus sufficere debuisset, vt inquit B. Petrus: vt voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuant temporis: populum ergo suum, quẽ hactenus sacrificijs, in cultu Dei & religione instituerat, eundem iam moribus componere studet, quæ amplectenda, & quæ vitanda sint in cõmuni cursu vitæ peculiariter ostẽdens: vt sub officio mandatorum decalogi iam positi, vallo huius doctrinæ munitus, diligentiùs contineatur. Discretione autem ciborum, virtutis actiones Dominus præscribit: vt vel hac ratione animam, perinde ac corpus, sub cibo ad vitæ sustentationem aduertat & hinc animę priusquam corporis victum quæramus, & qui corpori tam importuno seruo, ad votũ liberales sumus, animæ, quæ domina & regina est, quòd oculis corporis non videatur, non obliuiscamur, imò ante omnia prouideamus. Idq; mundorum animalium vsu, & immundorum reiectione: vt animales, & rudiores homines, vel animaliũ ipsorũ, quæ munda proponũtur, proprietatibus eruditi, eorũ actiones imitando, mũdi corã Domino inueniantur. Vsq; adeò enim pro sua misericordia hominum vitæ Dominus curã habuit, vt nõ solùm doctrina data, quæ à naturali lege proficiscens, per scripturam, & Euangelij gratiam, ad sua incrementa peruenit, sed in ipsis rebus creatis & animalium obtutibus eidem prospiciendo, tanquam in libro omnibus aperto, morum eruditionem proponeret. Ex quibus iam clarè intelliges, cùm propter morum integritatem suadendam, & corruptionem vitandam, delectus ciborum præscribatur, non hęc animalia amplecti, tanquam natura bona, & illa reijcere tanquam natura mala statuit,

Gen. 1. eùm in fabricatione mundi videns Deus cuncta quæ fecerat, valde bona esse dixerit.

Gen. 9. Restringitur tamẽ post diluuium facultas facta Noæ, qua omnes pisces maris, & omne quod mouetur, & viuit, in cibum hominum tradita fuerũt: tum propter peccatũ, quod viguerat, vt fermè naturã totam iterum vt ante diluuium, corrupisset. Cui occurrendum per mentis exercitium, quod hîc proponitur, definiuit Dñs, & non perdendo, vt antea fecerat. Et abstinentiæ virtus, & ieiunia insuper, quibus nũc sancta mater Ecclesia vtitur, & iussa præcepta seruat, cum ciborum delectu commendantur. Vnica quippe via est, mentem à corpore abducendi, suosq; cogitatus, desideria & actus in honestum dirigendi,

dirigendi, atque scala certa, ad Deum ascendendi, vbi cælestia rimemur. Ex terrestribus igitur animantibus legem statuit: Quæ ruminant & vngulam findunt, in cibum habere: quibus verò vtraque aut altera harum conditionum defuerit, vt cherogryllus, lepus, & sus, omnino reijcienda sunt, ita vt neque horum cadauera contingantur. Quæ discutiéda sunt, vt spititum venemur, quem Dominus prętendit. Principio ergo, quam vngulæ cũ dentibus cognationem habent, vt vti affinia hic coniungantur? commodam sanè, si functiones spectes: Nam quæ esui conueniunt, primum vngulis decerpuntur, dentibus deinde coaptantur, & sic disposita ventri coquenda animalia tradunt. Quapropter appositè satis ruminationem, quæ dẽtibus fit, & fissionem vngularum, à quibus præparatio cibi incipit, simul requirit: quia cibum homini ex ipsis animalibus parat. Quoniam autem his animalibus, quibus vesci dabatur, in exemplum vtitur Dominus, ad eas proprietates explicandas, quas in fidelibus suæ mensæ dignis exoptat, vt quales epulas corporeas homines haberent, tales animæ præpararent, & mensæ Domini apponerent, aptiùs dices: Pędagogiam huius doctrinæ causam fuisse. Desiderat enim Deus in vitæ curriculo, mentem & actionem simul coire, in quo vitę simplicitas, vt in separatione, peruersitas consistit: Vnde columbarum simplicitatem Christus Iesus nos imitari petijt, dicendo: Estote prudentes sicut serpẽtes, & simplices sicut columbæ: & geminos corde Pharisæos & Scribas exosus est, quòd corde & corde ipsi loquerentur, dicendo: Hypocritæ bene prophetauit de vobis Esáias: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè est à me. Discretionẽ agendorũ secũdum doctrinam fidei & in eisdem firmitatẽ, vngula fissa significat. Ea enim diuiduntur, agẽda ab his quæ non expediunt: quæ fixiùs etiam in corde & manu stabilire & retinere, exercendo cõuenit, vt bisulcum animal vngulã diuisam habet, duas actiones ratione cuiuslibet partis notando, & ea ratione firmiùs ponit pedẽ (vt de boue lasso restatur diuus Hieronymus) dum lubricum, partis alterius firmamento fulcitur, & in vestigij soliditate retinetur: vnde non facile labitur, vt solipedum. Designat præterea diuisionẽ spiritus à cortice literæ in legis tractatione, & traditione: vt non contenti literæ superficie, quæ in exemplum, & manuductionem, ad eductionem spiritus posita & adinuenta fuit, spiritum & mentis intelligentiam ex sensibilibus propositis enuclearent, exercerent, & actioni tandem mandarent. Quod potissimùm nobis Christianis in mysterijs diuinis iam exercitis propositum fuit. Et hoc ipsum in eo item, quod stabiliùs bifidum animal ambulat, edocetur. Nam quæ prima fronte in lege proponuntur, cùm sensibilia sint, lubrica & labilia existunt: quæ aũt intrinsecus recondita, menti & intelligẽtiæ obiecta, firma & fixa. Et ideo animal vngulam diuidens firmiùs calcat, quia nõ in superficie, sed interiùs extremitatibus vngulæ terram vehementiùs premendo, eidem annectitur: & huiusmodi firmitudine & stabilitate, etiam fixos in sua fide & præceptis desiderare Dominum suos, planè hoc loco Moyses sanctus figurauit. Per ruminationem verò, meditatione præcepta diuina quasi cibũ semper ore tenere, & eorundem etiam actionẽ in manu, significat. Est quippe verbum Dei animæ cibus, vt panis atque caro animalium alimentũ est humani corporis, & vt fœnum ac herbæ pastus iumentorum & pecorum. Horum autẽ quæ ruminant, eius constitutionis naturalis sunt, vt quæ in ventrem alimẽta demiserint, nisi sursum reuocent, & ore traijciẽdo, per ruminationem moliantur iterum, & terant, in substantiam ipsorum transire non possint: sed inepta omnino ad alendum, aut rumperent, aut animal infirmarent. Perinde igitur verbum Dei tunc animæ cibus, in quem Christianus conuertatur, cõtra corporaliũ alimentorũ naturã, ex quo alatur & nutriatur, existit: quãdo memoria retinetur, & inde tanquã ex ventre per cõsiderationẽ sursum reuocatur, ac meditationibus & cõtẽplationibus ruminãdo, iterũ masticatur. Atq; inde anima sustẽtatur, alitur & roboratur, quia in eius vim, naturã, & efficaciã transit: Quare cũ eloquium Domini ignitum sit, in actionem & virtutis officium statim prorumpit. vnde per ruminationem aptissimè actio significatur. Etenim post reuocationem verbi diuini sursum ad mentis intelligẽtiam & considerationem, nõ intus remittitur, vt animalia, quæ ruminarunt in ventrem, sed eo anima alita, per ruminationem considerationis, ad directionẽ vitæ foras ad actionẽ prodit. Quod Regius Psaltes docuit, dicendo: Eructauit cor meũ verbum bonũ, dico ego opera mea Regi: quasi dicat: pulchra & elegantem actionẽ eructãdo, & extra à cordis intimis reuocãdo exerui carmẽ hoc nuptiale edẽdo. Oportet ergo Christianum quemlibet, qui Deo placere cõtendit, conuenientẽ cibum

Matth. 10.

Hierony. epistol 3. ad Augustinum.

Psal. 118.

Psal. 44.

se mensæ Domini repræsentare, bifidũ animal, ac ruminãs, se modo exposito exhibere? Nã hoc ab illo populo per animalia hæc mũda, Dominus exigebat, & tanto ante tempore propter nos scripta fuerunt. Secũda parte legis, ex animalibus immundis, quæ comedere prohibet, quædam in exemplũ producit: vt camelũ, cherogryllũ, leporẽ, suem, quę singulatim examinanda sunt, vt quã vitam, quos mores exhorrescat Dominus, hinc accipiamus. Hic enim scopus huius legis: aut nũquid de suibus & camelis, vita propter se vitandis, & de alijs mundis amplectendis, cura est Deo? Non enim Deus carneus est, vt carne hac placetur, illa irritetur, vt inquit Tertullianus, aut in has voluptates est positus, vt nostris gaudeat cibis: Esset enim sensibiliter legem loqui, quod sentire blasphemũ est, vt faciunt Iudæi. Quòd si spiritaliter & intelligibiliter loquitur, vt fateri ad deuitandam blasphemiã, necessum est, spiritaliter oportet eã legere, & intelligere. Primũ ergo camelum, tanquã immmundũ reijcit: quòd etsi ruminationem reducat, nõ findit vngulam. Cuius nomine vitam inertẽ, eneruem, & criminibus tortuosam abominatur Dominus. Est quippe tortuosum hoc animal, & iners, & eneruе, vt inquit Tertullianus. Quapropter eos homines notat, qui cũ præcepta & voluntatẽ Domini acceperint, eam meditando ruminant, non tamen foras in operationem mittũt, angustam viam ab spatiosa, nec malũ à bono diuidentes. Istius modi autẽ sunt, homines tumidi, ventosi, quos Dominus per Pharisæos designans, eisdẽ obiecit, quòd liquarẽt culicẽ, camelũ verò deglutirent. & multò ante hoc idẽ propheta notauerat, quando ex Babylone cõtra Dariũ Persarũ Regẽ, ascensorẽ asini, id est, populũ gẽtilem, & ascensorẽ cameli, id est, populum Iudaicũ fumosum, & plus nimio confidentem sibi vidit. qui tamen statim corruerunt. Sunt etiã Iudæi oneribus legis onusti, tanquã ad vehendas tantũ sarcinas nati, vt camelus; ita in sensibilibus præceptis se impedientes, vt intellectũ, & legis mentẽ non transmearent: vnde oneribus importandis semper seruientes, nullũ fructũ inde reportarunt. Quod & Scriptura sancta prodidit, quando seruus Abrahæ tollens decem camelos de grege onustos de bonis eius, abijt in Mesopotamiã, quæsiturus vxorẽ filio domini sui: significans profecto decem præcepta decalogi, per numerũ camelorum, sexcẽtis tamen cæremonijs legis onusta, quæ etsi ad iustificationẽ præpararent, eam tamẽ exhibere non potuerũt. Vnde nõ bona, sed ex bonis secũ attulisse dicit, partẽ & pædagogiã, quæ bona fuit, notans. Cui rei aperto testimonio res ipsa suffragatur. Nam occurrẽti Rebeccę in signum cæremoniarũ legis quas ferebat, & ipsa portatura erat, inaures aureas suspẽdit ad ornãdã faciẽ eius, & armillas posuit in manibus eius. & similis criminis etiã sunt omnes Christiani, qui in externo cultu Dei, & vsu mandatorum Ecclesiæ momentũ vitæ Christianæ solum cõstituentes (etsi impurũ cor suis affectionibus habeant) officiũ debitum Deo impendisse arbitrantur: & satisfecisse plenè, cùm in tẽpla frequẽter conueniunt, Missas audiunt, orarias precationes & votiuas dicũt, sua cõmoda tantũ captantes, imò voluptatibus proprijs obsonantes, & prætextu religionis sua peccata fulcientes, atq; defendẽtes: quorum miseranda sors, vtinã in infernum nõ iam viuẽtes deuoluisset. Sunt enim tepidi illi, quos stomachus Domini retinere non valens, de ore suo euomit. Deinde cherogryllũ immũdum animal ponit: per quod gryllũ intelligerẽ, si ruminaret: mores enim habet, auctore Plinio; quos a suo populo omninò ablegare voluit Dominus, & eo inuito, sequutus est. Est quippe terrestris, vnde cherogryllus est appellatus: Cheros enim terra est, & cũ sua terra effossus, auribus prodest: & auditui fidei populus ille terrestris vtilis fuit, legẽ depositã nobis seruans. Retrò etiã ambulat, vt populus ille fecit, ob quod magnã auctoritatẽ illi tribuũt Magi: terrã terebrat, vt populus ille, nõ nisi terrena quæsiuit: stridet noctibus, vt populus ille legẽ stridebat, & personabat eã iactando, tenebris suprũ peccatorũ obrutus. & tandẽ, vt agris pernicies est hoc animal, ita gens illa depopulandæ legi Dei. Omisso ergo gryllo qui ruminare non videtur, Origenes Ericium intelligit, sequutus 70. Alij animal bestiale, rapax, & mortiferum in genere explicant. Veritas verò Hebręa, teste Nicolao de Lyra, cuniculum habet. In qua varietate placuit, quod Eucherius dicit: Chirogryllos de genere erinaciorum esse, magnitudine propè mediocrium cuniculorum, qui de cauernis petrarum procedentes, gregatim in eremo, quæ est contra mare mortuum, pabulentur. Qui & Echini dicuntur, & ita spinoso, vt alij, defendantur tegmine, vt nec contingi quidem possint. Quibus parem cum formica in comparando victu solertiam esse dicit, poma aculeis affixa in cauernã comportando. Atque vsq; adeò infame est hoc animal, inuidiæ nota, vt cùm optime norit,

se propter

Marginal notes: Tertul. epistola de cibis Iudaeis. (beside "vt carne hac placetur…"); Matth. 23. (beside "glutirent…"); Genes. 24. (beside "grege onustos…"); Apocal. 3. (beside "fendẽtes…").

se propter cutem præcipuè peti, cuius vsus poliendis velleribus inseruit, simulac in periculum se adactum videt, vrina sua emissa tergus omne conspergit, sibi conscium, id inde putrescere, aculeosque sponte mox decidere. Quibus vitijs auaritiæ, scilicet, & inuidiæ potissimùm, populus ille laborauit, vt apertè prodiderunt: illud quãdo dicebant, Si hũc dimittimus, venient Romani, & tollent gentem nostram & locum nostrum: & quando subuentionem parentum inhibentes, illis respondebant: Munus quodcunque ex me est, tibi proderit. hoc autem, quando Dominum Iesum Christum inuidentes, vsque ad mortem persequuti sunt, nec resurgentem & in cælis iam agentem, insectari desistunt. Quæ vitia in ipsis Dominus præuidẽs, fugere, & à se omninò ablegate, & ab esu chærogrylli carnẽ (qui his moribus agebat) lege hoc loco statuit. Postremò leporem & suem inter immũda memorat: leporem ob timiditatem, vt nullius incursui perstet, sed quàm citissimè ad cubile, vt se tueatur, currat. Cùm autẽ militia & tentatio sit vita hominis super terram, exercitui Domini ineptus est, qui nullo perstrepente, perterretur. Nam cùm bellum Domini gerere debeat, totus in suam rem curandam, & domum habitandam, & augendam ita positus sit, vt nulli peccato parcendo, tantùm propter hoc; ad effundendum alienum sanguinem, animum paratum habeat. in periclitatione autem honoris Dei, in subterraneas cauernas, vt cuniculi, meticulosi subfugiant, vt Iudæi fecerunt, quando animosus Ionathas victoriam illam insignem contra Philistæos adeptus est. Itaque in lepore, viros in feminas deformatos accusat: de quibus aliquando dixit Sapiẽs: Lepusculus plebs inualida, quæ collocat in petra cubile suum. Homines ergo vsque adeò sui amatores, vt tanquam huic sæculo tantùm nati viuant, abominatur Dominus. Suem tandem immundam prohibet Dominus, quia non ruminat, etsi vngulam findat, in quo vitam cœnosam, luteam, & sordibus vitiorum gaudẽtem eorum reprehendit, qui bonum suum, nõ in animi generositate, sed in carnis voluptatibus ponunt. Huiusmodi enim sensibilem literæ corticem, & si ab intellectu, & eius spiritu separent ac diuidant, quia tamen non ruminant, id est, ore non habent, & mẽte, vt actionibus proferant, abominabiles sunt Domino: quia actionem à cognitione separãt. Imo stabilitatem & firmitatem, quam in præceptionibus Dei adimplẽdis apponere debuissent, in cœnosis voluptatibus constituunt, vt absque eis agere non possint, vt neque sus nisi lota in volutabro luti. Quos cum omni sua scientia arguens aliquando Sapiens dixit: Sicut circulus aureus in manibus suis, sic mulier pulchra & fatua. Vbi hos cum sua scientia & intellectu, mulieribus comparauit, quòd molles sint, & sua scientiã infatuentur, & cognitione neglecta, quemadmodum vesanæ mulieres pulchritudine. Itaque, vt in his quatuor animalium generibus superbiam, auaritiam, & inuidiam, timiditatem, atque carnis voluptates detestatur Dominus, è diuerso ad legem adimplendam (quæ aliud fronte in exemplum, aliud in recessu mente reponendum continebat) quatuor virtutes vehementer amat, quas ore & manu nos semper habere vult: humilitatẽ, nempe, iustitiam, fortitudinem seu magnanimitatem, & castitatem in corporis munditia, atque corporis puritate.

Iohan. 11. · Matth. 15. · Iob. 7. · Psal. 13. · Prou. 30. · Petri 2. cap. 2. · Prou. 11.

Hæc autem sunt, quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est: omne quod habet pinnulas, & squamas tam in mari, quàm in fluminibus & stagnis comedetis. Quicquid autem pinnulas, & squamas non habet eorum, quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis execrandumque erit. Carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis. Cuncta quæ non habent pinnulas, & squamas in aquis, polluta erunt.

SQVAMÆ piscium ea natura compactæ sunt, vt lucidum in earum mixtione longo interuallo opacum superet: atque ita ob tersionem, qua maximè valent, in tenebris lucent, & proprio lumine videri asserũt Philosophi. Asperæ præterea sunt squamæ, quæ in genus forte vestimenti, piscibus concessæ sunt: & qui sic vestiuntur, ex hac parte pro mundis habentur, quoniam asperi, hispidi, hirti, firmi, & graues mores hominum (inquit Tertullianus) à Domino probantur, & qui sine his sunt, immundi pisces reputantur: quia leues, lubrici, infidi, & effœminati mores improbantur. Insuper vt squamæ splendorem in se continent, perinde opera virtutis luce Euangelij collustrata, lucem emittunt, quam Dominus in suis desiderat, secundum quod dixerat: Sic

Tertul. epistola de liberis Iudæorum.

luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem Matth. 5. vestrum, qui in cælis est. Pinnulæ verò instrumenta sunt, quibus pisces aquas sulcant, & medijs ipsis interuehuntur, & à fimo, statariæ aquæ maris & fluminũ fluctus frangendo, sursum leuantur & surgunt: & tales homines illius temporis & potiori ratione, nos sub Euangelij luce agentes, vt aquas maris huiusmodi diuidentes, ipsis non irretiti, gradiamur, & à cœno & graueolẽtia vitiorũ, ociùs fortitudine fidei, brachijs charitatis & spei remigando, in sublime feramur, fluctus eius frangentes, & quoscunque aduersariorum impetus furijs persecutionum insectantium superãtes. Ad hæc, pisces, qui squamas habent, non ex toto carnei sunt, sed ex parte, & exuere vetustatem possunt, in exemplum prauorum hominum, qui deponere debent veterem vitam, vt Deo placeant: nec excusentur antiquos mores relinquere non posse obtendendo, cùm squamæ amobiles sint. Significant denique ignorantiam, sub cuius tegmine peccatũ sustentatur. Cui rei aper-Actuum 9. tissimo testimonio est, quòd in conuersione B. Pauli, receptioneq; lucis Euangelij, tanquam squamę ab oculis eius deciderunt, qui ignorantiã & legis cæremonias hîc squamis significatas relinquebat. Post hæc, qui pinnulas habent, inquit Origenes, ad superiora aquæ ascenderunt, & aëri viciniores fiunt, manentibus alijs in profundo, remigijs deficientibus: Quare huiusmodi cœnosi sunt, & in imis semper agunt, vt anguillæ. Amat autem Dominus libertatem spiritus, contra seruitutem carnis & sensibilis legis; quare pennatos homines desiderans firmos & stabiles, contra carnis fluctus, per pisces pinnulas habentes, designare voluit. Tandem pinnulæ, legis meditationem, & sublimẽ, atq; cælestem vitam intellectui legis conformẽ innuebãt, quas in Ecclesia ex gentibus congregata, Dominus hîc figurabat. Eam enim deperibat Dominus Iesus: quod significãs, piscibus, qui gentes significabant, ad suum victum vsus est. Ob quod pisciũ nomina nõ notat, quia electorum nomina scripta sunt in cælis. Qui verò reprobi sunt, & rerũ præsenti statu cõtenti, vocauerũt nomina sua in terris suis. In quorum figuram animalium immundorum nomina recensuit Dominus. Qui verò pinnulas non habent, immundi sunt: quia homines sunt, qui nec sublimem vitam, nec cognitionem diuinorum in pinnulas habent: nec squamas, quæ separationem literæ ab spiritu significant, etiam post interpretationes daras, sed tetram duram, ob quã, nec cultum spiritus suscipere patiuntur, abominabiles sunt Deo. Atque rursus hinc, populũ lege Dei & doctrina coaduñatum, & Ecclesiam nunc catholicam Euangelij luce collustratã, proculdubio Dominus intellexit Sanctum enim Euangeliũ & lucẽ habet, qua fideles illuminat: quibus item & pinnulas præstat media charitate, quibus à cœno vitiorũ surgant, & sursum se attollant contra quoscunque diaboli, mundi, & carnis insultus: quæ suo etiam modo lex suo tẽpore præstabat. Interdicitur igitur hominibus omne genus piscis insquamatũ, & malatum: quoniã mensæ Domini tantũ antiquo tẽpore apti erant, qui legẽ seruabant, atque omni obedientia Domino in ea seruiebant, quẽadmodum post Christi Iesu Dñi nostri aduentum, & legationis suæ perfunctionẽ, qui in eius catholica Ecclesia sub iugo Euangelij, eius lucibus agendo, atque pinnulis vitam spiritus attollẽdo, & sustentando, & cũ Colos. 3. Christo resurgendo, quæ sursum sunt sapientes, Domino placent, eiusq; gustui, vt cibi conuenientes arrident. Pinnulis enim Euangelij Christianus quilibet & à terra peccatorum se potest attollere, & in officio virtutis se continere, atq; altiùs in contẽplatiuam si voluerit, cum Domini gratia, quam nulli denegat, assurgere, & alis spiritus volare.

Hæc sunt, quæ de auibus cõmedere non debetis, & vitanda sunt vobis: aquilam & gryphum, & haliæetum, & miluũ, ac vulturẽ iuxta genus suum, & omne coruini generis in similitudinem suam, struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus suum, bubonem, & mergulum, & ibim, & cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem, herodionem, & charadrion iuxta genus suum, vpupam quoque & vespertilionem, omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.

Ex artibus, quas Philosophi naturales appellant, quod natura ipsa, id est, Deus optimus ad sustentationem hominum obtulit, nempe agriculturam, pastoralem, piscatoriam, venatoriam, tres posteriores expressè Dominus recensuit, agriculturam vt ipsis suppositam reticendo: vt doceret hanc ex artibus, quas ipse ordo, & rerum constitu-

constitutio obijciebat, victum homines quæritare debere, non autem ex his quas luxus & malitia hominum, propria actorum cupiditate adinuenissent. Atque cùm pastoralis & piscatoriæ meminisset, hoc loco piscatoriæ mentionem intulit. sit hoc ita sanè. Cæterùm cùm sacerdotes religiosos, & altioris status viros nomine auium designet, cur secus quàm antea in alijs animantibus fecit, non imitandas, imò fugiendas volucres prius ponit? quod genus hoc vitæ cùm à communi & vulgari excesserit, in præsumptionem & confidentiam sui, incautos & non sibi bene conscios extollere soleat, vt omnia sibi arrogent & deberi existiment. In quo quomodo agant, tanquam studiosæ vitæ assertoribus licere arbitrentur: ideo periculi & præcipitij quod immineret, primùm eos admonere oportuit. E contra tamen in communi & vulgari viuendi modo factum est: quòd vita studiosa in incunabulis sit, & regula dirigente, contra ignorantiæ errores, à quibus proficiscitur, & duce indigeret, qui contra vitiorum monstra viam sterneret. In primis ergo iniuriam proximorum, austeritatem, seu asperitatem, ingratitudinem, tanquam otiosorum hominum seueritatem, magnopere in his abhorret Dominus. Nomina autem auium quæ ex raptu viuunt, & soliuagæ sunt, & beneficiorum immemores, huiusmodi sunt: Aquila, gryphus, haliæetus, siue aquila marina, miluus, coruus, cum omnibus sui generis. In eo enim, quòd gregales non sunt, nullum societatis, & charitatis vestigium exhibent: in eo verò quòd imbecilliores sui generis in cibum habent, iniuriosæ sunt, & iniustitiam docent: & in eo tandem, quòd accepta beneficia obliuiscuntur, ingratitudinis magisterium præ se ferunt: Atque cùm hæc vitia abominetur Dominus, ductrices vitæ suis denegando, huiusmodi aues comedere prohibet. Aquila quod rapit comedit, & absque fœdere naturæ erga filios viuit: Quoniam cùm duos genuerit pullos, alterum ipsorum in terram deijcit, plagis alarum expellens, vt inquit Basilius; alterum familiarem sibi facit, propter facultatem alimenti abdicans, quem genuerat: sed ossifraga, vnà cum propullis suis educat. Gryphi crudelitatem, rostrum incuruatum cum sua magnitudine vt aquila, & vngues adunci satis ostendunt. Haliæetus siue aquilæ marinæ rapacitas piscium quibus viuit, non solùm in proprio, sed alieno elemento violenta existens, nomen indidit: ἁλιεύω enim piscor est, & ἀετὸς aquila. Milui etiam, vt importuna pullis gallinarum, ita & notissima furta: quo, vultur auiditate ventris non posterior est: cùm cadauerum præuento olfactu, præliorum exercitus semper sequatur, spe obsonij tractus. & demum coruini generis furta post dolos alios & astutias, agricolæ dicant, cùm postmeridiana prandia reponere obliuiscuntur. Cuius etiam insignem ingratitudinem nec Scriptura sancta siluit, quando missus à Noë explorandi terram gratia, gratitudinis officium, quòd in arca seruatus esset, redeundo non impendit. Deinde supercilium Iudæorum, qui legis gloria abutendo, eam obtendentes, nulli non se peccato implicarunt, cauens: & hypocrisim etiam omnium, qui religionis & Ecclesiæ dignitatis prætextu, ad terrestria bona ita anhelant, vt proprias voluptates solùm captent, non minùs abominatur, quàm eos qui ex Ecclesiastico ordine in vitam sæcularem relabentes, ventri & auaritiç tantùm student. Hæc autem vitia per volucres quas recenset, quæ ancipitis vitæ sunt, in aqua perinde ac in aëre degentes, quales omnes numerati sunt duplici corde agentes, vno sibi, & altero Deo gratificari conantes, & pennis etiam pro pedibus plures earum vtuntur, nec non serpentibus & minutissimis animalculis in profundo aquæ agentibus, earum plures vescuntur, significat. Nam struthio alas habet, altiorem vitam, lectioni, orationi, & directioni aliorum deditam repræsentando, in terra semper agit, & volatile animal cùm sit, terrestrem vitam degit, cuius adminiculo, solùm pennas agitat. Noctua verò visum validum nocte habens, sole autem splendente, cæcutiens; Iudæos in cognitione Legis gloriantes, & lucem Euangelij non valentes capere, planè significat: imò & in cortice literæ lynceos, & in eius spiritu & intellectu talpis cæciores; cuius contrarium Dominus hìc commendabat. & in vniuersum omnes qui in vanitatis speculationem (vt inquit Basilius) acutissimam mentem habent, ad veræ tamen lucis intelligentiam omnino offuscatam. Larus (quem cuculum esse quidam dicunt) natat & volat, & quòd nouerit se omni auium generi odiosum, in alienis nidis oua parit, vt qui non confidit in proprio nido pullos suos tutò esse futuros: & eosdem notat, atque præcedens, cum adulteris & voluptuosis homi-

Basilius Examer. homil. 8.

Basilius in Hexa. homil. 8.

hominibus, qui iustitiæ legem & charitatis, & societatis humanæ fœdus violantes, in omnium inuidiam, atque odium viuunt. Accipiter cum volucribus, quæ ad eius genus reducuntur, mansuescit, vt astutiùs & tutius rapiat: & sunt potentes auari, qui dum sensu mitiores se exhibent, rapinas pauperum & imbecilliorum machi-
Psal.47. nantur, & tantùm significati per eum, Confitebuntur tibi, cùm benefeceris eis. Vnde quoniam huic Domini mandato repugnant, qui his cicuribus, otium quærentes, mundi ventri insatiabili, obsonantur, similium morum plures esse permittit. Bubo & mergulus sequuntur: quorum ille quòd debilis sit ad volandum, in cauernis agens, eos significat, qui religionis virtutes, immunditijs & corporis concupiscentijs, vti terreis domibus commorantes, habitauerunt: Iste verò quòd cibum quæritans assiduè se in aquam mergit (vnde nomen accepit) auaros notat, qui vsque adeò virtutum obliti sunt, quòd nulli vitæ periculo parcunt. Tandem Ibis sequitur Ægypti auis, quę serpentibus vescitur. & Cygnus auis nota, sua pulchritudine maxime capta, quam morti proxima cantando deflet. & Onocrotalus similis cygno ruditum asini similem edens, in quo genus anserum intelligitur. Porphyrio deinde, quæ sola inter aues morsu bibit, & Pelicanus à multis existimatur. Herodio palustris etiam auis ciconia existimatur: Charadrius maritima auis, & ingluuiosa: quare gulam & intemperantiam gustus cum præcedentibus quatuor, inter significationes alias, cuiusq; peculiares, repræsentat: vnde omnes longioris colli sunt, quod voluptatis, cibi, & potus organum aptius existit, & ad cibum contrahendum de profundo aquæ & terræ satis commodum. Itaque odit Dominus eos, qui cùm ad altiora virtutis petenda cóuenientibus organis, & gratijs accinxerint, sensibilibus & secularibus rebus, quibus serpentibus inferni præsidere datum est, implicantur, militiam Dei relinquentes. Quos demum vpupa, quæ cristis galeata, in fimo commorans, apprimè etiam signi-
Deut.32. ficat, cùm in eo superbiæ cristas erigant, & intumescant, quòd in fimo terræ incrassati sunt, vnde & recalcitrant impinguati dilatati; qui in cruce tantùm Domini cum Apostolo gloriari debuissent. Quapropter quoniam cor violenter in terra positum detinent, quod in Deo à quo egressum est, natiuam sedem habet, mæsti, tristes, & suspiciosi viuunt. Quod & hoc animal nón minus refert: quippe quòd triste, lugubre, luctumq; amans traditur. Dei autem amatores in orationibus gratiarum actio-
Galat.5. nibus, lætos & gaudio plenos esse oportet, fructum spiritus persona ipsa ostendentes, qui charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas existit. Et vespertilio tandem, eosdem non minùs ad viuum refert: qui vltra hoc cum noctua, laro commune habet, nempe tenebris gaudere: hæc peculiaria habet; quòd mediam naturam inter auem & murem sortitus est, & quòd pennis item pro pedibus vtitur. Quæ, quantum degenerent, Ecclesiastici ostendunt, qui virtutibus, & pennis religionis ad comparata terrena abutantur, pedum officium vsurpantes, & contra ordinem naturæ vita & moribus ex auibus in mures, animalcula hominibus importuna & exosa, transformantur. Et concludendo tandem, esum omnium volucrum, quæ super quatuor pedes gra-
Lucæ 9. diantur, abominandum infert: Quippe cùm alarum remigium iactantes, altiùs se leuare debuissent, retrò respicientes, labore aratri perterritos se præbuerunt: Et
Genes.19. item curiosè in ima & ea quæ reliquerunt oculos demittentes, vt vxor Loth antè fecerat, cuius exemplo sal esse debuissent, quo spectantium mores & vitam salirent, sal infatuatus euaserunt; quatuor pedibus, vt terrestria animantia, gradientes. Vnde in aquis rerum fluxarum huius sæculi versantes, rigente gelu coactum eorum cor, cæno & fimo paludum immersum iacet, & omni fœtore putidum, quibus non grauiter olet, quod redolere debuisset. Inuertunt planè huiusmodi, ordinem naturæ, qui cùm alis remigando in perspicuitate spiritus, in sublime semper ferri debuissent, volatum
Genes.3. iactantes, in terram proni, vt quadrupedes, terram cum antiquo serpente diabolo solùm comedunt. Nec alius cibus ipsis cordi est. Quare cùm abominabiles sint Domino, nos in vitæ cibum & vsum simul hic abominari docet.

Quicquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram, comedere debetis, vt est bruchus in genere suo, & attacus, atq; ophiomachus, atq; locusta: singula iuxta genus suum.

CREA-

CREAVIT enim Dominus Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: eò sanè subdit sanctus Moses, vt dominaretur vniuersis animalibus quæ sunt super terram. Quapropter hoc dominium super res terrenas semper à suis requirit Dominus, exigens in conuersatione vitæ, vt imaginem eis ad quam creati sunt, moribus & vita exerant. Potissimùm tamen ab his qui sublimioris vitæ genus profitentur, vt sunt sacerdotes & religiosi, qui vt editiori loco positi, vitæ archetypus & cæteris esse debent: & omnes item qui in gubernatione Ecclesiastica aut ciuili, tanquam primi duces collocati, aut eius ductores, sapientiâ & prudentia designati sunt. quos omnes in suo genere, in aëre sublimiori nantes, referunt: de quibus diuinus spiritus toto hoc loco differit, varios eorum gradus & vocationes insinuans. Cùm igitur inter quadrupedia quædam sint, quæ etsi alas non omnia habeant, vt bruchus cum alijs vermibus, sursum in aërem leuari, & alites imitari curant: & quando pennis non semper possunt, saltem terræ cruribus innitendo, id præstare conantur, similiter ac illæ per aërem saliendo iter facere. Huiusmodi autem sunt, quæ longiora habẽt retrò crura, organa ad saltus aptissima, quales sunt bruchus, attacus, ophiomachus, & locusta cum similibus sui generis; quæ ad hæc tanquam ad capita reducuntur, vt cicadę, & similes quadrupedes alatæ. Quarum voracitas in plantas, herbas & segetes, tanquã infestissima harum rerũ pestis, omnibus notissima est. Et quoniam in harum genus, maiores Reip. decidunt, imò hæc animalcula efficiuntur, quando plusquã pestifero morsu bona populi vorantes, debitum officium ipsis nõ præstant, & absq; alio admonitore, propria cõscientia eos redarguit: tantùm conditionẽ, quam in his discere debent, & cõuersatione exercere, sub eius & cibi figura docet. Ita enim viri spiritales, & cultores virtutis, in vocatione sua agere oportet, vt inferiores & cœnosos etiã homines, non dedignentur; imò ipsorum cõuersioni se accõmodent, vt eos admoneant, à fimo peccati reuocent, & super pedes virtutis stare faciant: sic tamen vt saliant, & eorum peccatis non cõmunicent, sed socios liberent. Quippe cùm corpore aliquis ægrotat, dum aliqua pars in eo sana est, spem habet medicus, qua eam partem iuuãdo, sanitatem alijs cõmunicari, & per totũ corpus extendi sperat. At quando nulla est quæ non laboret, statim animum despõdet, & inuitus inuisit infirmum. Perinde igitur in moribus contingit: quando in aliqua domo, familia, vel populo, zelator aliquis honoris Dei est, & virtutis cultor, bono animo sis, nam eã sanitas per singulos extendi potest, atq; ita totum illud corpus in sanitatẽ restitui. Verùm si nullus talis reperiatur, protinus desperatã salute, in mortem properat. Quòd si tu, qui spiritalis es, & virtutis amator, charitate motus cum illis conuerseris & agas, vt stapedam virtutis non deserẽdo, eos erudias & à malo arroces: quia partem iam sanam corpus illud habet, curationem admittit, & sanari poterit. Quod cùm tu feceris, locustas comedis, quoniãm eorum saltus exerces: Christum Iesum Dominum nostrum imitaris, qui cùm peccatum non fecerit, nec sit inuentus dolus in ore eius, cum peccatoribus & publicanis, tanquam medicus peritissimus vt eos sanaret, manducabat: sequeris beatum Apostolum eius Paulum, qui omnia omnibus se faciebat, vt omnes lucri faceret. Et geminum tandem tui animi officium, in intelligibilium & spiritualium rerum contemplatione, & corporis vt coquinariæ artis procuratione, extra in vitę vsum profers. Nam ille ab vno ad alterum munus pro necessitate, ad regionem intelligibilium rerum ascendit, & rursus ad sensibilium habitationem descendit: ita & tu ad inferiorem vitam prouidendam descendis, virtutis culturam semper retinendo, & per spiritus incrementa, semper sursum saliendo: Hæc autem omnia diuinus spiritus hic nos docet, sub intellectu hoc, quem Iudæorum mentibus proponebat, vt à cortice nempe & sensibili litera, ad intelligentiam eius, & sensum reconditum saltarent. Nam cui eorum in mentem aliquando venit, putrida hæc animalcula, quæ vel ipsa natura videndo horret, in cibum corporalem Dominum eis consignasse? Nam locustæ quibus beatus Ioannes Baptista vescebatur, aquatiles erant, quas cum melle syluestri coniungebat, victum sui magistri sequens, qui piscibus ordinarie vtebatur: & paucis, nempe duobus solitus est millia hominum satiare: Et eandem victus rationem suos Apostolos docuit. Vnde post resurrectionem fauum mellis & partem piscis assi ipsi obtulerunt. de quibus locustis, asserunt naturales, cõgtos superare, quòd elabi non queant propter crustæ asperitatem. Sunt ergo spiritaliter accipienda, & si figuratè sub

Genes. 1.
1. Pet. 2.
1. Cor. 9.
Matth. 3.
Matth. 14.
Lucæ 24.
Arist. lib. 8. de hist. animal. cap. 2.

iatè sub sensibili forma condita, propter ruditatem populi, & intellectus culturam, in mysterijs diuinis perscrutandis: ad quæ per exempla & manuductionem rerum (Arist. li. 9. de hist. ani. cap 6.) sensibilium transferre cupiebat. Habent etiam huiusmodi animantia ad munia præfata edocenda, peculiares proprietates. Nam vt ophiomachus acerrimus serpentum hostis fertur, vnde & nomen accepit: & simile de locusta terrestri traditur: nempe quoties cum serpente pugnat, obseruasse iam plures, collum eius prehendere vt hinc (Ephes. 5.) meminerimus, quando cum vitijs pugnamus, dæmonibus ipsis bellum inferre. Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores, aduersus principes tenebrarum harum; in cælestibus, id est, in contentione de cælesti regno. & hæc animantia imitando, qui altiori vitæ genere potissimùm in Reipub. Christianæ ordine constituti sunt, fortissimos pugnatores cum Dei adiutorio contra huiusmodi serpentes, in sui & aliorum defensionem se exhibere oportet. Attacus autem genus locustę altum & sine cauda, & capitis oblongi traditur. Ego quam ceruaticam hispanè dicimus, esse suspicor: Cuius ingenium est ad simplicem hominis attactum, in posteriores pedes erectam, manus in modum orantis flectere, quasi hominem ad orationem mouendo. Etenim in animalibus, quæ munda hoc loco appellantur, veluti quoddam humanæ vitæ speculum constitutum est, in quo imagines sanctionum populus iste rudis consideraret, vt inquit Tertullianus.

Quicquid autem ex volucribus quatuor tantùm habet pedes, execrabile erit vobis; & quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus, vsque ad vesperam. Et si necesse fuerit, vt portet quispiam horum mortuum, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad occasum solis.

DEMVM ex volucribus, quæ in quatuor pedes ambulant, nec posteriora crura longiora habent ad saliendum, tanquam immunda prohibet. quoniam homo terrestris, qui affectibus, terrenis voluptatibus omninò affixus viuit, & si alatus sit, atque intellectus & diuinæ doctrinæ alas iactet, quia ipsis, in eas functiones tantum vtitur, & tota vita piæ se fert, vt fratres decipiat, expilet, & vt sua flagitia, propriam obtegendo malitiam, securius perpetret, Deo abominabilis est. Cum huiusmodi ergo hominibus, etsi natura generis, aut alterius excellentiæ valeant, intellectus acumine polleant, cognitione diuinorum excellant, nec conuersandum, nec assuescendum est: quoniam esset animantia immunda comedere, quæ hic prohibentur. Sed neque horum opera quouis modo tangenda sunt: Vnde ad hunc locum alludens Domi(Matth. 23.)nus Iesus Christus aliquando dixit: Super cathedram Moysi sederunt principes & sacerdotes, quæcunque dixerint vobis facite, secundum autem opera illorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Quasi diceret: in eo quod bene dicunt, alas cælestis doctrinæ ostentant, & realiter monent: quare audiendi sunt, & opere præstandum quod dixerint. Quoniam tamen in eo, quòd malè operantur, & perperam viuũt, terrestria animalia, & quadrupedes has volucres, sine productione posteriorum crurũ, se exhibent, nõ sunt sequendi. Vnde morticinum horum alatorum reptilium tangere quouis modo prohibet, siue sponte sua tangat, siue necessitate compulsus, vt extra castra eorum cadauera portet. Etenim omnis qui alterius peccatum patrauerit, obtexerit siue dissimulauerit, etsi superioris ordinis sit, vel casu, vel vicissitudine aliqua, reus criminis erit, & erit immundus vsque ad vesperam, hoc est, pœnitentiam aget. Morticinum enim peccatum est, quod sua sponte alter committit, & id tangere idem perpetrare est, & in eo consentire. Vsque ad vesperum autem demorari in luctu & pœnitentia iubet, pœnam temporalem, quę peccatum iam remissum quoad culpam, sequitur, notans. & quòd reordinatio voluntatis, quæ peccato à sua dignitate deturbata est, tempore indiget, vt sedem suam & antiquum corporis dominium recuperet. Quapropter qui diutius in imitatione peccati illius commoratus fuerit, in consuetudinem ducens (hoc enim significat morticinium portare) longiori tempore, immundum permanere, quia vsque ad occasum solis indicitur: & acriori rursus indigere pœnitentia; oportet siquidem, vestimenta lauet, id est, pœnitentia lachrymis, cor suum emundet, potentias animæ detergat, & corpus suum, id est, vitã suam, (Psal. 31.) quia vt vestimento operitur peccatũ, & tegitur, iuxta Prophetæ elogium: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, frugaliorem & candi-

diorem

diorem reddat. Est item vestis nuptialis, qua qui caret, meritò obiurgationem illam audit Domini: Quare huc intrasti, id est, in mea Ecclesia impudens commoraris, non habens vestem nuptialem? Matth. 22.

Omne animal, quod habet quidem vngulam, sed non diuidit eam, nec ruminat, immundum erit: & quicquid tetigerit illud, contaminabitur. Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit. Qui tetigerit morticinia eorum, polluetur vsque ad vesperum. Qui portauerit huiusmodi cadauera, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum, quia hæc immunda sunt.

CVM de animalibus immundis superiùs ageret, & immunda declararet, quæ etsi ruminarent, vngulam tamen non findebant, & quæ finderent etiam si non ruminarent, membrum aliud diuisorum, quod omissum fuerat, eorum scilicet, quæ nec ruminant, nec vngulas findunt, iam itidem hic excludit. Etenim homines Christianos qui animalia sunt, in hæreditate, id est, in Ecclesia Domini habitantia, quibus non tantùm ex vi naturæ rationalis, in sublime ferri datum est, atque in sydera attollere vultus, sed luce Euangelij sacri considere in cælestibus: à terrenis nunquam proficisci, imò more brutorum oculos mentis semper demissos habere abominatur Dominus. Hi siquidem & doctrinam Dei negligunt, & eius voluntatem, propriæ postponunt. Quare quòd nec ruminent, nec diuidant vngulam, mensæ Domini inepti iudicantur. Et similiter omnis qui eorum morticina tetigerit, id est, peccata & opera mortua imitatus fuerit: quia immundus erit, hoc est, vsq; ad vesperum pœnitentia peccatum luet. Atque vt cum his omnem quadrupedum materiam absoluat, eos qui super manus ambulauerint damnat: omnes quippe homines auaros qui super volas manuum & palmas gradiuntur, hominum rationem profitentes, sed ab ea degenerantes, vt simiæ, quæ hominis palma manus extensa, mouentur, hoc loco notat. Etenim vt simiæ, habitu corporis, motibus, & astutijs hominum rationem conantur, ita & hi dignitatem suam iactantes, Christiani hominis vitam effigiare cupiunt: à qua tantùm absunt, vt dolis & astutijs, pro vilissima re animam suam venalem proferentes, animalibus brutis comparentur, & pro simijs habeantur. Eccles. 10. Præterea qui sic super manus gradiuntur, & solum manibus complanant, terrestres maximè sunt & sensibiles. Quapropter à cortice literæ sensibili, ad mysterium & sensum reconditum, mentem eleuandam inepti sunt omninò: perinde ac quadrupedes non ruminantes, nec vngulas diuidentes. Atqui, cùm hoc ad intelligendam, & legem complendam, primùm hic docere intenderet Dominus; meritò immundi cibi huiusmodi reputantur, & qui eorum morticina, id est, opera mortua tetigerit, siue portauerit, hoc est, consilio, auctoritate, aut quauis alia ratione iuuerit. Nam hoc etiam est morticinum portare, vltra id quod suprà dictum est. Ad quod alludens dicebat beatus Paulus: Manus citò nemini impósueris, neque communicaueris peccatis alienis. 1. Tim. 5. Et rursus: Pugnas verborum, inuidias, contentiones, blasphemias & malas suspiciones damnás, mentis corruptionem, & veritatis priuationem causam esse dicit. ca. 6. eiusdem Epist. Quòd huiusmodi existiment, quæstum esse pietatem, subdens. est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.

Hæc quoque inter polluta reputabuntur de ijs quæ mouentur in terra: mustela & mus, & crocodilus, singula iuxta genus suum, mygale, chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa. Omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit vsque ad vesperum. & super quem ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum & vestimentum, quàm pelles & cilicia, & in quocunque sit opus tingentur aqua, & polluta erunt vsque ad vesperum, & sic posteà mundabuntur. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intrò ceciderit, polluetur, & ideò frangendum est.

TANDEM de reptilibus differens Dominus, quædam enumerat, quæ habitationi hominum & commercio importuna frequentiùs occurrunt: quę cùm nulli hominum vnquam in cibum capere, in mentem venerit; apertissimum est, non eorum esum,

esum, sed mores hominum prauos inhibere. Huiusmodi sunt, qui nullis non dolis furta exercent, quos in mustela quæ dolosa est, & furtis viuit, condemnat: Importuni etiam, propter ventris ingluuiem, quos in muribus indicat, qui in plagam intole- 1.Reg.5. rabilē Azotijs & finitimis dati sunt. Gulosos item omnes, qui malitiosi sunt, & assentarionibus ad deridendum valent, quales sunt scurræ, in crocodilo reprehendit: Qui animal est quidem amphibium, & in terra & in aqua viuens, mellis supra modum auidissimum. Vnde Ægyptij ad mellis custodiam, croco, cuius odorem vehementer reformidat, vtuntur. Tam duro etiam corio valet, vt nisi ventre, penetrari non possit. quod non ignorantes delphini, cum quibus illi bellum est, aquam subeunt, pinnaq; quam in dorso gerunt, illi aluum subsecant: & crescendi demum nullum dicitur facere finem. Homines præterea inconstantes, atque superbos & nullius misericordiæ in chamæleone odit; qui immansuetum est animal, vento alitur, & ad varios, quos videt colores se mutans, nullius nisi in malum miserescit. Eos deinde à se ablegat homines, qui ob prædationem, mortes fratris, nunquam non machinantur, vt stellio, qui maculis vt stellis plenus, de morte aliena, quia venenosus est, semper prædam quærit. Homines verò vitæ variæ & sortilegos, in lacerta execratur, quæ incerti cursus est, & in sepulchris habitare dicitur: & tandem in talpa quæ animal est cæcum, & putrefactione terræ procreatum: item filios huius sæculi, media luce Euangelij cæcutientes, & terrena, tanquā ex corruptione terræ nati, solùm anhelantes. Quoniam igitur mores hos, tanquam ex diaboli ingenio promanantes (cuius typum descriptæ animantes, cum omnibus sui generis referunt, Dominus odit) memorata reptilia, in cibos immundos secernit. Referunt proculdubio hæc, inimicos hominis dæmones: Psal.103. vt eos censuit Dauid ad hunc locum alludens, quando reptilia quorum non sit numerus, appellauit: & paululum supra, bestias, quæ positis tenebris & facta nocte pertranseant, quærentes escas sibi; orto verò sole congregentur, & in cubilibus suis collocentur. Et apertiùs idemmet Dominus, hoc idem ingenium eis obiurgans, satelli- Luce 22. tibus Scribarū & Pharisæorum dixit: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. ergo quia terrena defixis oculis tractare, repere, more horum animalium est, ea respuit Dominus, & eorum morticina, id est, opera enarrata, quouis modo principaliter, aut ex incidentia tangere: excæcant enim mentem, vnde mors prouenit. quare morticina legitimè appellantur. Et etiam si hominum vitæ strictioris pœnitentum, & eorum qui in omnibus Deo placere studerent, (vt Prophetæ extiterunt) supellectilia essent, tangi vetantur, vt vas ligneū, vestis, pellis, cilicium, aut vas aliquod siue instrumentum, in quo ministerium aliquod vitę præpararetur. Qui enim ex antiquis patribus coram Deo ambulare contenderunt, vt Prophetę, asperioribus vestibus, & pœnitentium habitu vtebantur, vt pellibus, saccis in corporis tegumentum, vt beatus Pau- Hebr.11. Math 3. lus longiùs recenset: Quorum & sanctus Ioannes Baptista insignis extitit imitator: quibus phialæ item, catini, vel disci & cultelli, vasa lignea fuerunt. Horum igitur vitam prævidens hic Dominus, quando super aliquod eorum vtēsilium, cadauer aliquod ex memoratis cecidisset, immmunda reddi dicit, & traduci per aquam oportere, & vsq; ad vesperum adhuc manere immunda. Et si vas fictile fuerit, esse confringendum, quantumuis hominum esset sanctorum. Vide quantùm morbosa vita contagiosa sit, quòd sanctos viros & Dei amicos ex se inficit, & in errores declinare, atq; è virtutis fastigio decidere facit, si ei se permiserint, vel cautiùs se ab ea non abstinuerint: vt quantùm à minoribus sit vitanda, perpendas. Per hæc autem vtensilia vitam vtentium intelligit, quæ morticinis enarratorum animalium inficitur. Quod dupliciter potest contingere, aut morticinum tangendo, aut casum eius recipiendo. Tangit, qui ex proposito, & deliberato animo, morticinis consenserit, & communicauerit, & immundus erit vsque ad vesperum, quando pœnitentia expiabitur: super aliquem autem morticinum cadere adhuc dupliciter potest euenire: vno modo ex incuria & inaduertentia maiori & minori, pro conditione vitæ eius super quem cadit: Nam sunt qui facilè, & absque vlla resistentia polluuntur, qui per vestimētum significantur: quod à circumstante nondum tangitur, & iam tinctum est. Alij mediocris resistentiæ sunt, qui notantur per vas ligneum: Alij maioris resistentiæ, vt qui patientium habent vitā; qui per pelles, & cilicia designantur, & omnes in quibus virtutis opus fiebat, atque exercebatur. Hi enim omnes quocunque modo morticino super

casso,

casso, consenserint, aqua pœnitentiæ abluendi sunt, & vsq; ad vesperum nullis conuersari cum alijs licebat, neque sacerdotibus atrium ingredi, neque oblatis vesci. Vbi pœnam post dimissam culpam hic in Purgatorio soluendam vides, si in hoc sæculo non exoluatur. Alio modo, cassus morticinij suscipitur, quando festinanter inadmissum curritur, ex consuetudine deprauata: & sunt qui venenata habent præcordia, & viro vitij sunt corrupti, qui per vas fictile, quod immunditiam intus suscipiendo, imbibisset & incorporasset, significantur: quod frangendum erat. Nam qui ita tumore peccati corruptus tumescit, contritione vehementi venit cõminuendus, vt veterem hominem exuat, & nouis institutis & diuinis iussis rursus exercendus, nouum hominẽ nempe Christũ induat. Quia quibus lotio vestiũ nõ sufficit ad sordes lauandas, contagione acceptas, dissecatio carnis necessaria est, vt à se abijciant quod malè contraxerunt: quod est vas fictile infectum frangere. Quod exposuisse visus est Dominus noster Iesus Christus, cùm se lapidem illum angularem appellando, eum qui super eum ceciderit, confringendum dicit, pœnitentia nempe: quia fidei stapedam retinet, cui innixus, vim sibi faciendo, in Dei gratiam assurgere potest: quoniam qui base, & fundamento pœnitentiæ carent, fide scilicet, vt Iudæi & Gentes in Christum non credentes, & hæretici fidem per hæresis peccatum amittentes, omnes conterentur sanè à Domino in inferno. Vel dic huiusmodi homines, vt vas fictile in inferno, perpetuo cruciatu confringendos, vt exposuit Propheta Dauid dicens: Tanquam vas figuli confringes eos.

Matth.17.

Psal.1.

Omnis cibus quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit: & quicquid de morticinis huiusmodi ceciderit super illud, immundum erit, siue clibani, siue chitropodes destruẽtur, & immũdi erunt. Fontes verò & cisternæ & omnis aquarum congregatio munda erit. qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. Si ceciderit super sementem, non polluet eam. sin autem quispiam aqua sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, ilico polluetur.

ITA est, quòd Ægyptij plura dictorum animalium pro dijs colebant, qui & horum olera sibi peculiari ratione, eo modo sic venerari soliti sunt: quod lepidè quidã ridens, de eis dixit: Beata gens, quorum dij nascuntur in hortis. A quorum idololatria, & consuetudine studens Dominus populum suum auocare, & animantes, quas ipsi colebant, & morticinorum tactus, quos in sui sanctificationem illi facere solebant, inhibuit, & vitæ rationem ex præscripto suæ legis componere docuit. Nunc ad idem tendens, omnem cibum aqua traductum, aut tinctum, quæ halitu, vestigio, tactu aut ad dictorum horum animalium rationem quouis modo attineret, immundum declarat: & omnem etiam potum, ex vase, noctis, aut alio opportuno tempore, horũ animalium trãsitu, exposito, vt aliqua ratione, in eo tacta aqua, sanctificata maneret. Et insuper quasi dum morerentur, aut cùm iam mortua erant, quid ea tetigisset, sanctificatum ex sua superstitione ducebant: omnem rem talem (furnus esset in quo coqueretur, aut chitropodes siue ollæ, quæ pedibus quibusdam erant firmatæ, superstitioni huic expositæ) destrui & omninò perdi iubet. Quoniam verò in deserto quo agebant, in magna abundantia erant, quæ fontes, lacus, cisternas, flumina necessariò contingerent, ne hoc eos offenderet, huiusmodi aquarum receptacula, & decursus à lege posita excipit: quia tantùm quod ex industria, & religionis superstitione imitando gentes, fieret, prohibebat; quòd tunc animalium naturam per superstitionem inuertere curarent. Ex eadem radice vsus erat apud memoratas gentes, morticina horum animalium propria persona tangere: Ob quod postquã contactum rerum damnauit, & personam similiter tangentem condemnat, immundum manere declarando. Et item ex deceptione dæmonum, sementem aqua supra exposita conspersam, vberiores fructus reddere existimabant: atque ita terràm suam consecrare, vbi proseminabatur, id facere non pigritabant. Verùm quoniam huiusmodi conspersio & sementis humectatio, ex contactu horum cadauerum, casu contingere posset, neque affectata esset, tunc non polluebatur semen,

quoniam superstitio cessabat. Vbi post documenta tradita, ad legis positæ complectionem, consuetudinem & morum communicationem cum gentibus omnino inhibet: quia ex ea non nisi idololatria, & superstitio, & diaboli cultus, tacitus accrescit. Quando enim in spe alicuius boni ex re sensibili, prætextu religionis superstatur, & à Deo animus auocatur, virtualiter cum diabolo colloquitur: quandoquidè in re sensibili, cui præsidere ei datum est, fiduciam collocat. Vnde Lucretius superstitionem definiuit, superstantium rerum, id est, cælestium, & diuinarum, quæ super nos stant, inanem, & superfluum timorem. In quod vitium incidunt, qui nimis religiosi videri volunt, & rebus nullius momenti omninò addicti: quibus proximè accedunt hypocritæ. Huiusmodi autem homines Deus maximè execratur, tanquam diaboli cultores. Nam quid gratius dæmoni fingi potest, quàm mortui siue viui cōtactu, iquam sanctificari, clibanum & ollam, vt hinc cibus omnis & potus sanctus sumeretur? & sementem item cadaueribus reptilium tactam fœcundari, & terram, cui committeretur, sacrari? nónne hoc est, honorem dare illi, qui se Dominum regnorum mundi [Matth. 4.] aliquando iactando, creatori omnium dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me? proculdubio. Verùm nota, quàm callidè præstigiator ille diuina cōari semper procurauerit: Quia enim futurum erat, vt aqua baptismi virtutem sanctificandi contineret, in aqua vim diuinam voluit fingere, vt quæ ea tingerentur, sanctificata essent. Vnde & delubra gentium templa dicebantur, inquit Durandus: Quoniam ipso auctore, aqua in quolibet erat, abluendis sacrificaturis exposita. Quod non absq; diuina & speciali prouidentia Dei factum intellige, qui diuina sua ab hostibus ipsis inuitis, præuestigiari voluit. Quoniam autem ex illusione dæmonis erroribus instigante, hæc proueniunt, doctrinam sacræ Scripturæ, quæ cælestis est, in regulam vitæ sequendam proponit: Quæ, fontibus, cisternis, lacubus, & fluminibus deserti significabatur. Quapropter nullius animantis immundi tactu infici dixit: Etenim duodecim fontes ibi reperti, duodecim Patriarchas, & eorum filios Apostolos sanctos (qui primi Euangelij præcones extiterunt) planè significarunt. Eos enim sacros fon- [Esai. 12.] tes nobis proposuit Propheta, quando dixit: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Per lacus autem & cisternas post eos, eiusdem doctrinæ cælestis prædicatores, qui pro gratia sibi concessa, tanquam receptacula sunt diuinæ huius aquæ, cæteris communicandæ. Hoc siquidem Dominus per alium Prophetam, infideles Prophetas arguendo, aperte significauit, quando dixit: Reliquerunt me fontem aquæ [Ierem. 2.] viuæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquam. Per flumina verò, Ecclesiæ sanctæ doctores, qui indeficientem aquæ fluxum, & cum magna abundantia spiritus semper emittunt, vti diuina flumina constituti. Per congregationes autem aquarum, vtrunque intelligit testamentum: Scripturam enim sanctam aquam [Iohan. 4.] appellauit Dominus, quando dixit: Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Quoniam autem nouum Testamentum, sacrúmque Euangelium, in veteri inclusum fuit, vti thesaurus in agro ex parabola Domini, iure optimo populo illi antiquo congregationem aquarum in lege continere dixit, ex qua puram & indeficientem aquam vitæ hauri- [Matth. 13.] re possent, & deberent. Et Ecclesiæ maiestatem simul indicauit, in qua congregatio hæc aquarum distincta est, & lucidæ, suaues, potabiles, omnibus populis expositæ. Tertiò in conseruatione sementis, ne tactu affectato cadauerum expositorum animantium pollueretur, puritatem doctrinæ in Ecclesia catholica commendat. Et enim studiosæ & Christianæ vitæ semen, quo vegetatur, nutritur, & augetur, verbum [Esai. 1.] Dei existit. Quod Propheta testatur, cùm dicit: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & sicut Gomorra similes essemus. Et ne in his immoremur, ipsemet Dominus proprio ore dignatus est exponere, cùm de pro- [Luc. 8.] seminatore illo Euangelico parabolam edisserens, dixit: Semen est verbum Dei, &c. Hoc ergò semen diligenti custodia in ea puritate, quâ Christianus in fonte Baptismi sancti, suscepit ab Ecclesia, retinere & conseruare conuenit. Inficitur autem ab hæretico, qui morticinum animal (quia sua sponte mortuus est deserens fidem) hoc loco appellatur: & similiter tu pollueris, quando ab eo semen infectum accipere studueris, secus si ille incidisset, neque eius doctrinam acceperis. Quapropter dicit: Quod si ceciderit, super sementem non polluetur. Docet præterea hoc loco diuinus spiritus,

ſpiritus, fratrem moribus nutantem, & etiam non adhuc plenè doctrina fidei instructum; & ob id aliquid ex antiqua ſua vita, aut incredulitate, quia recenter ad fidem conuerſus eſt, ex ignorantia redolentem, ſupportare: quia nouum ſemen eſt. Veterum autem iam militum Chriſti Ieſu, & plenè fide inſtructorum, & eorum potiſſimùm qui ſcientia polſent, claudicatio in fide, & nouæ quædam doctrinæ contra ditionem Eccleſiæ ſuperinductio, minimè eſt diſſimulanda. & huiuſmodi ſemen immundum eſt, & omnino vitandum: Nam malus homo per hos zizaniorum proſeminator exiſtit, vt inquit Dominus. Infirmorum autem imbecillitates ſolùm ſuſtinere oportere, docet beatus Paulus, quoniam ignorantia, morum defectum & con- Rom. 6. ſilij præmolitur.

Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vſque ad veſperum; & qui comederit ex eo quippiam, ſiue portauerit, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum.

NON ſolùm falſas & peregrinas doctrinas Eccleſię catholicę afferentes, ſed & fratres à recto vitæ Chriſtianę itinere deuiantes, & quauis ratione affines & propinquos, vitare oportet. Vnde Dominus dixit: Si oculus tuus ſcandalizat te, eijce eum: bo- Matth. 18. num eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Quapropter poſtquam illos, qui fidei doctrinam contaminare poſſint, fugere docuit, eos nunc qui peccato ſuo vitam labefactare poſſint, quantumuis coniunctiſſimi ſint, declinare præcipit: Atque hinc ſi cadauer obiectum mundi animalis fuerit, eſum eius contactum, & exportationem etiam extra caſtra inhibet, & immunditiam vſque ad veſperum contrahi dicit, ita vt veſtimenta exportantis ablui oporteat. Vbi manifeſtè per propoſitum morticinum, fratrem moribus errantem, & vitij funibus conſtrictum intelligit: cui, qui conſenſerit, aut eius peccati particeps effectus fuerit, aut ad id patrandum auxilium tulerit, eiuſdem criminis reus declaratur: & donec pœnituerit, ne ab eius conſuetudine, & viro ſuæ prauitatis inficiaris, abſtinendum eſt: Vnde vſq; ad veſperum tantùm hunc immundum reddi dicit. Suffragatur huic expoſitioni, & nomen ipſum: cùm morticinum dicatur, quod ſua ſponte mortuum eſt: quod facit qui voluntariè peccatum admittit, vitioque ſuccumbit. De quo dicit B. Paulus: Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut ido- 1. Cor. 5. lis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibũ ſumere. Et B. Petrus hos alloquens, Qui militiam Chriſti profitentur, inquit: ſperate in eam, 1. Pet. 1. quæ offertur vobis, gratiá, in reuelatione Ieſu Chriſti, quaſi filij obedientiæ, non figurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſiderijs, &c. Non præteribo tamen hic, quod ſæpe feci, id quod iubet Dominus; lauari veſtimenta ſua, eum qui exportauerit cadauer, oportere, & manere immundum vſq; ad veſperum, lotionẽ animæ in ſanguine Chriſti, & eius ſanctiſſimam mortẽ totius noſtri meriti cauſam, promulgatam hìc fuiſſe: vt apertè cognoſcas, nõ immundorum animalium eſum, nec eorum cadauerũ tactum corporalem, illi curam fuiſſe, ſed ſpiritalem, quo anima peccatum cõmittit, aut conſentit. Illud manifeſtè explicuit Dauid ſanctus, quando ſuum peccatum deflens ad hunc locũ alludens, per aſperſum ſanguinem hyſſopi illius diuini Chriſti Ieſu detergi, omnino petebat, dicendo: Aſperges me Domine hyſſopo, & mũdabor, lauabis me Pſal. 50. & ſuper niuem dealbabor. quaſi diceret, ſolùm illi cordi eſſe animæ munditiam, & eam lotione veſtimentorum, ſiue corporũ intendiſſe: Hoc autem, id eſt, immundum manere vſq; ad veſperum, nõ minus luculenter, ſignificauit, holocauſtũ veſpertinum, quod inter omnia alia ita gratiſſimũ fuit, vt idem regius Vates ſuam orationem, perinde acceptam, ac ſacrificium illud, poſceret. Et rurſus res ipſa exhibita: Nam verus Pſal. 140. agnus Chriſtus Ieſus, veſpere, & circa horam nonam, ſuam ſacratiſſimam animam, æterno Patri pro nobis omnibus tradidit. Manebat ergo immundus, homo tangens immundum vſq; ad veſperum, quoniam in morte Chriſti tunc futura fidendum, & ſperandum iubebat, à qua omnis munditia mentis, & peccati remiſſio, media fide, ſicut nunc Sacramentis, quando iam exhibita eſt, deriuatur.

Omne quod reptat ſuper terrã, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum. quicquid ſupra pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt.

In reptilium genere, alii sunt infimi gradus: & hæc rursus trifariam diuiduntur: quædam sunt, quæ super terram gradiuntur pedibus carentia, vt lumbrices & similia, quæ ore terræ affixo totum corpus trahunt. Quædam pedes quatuor habent, vt vermes aliqui, & tandem quædam alia quæ plures pedes, vt centipedes: verum quoniam ob breuitatem, gressui inepta sunt, tractu corporis, quodammodo omnia mouentur. Vnde nec a terra se attollunt, per eam continue dilabentia, & ea nutriuntur, & vt plurimum odiuntur. & cum horrorem vel visu inferant, planum est, Dominum non horum esum interdicere, quæ ex se interdicta sunt, sed eorum hominum commercia, consuetudines declinandas docere, qui moribus & vita huiusmodi animalia se præstiterunt. [Galat. 4.] Quando verò plenitudine temporis veniente, misit Dominus filium suum, ad redemptionem mundorum, atque immundorum animalium: populi Iudæorum & Gentium, hanc legem abrogando, his reptilibus cum cæteris per alia animalia immunda significatis, & omnibus gentibus suum Euangelium [Marc. vlt.] Apostolis prædicare, iussit, cum prædicationis officium iniungens dixit: Ite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.

Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis. Ego sum Dominus Deus vester; sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod mouetur super terram: Ego enim sum Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essem vobis in Deum. sancti eritis, quia ego sanctus sum. Ista est Lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viuentis quæ mouetur in aqua, & reptat in terra, vt differentias noueritis mundi & immundi, & vt sciatis quid comedere, & quid respuere debeatis.

Posita lege ciborum, triplici ratione ad eius obseruationem, hortatur: ab animæ munditia, a similitudine Dei, quam quilibet homo procurare debet, & tertiò ab opere redemptionis, quod homini, Deus homo factus impendit. Principio ergo ait: Nolite contaminare animas vestras: Vbi aperte docet, legem positam non corporaliter, sed spiritaliter intelligendam esse: neque ea, cibum corporis, sed animæ tantum sollicitare dominum. Animas quippe suorum electorum in templum, & [Prou. 8.] proprium habitaculum delegerat, quando dixit: Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. [1. Cor. 3.] ad quod alludens Corinthijs dixit Apostolus: An nescitis, quòd templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? hinc igitur animam, vt proprium hospitium, mundam, & puram amat, & verbi sui alimonia nutritam, & auctam, atque virtutibus, in speciem, & venustatem, ornatam. Polluitur autem anima, & a sua dignitate dominandi decidit, quando corpori subditur, eiusque voluptatibus inescata seruit: quod tangere immundum animal, reptile, quadrupes terrestre, & volatile, ego proprie intelligo. In eo equidem immanitas ferarum, astutiæ & doli rapacium, mutabilitas, virus & venenum reptilium, ac serpentum reperitur. & in tot transformationes homo sic degenerans, versus apparet, quot sunt proprietates animalium, quas [Ezech. 8.] vita sequitur, & bruta quibus cum amicitiam init: vt palam fecit Dominus Ezechieli, quando perfosso pariete, maiores sui populi, (quòd corporis affectibus ducerentur) reptilia adorantes ostendit. Quando verò consuetudinem, conuersationem, aut societatem inordinatè ambulantis quis sequitur, aut eius amicitiam conciliat, vel sustentat, morticinum procul dubio tangit, & anima polluitur, quia ille mortuus est, [Eccles. 13.] & non nisi mortis contagiũ cum eo conuersans, negotiari potest. Nam qui tetigerit picem, inquit Sapiẽs, inquinabitur ab ea, & qui comunicauerit superbo, induet superbiam. Deinde à Dei similitudine: Sancti, ait, estote, quia ego sanctus sum: est enim naturæ nõ feræ, filios parentibus similes moribus se præstare debere: At nos filij Dei sumus: oportet ergo sanctũ parentẽ, filios sanctitate imitari, vt ipsemet Dominus bene- [Math. 5.] ficentiam etiam in inimicos commendando, dixit: Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui solẽ suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Itẽ cum homo creatus sit ad imaginẽ Dei cum intellectu, & libertate arbitrij, hoc, inquit [Basilius in Hexa hom. 10.] Basilius, illi tota vita elaborãdum, & conandum reliquit; vt eius fiat similis pro gratia sibi concessa, in bonitate, pietate, misericordia, beneficentia, atq; omnis generis virtutis

tutis exercitio. Quapropter iure optimo, pensum homini commissum, ab eo exigit Dominus dicendo: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Tertiò custodiam suæ legis, & voluntatis, petit Dominus nunc ab homine, propter officium gratitudinis, & redemptionis beneficium receptum: vt illo tempore legis, obstupendum illud opus liberationis ab Ægyptiorum seruitute. Etenim vt captiuitas illa corporalis in Ægypto sub Pharaone, captiuitatem totius generis humani sub principe diabolo, significabat: ita & liberatio à captiuitate illa tot portentis, per manum Moysi facta, libertatem & redemptionem à diaboli potestate, per manum Christi Iesu tot miraculis, tamque cruentissima morte exhibita. Quapropter si commemoratio beneficij illius redemptionis corporalis, vt Deum colerent, sub immanis ingratitudinis nota obligabat, proculdubio plusquam bestialis est, qui Deum hominem factum, & morte insuper, non pro salute & libertate corporis, sub temporali ditione positi, sed pro salute & redemptione animæ à diaboli potestate mulctatum, non adorat, colit, & tota vita veneratur.

CAPVT DVODECIMVM.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleuerit dies purgationis suæ. Si autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.

OPTIMI principis & legislatoris est, non solùm quæ ad Dei cultum pertinent, ordinare, & alimenta item populo conuenientia decernere, verùm quæ ad salutem ciuium procurandam, & morbos depellendos spectant, statuere. Duo priora hactenus diuinus legislator Moses dispositione Domini præstitit. Tertium iam munus quod supererat ab hoc loco tradere incipit: & in hoc capite de morbo partum mulieris sequente, disponit. Cæterùm cùm morbus iste naturalis sit, & propagationem ipsam generis humani indiuiduus sequatur, ita vt nec depelli possit, qui legislatori curæ est, cùm ei succurrere minimè valeat? Quoniam legislatio hæc non humana, sed diuina: & Dominus qui per Mosem loquitur, non tam corporum, quàm animarum sollicitudine angitur. Quapropter cùm morum compositio cuiusque ex sui cognitione pendeat, vt nos ad considerationem hanc induceret, de morbo hoc, & immunditia ex partu relicta, legem statuit, non vt depellat. Etenim homo in summa Dei necessitate, & indigentia viuit, vt ad vindictam quam meretur declinandam, placatum habeat, & propitium deinde, ad propriam imbecillitatem iuuandam, moresque vitæ cõponendos: circa quę duo totus sermo præcedens huius libri habitus est. Atq; vt ad eius obseruationem cristas homo deponeret, eiq; ceruicem submitteret, cognitionẽ sui statim ante oculos proponit, vt ea habita, quid vnusquisq; sit, & quàm parum valeat, & quantùm lege, & regula directrice indigeat, compertum habeat, atque ita ad eius adimpletionem toto animo se accingat. Sic enim hoc, omnibus hominibus à natura insitum est, vt ipsa impellente, & ipsi ethnici, id ipsum in institutione morum, in basim, & fundamentum totius vitæ constituerint, imò & in suis delubris in ipso ingressu inscriptum haberent, nosce te ipsum γνῶθι σεαυτόν. Ad quam considerationem nullam rem perinde valere, ac vitæ anteactæ intentam cogitationem, periculum ille fecit, quem deijciendæ superbiæ, & arrogantiæ propriæ cura aliquando pressit. Quod & diuinum documentum est: Dominus siquidem aliquando Hierusalem superbiam ac insolentiam deprimens, considerationem eorum, quos vita imitata fuisset, suggerit, dicendo: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa: Ezech. 16. quasi diceret, respice retrò & perpende vitam tuam, nam vt ex ea colligitur, ex parentibus infidelibus videris nata. Atque in eandem rem nunc, vt cognita propria imbecillitate, legem datam mente reponerent, originem cuiusque in peccato

fuisse, & in pœnis ipsum subsequentibus, in lucem hanc erupisse memorat. Mulierem igitur masculum edentem, infirmam manere, & morbosum fœtum parere declarat; diuersa tamen ratione: nam ipsa partu immunda redditur, quantum ad impuritatem quandam, pœnam antiqui delicti sustinendo: proles verò quantùm ad peccati originalis maculam, cuius rea nascitur propter Adæ erratum, quod propa- Rom. 5. gatione in omnes eius posteros descendit. sic enim ait beatus Paulus: Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccauerunt. Pœna autem mulieris hac lege pręscribitur: vt si masculum pepererit, septem primis sequentibus diebus, ita ab omni aliorum conuersatione arceatur, vt nec viro suo consuescere liceat, quo tempore menstrui fluxus, quo fœtus nutriebatur, currit: Deinde etiam triginta alijs diebus sequentibus, quoniam adhuc in sanguine est, & locum & rem quam tetigerit, inficere potest, nec sacrificium tangere, nec oblatis vesci, nec templum ingredi licebat, bene tamen cum alijs conuersari, durante semper inhibitione coniunctionis cum viro. Etenim masculus quadraginta dierum spatio in vtero formatur, & organizatur, & aptus redditur, vt animam à Dèo accipiat, quam tunc infundit. & totidem diebus immunda manet post editum filium, sic vt pœna corporis formatio- Gene. 3. ni, & organizationi respondeat. Itaq; maledictio illa Domini: In dolore paries filios tuos, non solùm pro ipsa eruptione partus in lucem, locum habet, sed ad quadragin- 1. Tim. 2. ta sequentes dies extenditur, quando masculum parit: atque hoc, quia suis titillationibus, votis serpentis annuendo, seducta fuit, quod non fuit vir, sed illecebris eius attractus, transgressus est legem Dei, vnde omne malum dimanauit. Ex eo enim per traductionem naturæ originale peccatum contrahimus, & in mortem & cæteras miserias & calamitates, genus humanum incidit: quibus ipsum vsque adeo importunè semper laborare videmus. Quoniam autem totum tempus septem dierum reuolutione continetur, (nam eis antè & retrò extensio, non est aliud, quàm septem Basilius homil. 2. in hexam. dierum indesinens replicatio. Ita quippe ait Basilius: Deus qui tempus fabricauit, septenario numero ipsum dimetiens, semper septenarium dierum in se ipsum reuolui iubet, temporis motum enumerantem: septenarium autem rursus, explere vnam diem, septies se ipsum in se reuertentem, quia in circulari figura dispositum est, à se ipso initium sumens, & in se ipsum desinens) hinc septem dierum spatio immunditiæ mulieris, omnis mundi duratio, vsque ad diem iudicij significatur, vt cùm matrem nostram, in huius rei significationem ab exitu ab ipsa, septem diebus sic pati viderimus, totam huius sæculi vitam laboribus & ærumnis transigendam esse discamus: & quòd non sit aliud, quàm militia, aut tentatio vita hominis super terram, peccato illo primi hominis admisso. Alijs autem triginta tribus diebus, qui restant, vt quadragenarius numerus resultet, extra communionem sacrorum, & liberam etiam consuetudinem aliorum, afflictu agit, in pœnam seductionis propriæ, qua peccatum Adæ, & eiectionem à Paradiso occasionauit. in felicissimo enim statu illo innocentiæ, non nisi sanctissima Trinitas in animabus hominum, corporibusque, ipsa spiritibus subijciendo inhabitaret: vnde pœna & priuatio illius status ternario vnitatum, & item denarij significatur. Transacto verò hoc tempore, ęrumnis & calamitatibus ob peccatum pleno, dies octauus succedit, in quo circuncidebatur puer. Qui dies, resurrectionem vniuersalem significabat: in cuius pignus die Dominico & octauo, resurrectio Domini facta est. Cuius mysterij non ignaros antiquos patres per- Augusti. epistol. 119. ad Ianuar. tom. 2. misit esse Dominus, ait beatus Augustinus: Ob quod die octauo infantes circumcidere iussit. Erit autem is dies quietis pacis, & cælestis gloriæ electis, qui probati fuerint, & igne tribulationum in præsenti sæculo, & Purgatorij in futuro, quibus plena satisfactio in hac vita non contigerit, illucescet.

Si verò filiam peperisset, quoniam octogesimo die animatur corpusculum illud, totidem diebus enixa pati præcipiebatur: nam quatuordecim diebus immunda manebat sanguine menstruo defluente, iuxta consuetudinem muliebris partus: reliquis verò sexaginta sex diebus, & si mũda, quia adhuc in purificatione sanguinis erat, & locum & rem tactam rubricare poterat, parienti fœminam pœna, & afflictio geminatur. Pro immunditia namque sanguinis menstrui alia hebdomada dierum superadditur, & alij triginta tres dies pro purificatione in sanguine. Etenim vt dolor partus,

malo-

maledictionis pœna existit, & effectus item peccati, ita & immunditia subsequens: nam hæc & illa caruisset, si peccatum non præcessisset. Sed cur in partu fœminæ dies immunditiæ menstrui, & purificationis in sanguine duplicantur? proculdubio, quoniam mulier à serpente seducta fuit, vt supra dictum est, non autem vir, sed eius lenocinijs inclinatus. Vnde geminæ culpæ, seductionis propriæ, & inductionis viri gemina pœna in partu fœminæ, legitime illi designatur. Verum tamen illa quatuordecim dierum propriæ immunditiæ, propter geminum peccatum explicatum: hæc verò in testimonium perditi integri status ab vtroque sexu, verũ occasione mulieris. Quamobrem sexaginta sex diebus extra conuersationem omninò liberam omnium, & communicationem sacrorum manebat: Quia iste numerus duplicem perfectionem signat, bis senarium continens, qui in denario numerus perfectus existit: & quoniã ea se & virũ priuauerat, eiectionem à Paradiso occasionando, meritò in pœna hac quã patitur, per antithesin priuatio doni in vtroque significatur. Cæterùm ne ob hoc mulier animum despondeat, in salutisque contentione deijciatur: in gratiam & solamen eius subdit Apostolus loco citato: Saluabitur autẽ per filiorum generationem si permanserit: quasi apertè dicat: hoc illi in gloriam & coronam ampliorem cessit, si filios probè in Christiana vita educauerit, in fide nempe, spe, & charitate, cæterisq; virtutibus harum ministris: à qua potiùs, quàm a viro hæc educatio pendet, quòd indiuiduã vitam infantiæ, & pueritię tempore cum illis agat, non sic autem vir. Generatio etenim hoc loco idem, quod educatio & institutio sonat, secundum quod quidam eleganter dixit: tunc vniuscuiusque generationem finiri, quando eius natura perfecta in suo genere euadit. Eatenus autem semper generari: Quapropter hominis generationem vsque ad finem augmẽti, & virilem ætatem protrahit. Atque similiter, quando in vita studiosa institutione quis proficit, generari dicitur. Vnde & B. Matthæus Christi Iesu ortum diuinũ, & vitam sacrosanctam enarraturus, suum Euangelium, Liber generationis Iesu Christi, inscripsit. Saluabitur iterum, per filiorum generationem. quia filij rectè educati memores dolorum, & angustiarum, quas pro ipsis mater pertulit, vt ipsi gratificẽtur, ipsius salutem bonis operibus & orationibus iuuabunt. Vnde per filiorum, & non filiarum generationem, dixit: quoniam Scriptura filios, qui bonæ indolis fuerint, nominat, vt eas generationes narrando, quibus ad Noe & Patriarchas, genus deducebatur, filios tantùm antiquos illos parẽtes prodit, & non filios & filias, vt de cæteris à mandatis Dei declinãtibus dicit. Et tandem quòd non absque magno merito, dolores partus mulier sufferat, quando cum Deo, animo bene composita, in eius obsequium, & Ecclesiæ multiplicationem, eos labores subierit.

1.Tim .2.

Aristo. lib. 1.Pol.

Matth.1.

Cumque expleti fuerint dies purgationis suæ, prò filio siue pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti: Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui: Ista est lex parientis masculum, aut fœminam.

QVOD primùm quispiam à calamitate aliqua, periculóue liberatus intendit, est se in benefactorem gratũ exhibere: nec aliud cogitat, quàm quomodo illi gratias aget, ob beneficium acceptum, quaque re acceptum illi referet quicquid sibi inde boni contigerit. Quod si vinculum societatis humanę, hoc gratitudinis officium tam strictè exigit; iam tu lector perpende, quanta cum ratione idem Domino debeat exhibere mulier, quæ inter angustias partus constituta, cum vita & pelle euasit, quæ prolem incolumem suscepit, quæ tempore immunditiæ, morbum cum profluuio sanguinis agnascentem superauit? Hac igitur de causa lege Dominus statuit, vt completis diebus purificationis, secessionis, & separationis, ab vsu communi rerum, ne eas cõtaminaret, in templo coram Domino cum sua oblatione compareat. Verũ post hoc officium, aliud idem Spiritus diuinus intendere videtur, quãdo nõ pro se, sed pro filio aut filia munus offerre iubetur, atque causam explicando, columbum siue turturem pro peccato afferre. Quod non parum impeditum hunc locum reddit: Nam nullũ aliud peccatum quàm originale, paruuli huiusmodi tunc habere poterant. quod & B. Augustinus sentit, adducendo Apostolum clamantem: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, Rom. 5.

& per peccatum mors: & sic in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. [Psal. 50.] & Regium Psaltem etiam plorantem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, siue aluit, vt ipse legit: quia mater concipiendo non [Augustin. super hunc locum.] peccauit, sed per conceptionem, in alendum suo sanguine, peccatum transfudit, quàm primum anima infunditur. quòd lege ordinaria, quando mortis periculum antè nō immineret, fœmina ab originali, hac oblatione mundaretur. bene quidem: tamen masculus per circumcisionem diei octauæ, ab eo iam erat liber: quorsum ergo hic iterum pro eo simul cum fœmina contenditur? & rursus difficultatem auget, quod in adimpletionem huius legis puerum Iesum (qui nec originale, nec aliud peccatum habere potuit) [Lucæ 2.] induxerunt parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Forsan aptè expedietur locus, si naturam originalis peccati probè tenueris: Nam eius vis & cōditio est, cum totius naturæ peccatum sit, quamlibet personam, eam ex descendentia Adæ, per propagationem suscipientem, lethaliter inficere. Quamobrem, etsi per circūcisionem dimissum esset, quantum ad infectionem personæ, quia fides sic protestata id valebat efficere; tamen quantùm ad naturam humanam eius primam sedem, & subiectum, exosa erat Deo: nulli siquidem ad cælum aditus patebat, antequā passio Christi Iesu, legitimum tantæ offensæ pretium, fuisset exhibita. Atq; in protestationē huius fidei, solutionis, & liberationis totius naturæ. pro eo peccato simul cū fœmina masculus oblationem offerebat. Cui rei suffragatur, quòd oblatio iussa, agnus anniculus est, quem turtur, aut pullus columbæ comitatur, si res familiaris suppeteret: agnus quidem in holocaustum, auis verò pro peccato. Vbi agnus hic Christum Iesum se totum igne charitatis accensum, & tribulationum atque tormentorū in cruce pro nobis absumendū, ea puritate & fortitudine, qua anniculus agnus vigere solet, significabat: quod explicans eius præcursor Baptista, hac compellatione vsus, clamabat dicendo: Ecce agnus [Iohan. 1.] Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ipse enim etsi sufficientissimè abstulerit omnia peccata; primum tamen peccatum originis, quo tota natura humana Deo infensa erat, & ex quo cætera tanquam ex fonte riui scaturierant, & tanquā propagines ex radice pullulauerant. Vnde quamprimùm Saluator mundi in lucem fuit editus, iram æterni Patris in naturam hominum iam pacatam, angeli decantarunt, dicendo: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas, Dei scilicet. Quoniam hanc fidem passionis Christi, id est, Redemptoris nostri. parens nomine infantium, protestabatur, quæ nulli vnquā efficaciter profuit, nec proficere potest, nisi actualiter applicata, quod post Sacramenta principaliter efficere habet pœnitentia, gemitu columbæ, & turturis potissimùm hic significata: Inde harum auium oblatio simul cum agno est requisita. Etenim pœnitentia peccatorum gemitum, cum quadam vitæ emendandæ cura, & attentione item atque cautione, contra nocentium hostium insectationem, requirit: quæ memoratis auibus plenè reperiuntur: vtraque enim læta & tristis, gemitu socium vocat, & suam solitudinem gemitu meditatur. & colli extensione, & contractione, atque visus seuentate, nunquam non præsentiam hostium vt sibi caueat, suspicatur. Hæc autem animam Deo gratam & amicam reddunt, virtute tamen meritorum Christi, quibus innititur: Quapropter eam ex se exeuntem, & ad Dominum confugientem, (ad [Cant. 2. & 4.] hunc locum alludens) amicam, columbam, & formosam sponsus appellat. Imo eius compositionem celebrando, adeò pulchram æstimat, quòd oculos columbarum habere dicit, absque eo quod intrinsecus latet. & rursus, quòd ad fructus pœnitentiæ, & cæterarum virtutum, perinde ac arbores tempore verno, proferendos properet, turturem, ve-[Cant. 2.] ris nunciam, appellat. Sic quippe ait: Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit, perturbationum scilicet, tribulationum, & peccatorū, vox turturis audita est in terra nostra. Quòd si copulatiuè legeris, vt B. Augustinus, pullum columbæ, & turturem requirere Dominum; duas conditiones vitæ comites à suo asseclà exigere intelliges, & vigilē pœnitentiam, quam columba vestigiat, & Christi Iesu cognitionem & fidem, quam turtur notat. Negligentia enim legis præfinitæ, homo in peccatum incurrit, & sequacem eius immunditiam, innocentiam illius status amittens: Quapropter & correctione pœnitentiæ, & scientia ac fide Christi Iesu Redemptoris nostri, semper indiguit: vt si non ad eandem, ad æquiualentem saltem, quātum ad ius cælestis gloriæ, modo præscripto ab Ecclesia, in innocentiam restitueretur. Vernum equidem tempus fuit, quo vnigenitus Filius Dei homo factus, in terras concessit, in cuius exspectatione populus ille tempore legis

legis vixit,& eo accedente lætari (perinde ac turtur veris occasione) proficere, & suam salutem negotiari debuit. quem quod minùs hoc cognouerit, turture insipientiorem, [Hier. 8.] tempus visitationis suæ non cognoscendo, aliquando obiurgauit Dominus. & alibi, Christus Iesus eius interitum condolens, veluti ad turturis cognitionem remittendo, [Lucæ 19.] flens super Hierusalem, dixit: Si cognouisses & tu quæ ad pacem sunt tibi hodie: modò abscondita sunt ab oculis tuis. Cæterùm pius lector nó abs re rogabit; quando turturem Dominus in sacrificium requirit, cur non columbam eius, sed pullum columbæ deposcit? attende animalium magisterium, homini datum, quando suum super ea & cætera omnia retinere nesciuit. Duo sunt quæ vitæ integritatem, vt suppositæ ædificio bases, stabiliunt, quorum alterum, alterum includit; continua, scilicet, indigentia Dei, qua homo laborat, & eius cognitio: quæ ita se mutuo aduocant, vt quantùm quis pluris indigere Domino, non solùm in gratuitis, sed etiam in naturalibus cognouerit, tantùm maioris cognitionis Dei, ad vitam promouendam, assequatur: & ècótra quantùm in Dei cognitione sic profecerit, tantùm cum maiori eius indigentia agere, intelliget. Hæc autem nos diuinus Spiritus docere intendens, ac alta mente, ad vitam Christianè transigendam, reponere commendans, pulli columbę aut turturis oblatione, ipsi protestari, ab ipso vitæ initio voluit: Nam illud, columbæ pullus vel maximè ob oculos ponit, quòd volucrium nulla sit, quæ importuniùs, vrgentiùs ac ignauiùs parentes pro alimento sollicitet, vtpote quòd tota salus, vita, & esse ab ipsis omnino pendeat: continua siquidem alimenti petitione, præsentem parentem vexat, expansis alis, ac remigatibus, ingenti clamore inclinat: & non nisi à parentis ore, in proprium os immissum cibum suscipit. Atque vt similiter nos Deo indigere admoneret, vt non minùs importunè & impensè, nostram fatendo ignauiam, Deum sollicitemus, & obsecremus, non columbam, sed pullum offerri petijt. Quod est semper orare, vt Dominus dixit: & sine inter- [Lucæ 18.] missione. vt eius Apostolus sanctus Thessalonicensibus explicuit. Qui enim cum con- [Thes. 5.] sideratione huius indigentiæ Domini viuit, in qua omnis Christianus viuat oportet, semper mentem vel ab ipso opere expergefactus, in Deum attollit, auxilium petendo, ne eo offendatur, quin potiùs gratificetur & seruiatur. Turtur verò symbolum ponitur scientiæ, qua suæ saluti consulit, non autem eius pullus. Ita ergo delata oblatione ad ostium tabernaculi testimonij, quod B. Lucas sistere coram Domino dixit, infans Domi- [Lucæ 2.] no offerebatur. & cùm accepisset oblationem sacerdos, & orasset pro matre, munda reddebatur. Oratio etenim sacerdotis pro emundatione matris ordinabatur, & nón pro infante primùm, sed oblatio, vt dictum est. mundatio autem eius in hoc posita erat, quòd cessabat pœna enixis, vt narratum est, posita.

Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

QVONIAM non omnium eadem sors & facultas est, post oblationem diuitum, pauperum iam pro sua tenuitate signat, duos nempe turtures, aut duos pullos columbarum. Verùm cùm agnus oblatus, passionem Christi Iesu significaret, cui omnis nostra pœnitentia, & vita quæ Deo grata esse debeat, niti oporteat, quî ab oblatione agni pauper eximi potest, cui non aliud ostium, cælum introëundi, quàm Christus signatus est? Ita sanè, nam ipsemet dixit: Ego sum ostium, si quis per me introierit, saluabitur. Quapropter ratio cogit, sensum spiritalem hîc attendendum, vt diuites, maiores in fi- [Iohan. 10.] de, dignitate & gubernatione Ecclesiæ significent, quibus tabernacula ductandi populum credita sunt. Pauperes verò populum ipsum, & minores, qui illos sequi debent in cathedra Moysi sedentes, & iuxta eos tanquam iuxta aratores boues, vt inquit B. Iob, [Iob. 1.] spiritales pastus carpere. Vnde fidem vniuersalem Ecclesiæ sequendo, quæ agnum anniculum, id est, Christũ pro omnibus offert, sufficit minoribus, vt pauperibus, sua munuscula, vt par turturum, vel pullorum columbæ, eidem innitendo, offerre. Et rursus, cũ mentionem oblationis pauperum intulit Dominus, mysterium significauit, Christum nempe Iesum, ad mundi fastum deprimendum, pauperem nasciturum: qui quoniam agnus immolandus erat, vt inquit B. Augustinus, sufficiebat par turturum, aut duos pullos columbinos offerre, vt sacrum Euangelium refert hoc loco præceptum fuisse. Cæterúm,

rùm,cur non offerendo agnum, geminat aues,cùm antea vno turture, aut columbino pullo contentus fuiſſet? Myſterium proculdubio ſignatum eſt hic. Memoratæ namq; aues,hoc commune habent,vt inter omnes,apptime ſanctum matrimonij Sacramentū in hominum magiſterium,prævestigient, dum ita mas & fœmina ſe aſſociant, vt indiuiduè viuant,& ſub tanta fide,vt neuter alteri fœdifragus,aut adulter deprehendatur: atque caſtiſſimum & ſanctiſſimum illud matrimonium præſignans, beatiſſimæ virginis Mariæ & ſancti Ioſeph,ſub quo de virgine deſpōſata, & iam nupta vnigenitus Dei Filius homo factus,proditurus erat, ſic ſociatas in purificatione virginis offerendas,hoc loco præfigurauit, quoniam mos earum eſt in ſingulis fœturis marem & fœminā ſemper edere. Chriſtum Ieſum ex virgine naſciturum Spiritus ſanctus manifeſtè hoc capite notauit,cùm dixit: Mulier ſi ſuſcepto ſemine,&c. apertè indicans, [Galat. lib.7. c. 14.] (vt eleganter notauit Galatinus) futuram puellam,quæ non ſuſcepto ſemine, ſed clauſtris virginalibus obſignatis,conceptura erat. Vt apertiùs Eſaias prodidit, dicendo: Ecce virgo concipiet, [Esai. 6.] & pariet filium, &c. Congruit tamen diuino conſilio, hunc diuinum partum diabolo occultatum fuiſſe,quamobrem ſub matrimonio futurum,in ipſo rerum initio prænunciauit Dominus per Adam,dicēdo: Hoc nūc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea, [Genes. 2.] propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Quod explicans B. Paulus, inquit: [Ephes. 5.] Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. quod tunc celebratum eſt,quando ſub lege matrimonij ſancti,in viſceribus ſanctiſſimæ virginis conceptus eſt. Deinde etiam idem matrimonium hîc figuratū eſt, quando duobus ſociatis turturibus,aut columbinis pullis oblatis pro eo,in templo Domino præſentari voluit. Præterea ſub lege matrimonij, Dominum Ieſum incarnari oportuit,vt nutricium haberet,& comitem beatiſſima virgo,in fuga ad Ægyptum,& reductione, & cæteris vitæ neceſſitatibus occurrentibus, vt inquit Origenes. & tandem in ſanctificationem Sacramenti matrimonij, cuius legibus obiectus Dei Filius homo fieri voluit,eas approbando, imò ſuæ Eccleſiæ multiplicationem naturalem, ſic & non aliter exigendo. Ob quā etiam rationem primum miraculum editurus, atque in matrimonio ſpiritali,Eccleſiæ filios ſpiritales generare incipiens,matrimonio carnali (quod illius fundamētum exiſtit) intereſſe voluit. Ad hæc, cùm minùs,matrimonium ſit oblationis,qua offerens,ſe Deo dicat & conſecrat, quando geminas aues petit, proculdubio charitatem Dei,& proximi commendat,& eam teſtificando, nomine infantis, parens,par turturum,aut duos pullos columbinos offert.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

LOquutus eſt Dominus ad Moyſem & Aaron, dicens: Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuerſus color ſiue puſtula, aut lucens quippiam, id eſt, plaga lepræ, adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel ad vnum quempiam filiorum eius.

NVLLA res adeò ob oculos nobis Dei voluntatem ponit, ac noſtræ miſeriæ continua & intenta conſideratio: ob quod poſtquam eam, peccati originis contemplatione oppoſuit,in actualium conſiderationem nos iam adducit; quæ cùm ex ſuperbia,auaritia,concupiſcentia,& cæteris affectibus illud vendicantibus, oriantur, vt talis radicis propagines,ac arboris fructus, non minùs humanam infirmitatem & imbecillitatem redarguunt: vt hinc impenſiùs ad legis adimpletionem, in qua Domini voluntas nobis innoteſcit,accingamur. In feliciſſimo illo innocentiæ ſtatu homo poſitus,ſi ſibi cōſcius perſeueraſſet, Deo ſemper obedientia coniunctus,in omni ſcientia & dominio aliarum rerum,& ſui,cum vitæ incolumitate,abſque omni ratione pœnæ,quā nunc poſt peccatum experimur,ageret: At Deo repugnans,in propriam incidit excellētiam, in ignorantiam,in ſubtractionem item obedientiæ cæterorum animantium, imò ſui ipſius,carne inſurgente cōtra ſpiritum: ſenſit mortem etiam,morbos,& cęteras infirmitates,eiuſdem memoratrices. Propriam namque excellentiam,ſerpens ille antiquus,vt qui ingenium naturæ humanæ iuſtitia originali deſertum, optime nouerat, ſibilo illo, [Genes. 3.] quo dixit: Eritis ſicut dij; in naturam inſufflauit humanam: & in tantum tumorem,veneno imbibito,ſe extulit,vt ſibi ſolùm fidens, diceret: [Psal. 13.] Non eſt Deus,id eſt, non habet

curam

curam rerum humanarum, vt libuerit viuere, quis prohibet? & qui tanta rerum cognitione pollebat, vt iuxta earum proprietates, quas optimè nouerat, vocaret eas, ita ignorantia vindice, mulctatus est: [Gen. 2.] vt in tenebris & vmbra mortis homines non ambulare, aut stare, sed sedere propheta dixerit. Et cæcus ille prudés secus viam mendicans, idem [Esai. 9.] confessus est: quando Christo Iesu roganti, quid vellet sibi fieri? totius naturæ humanæ vocem edidit, dicendo: Domine, vt videam. Subtractionem autem obedientiæ cæterarum rerum, imò in vindictam peccati, cótra hominis rebellionem, & potissimùm ferarum, & sui ipsius, quòd Dei imperium homo non agnosceret, quis non videt? Quod & Scriptura non tacuit. Nam Noë, quòd Domino obsequutus fuisset in fabricatione arcæ, [Genes. 8.] & animantium reseruatione, omnia morigera fuerunt, quæ virus in eum antè proijcerent. Atque ob eandem rem intestinum, & plusquàm ciuile bellum partium animæ sensualium contra rationem indeficiens exortum est: vt inobedientiæ commissæ, intra seipsum homo plecteretur, carne cócupiscente aduersus spiritum. [ad Gal. 4.] mortem verò, morbos, corporis infirmitates, & cuiusuis generis afflictiones, grauissimi illius commissi animaduersiones esse, ipsemet Dominus declarauit, quando ante paradisum voluptatis; Cherubim collocauit, flammeum gladium, atque versatilem habentem, ad custodiendam viam ligni vitæ. [Gen. 3.] Cùm autem hæc omnia pœnarum genera, hominem circumstantia, continuè in ipsum ob peccatum impetant, atque ea ratione id semper memorent, præcipuè tamen corporis affectiones & infirmitates, hoc efficiunt, & corpus afficiendo, ægrotationem animæ, & peccatum dominans suapre natura repræsentare habent. Hac quippe doctrina sanaturus Dominus paralyticum, animam prius curauit, dicendo: [Matth. 9.] Confide fili, remittútur tibi peccata tua. & rursus, morboso illi triginta octo annorum, postquam eum liberauit, dixit: [Iohan. 5.] Vade, & noli ampliùs peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat: & denique, quoniam ipse Dominus Iesus, peccata & animarũ morbos curaturus aduenerat, in huius rei testimonium, morbos corporis passim depellebat, mortuos suscitabat, & dæmones peccatorum primarios auctores ab oppressis eijciebat, & nostra insuper peccata proximus morti sustinendo, quæ non tormenta, afflictiones, & pœnas, in eorum solutionem non sustulit? Etenim viuendo & moriendo, vt inquit propheta, [Esai. 50.] verè dolores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Diuina enim sua sapientia ex peccati effectibus, vnde vim suam & robur acceperat, antidotũ contra ipsum confecit, vt qui mala hæc pœnæ patienter tulerit, non solùm peccatum debilitabit, verùm ipsum vincet. & quoniam pharmaci amaritudinem habent, cælestis ipse medicus, vt mitiora nobis redderentur, diuini sui amoris dulcedine obducta, & lenitate indicibilis sapientiæ complanata, prior recepit, & omnem eorum amaritudinem ebibens, eadem dulcorata nobis reliquit.

Morbi igitur coporis, morborum animæ, primi indices sunt, & inter omnes lepra, scabiosus morbus principem locum tenet, vnde & in pœnam peccati, eam solitus est infligere Dominus, vt in Mariam contra Moysem murmurantẽ, [Exod. 4.] quæ lepra plena fuit, & extra castra eiecta: & Osias Rex, quòd sacerdotum officium vsurpare contenderet, [2. Par. 26.] incensum nitens adolere Domino, ilico lepra percussus fuit. Et in testimonium, quòd non habitat in homine, id est, in carne hominis bonum, vt inquit Apostolus: [Rom. 7.] Præcepit Dominus Moysi remittere manum in sinum suum; quam cùm misisset; protulit leprosam instar niuis. [Exod. 4.] Quoniam quicquid exierit ab homine proprijs viribus tantùm innixum, quid nisi peccatum est? atque meritò, morbus hic in notam peccati primùm delectus est: quoniam ex superfluis, & redundantibus humoribus in cutem se extendens, totum hominem deturpat; vt peccatum ex concupiscentijs indomitis natum, in totam animam se diffundens, eam deformat. Volens ergo Dominus leges præscribere, quibus cognitionem peccati sacerdotes venarentur, per modos, quibus leprosus corpore cognoscitur, & quibus recens aut inueterata lepra dignoscitur, per hæc sensibilia ad intelligibilia nos manuducendo, procedit. Quòd aũt scopus & finis intentus ab Spiritu sancto hic sit, & non sensibilis tantùm lepræ mundatio, vt animales Iudæi existimarunt, luce clariùs patet. Nam quorsum valetudinis corporis (quod animæ seruus, & mácipium existit) tanta cura esset Domino? nunquid de bóbus cura est Domino, [1. Cor. 8.] an de animabus primùm, in quarum obsequium & famulatum corpora ipsa illis coniunxit? Et rursus, quorum leprosorum cognitio ad sacerdotes deferretur, qui spiritalibus rebus ministri deputati sunt, & animabus lucrandis, non corporibus? Erant enim & tunc medici, qui-

bus cæ

bus ex officio corporum morbis proſpicere conueniebat, atque de his iudicare peritia ſuæ artis, certiùs & commodiùs valerent. Prætcrea, quid eſt, Dominum ad Moyſem & Aaron loqui, cũ ſolus Moyſes legislator ſit, & nomine Dei loquatur? niſi quòd ſub cortice literæ, quam Aaron repræſentabat, ſenſum ſpiritalem recondebat, quem Moyſes Exod.4. ſignificabat. Ita enim Dominus docuerat, Aaronem, os Moyſi conſtituẽdo, in his verò, Pſal.61. quæ ad Deum pertinerent, Moyſem ipſum deſignando. Quod & Dauid Rex explicando, ſemel loquutum eſſe Dominum in lege memorat, tamen duo audiuiſſe; literam nempe, & ſpiritum: illa vt exemplo ſenſibili manuducebat. hic verò animam cibabat, & in fide inſtruebat. Vnde explicãdo quod audiuerat, ſubdit: Quia poteſtas Dei eſt, & Pſal.93. tibi Domine miſericordia. quoniam cortice legis ſe Deum vltionum, vt alibi idem Regius vates decantat, ſe oſtendit: In Euangelio verò ſub ea recondito, omninò in nos mi- Pſal.14. ſericordem. At quia omnes viæ Domini miſericordia & veritas, vtrobique ſemper vnicuique reddit Dominus ſecundũ opera ſua. His ergo de lepra, & morbo animæ, primũ hoc loco ſermonem haberi maneat definitum. Ait ergo, homo in cuius cute, &c. Vbi compellatione ipſa, qualem ſe præſtare debeat, quem inſtituere Dominus intendit, cõmonefacit. Homo enim ad imaginem Dei factus, quãdiu ex ratione, & præſcripto eius viuit, Dei imaginem, ad quam creatus eſt, ſeruat: eamq́ue non fruſtra recepiſſe, dum operibus conſpicuam omnibus facit, demonſtrat. Quando verò ſecus agit, more brutorum ſenſus ſequendo, Dei imaginem negligit, deturpat, ac deformat, alienam effigiem nẽpe diaboli in ſe ſculpendo. Quaptopter vt nummus adulterinus aliam, quàm Regis faciem, aut ſtemmata habens, ab eo reſpuitur, nulli vſui commerciorum valens, imò eo vtens plectitur; ita qui impreſſam in ſua vita, Dei imaginem, id eſt, liberi arbitrij rationem non exhibet, vt adulterinus nummus, vſui Domini non valens, ab eo negligitur, & incorrectus, tanquam monetæ publicæ falſarius punietur. Vnde quidam, limites hos Diogenes. naturalis conditionis tranſgreſſos, vbilibet videns, in frequentia hominum, totus negotioſus media die, inſpectâ ice lucerna, hominem quærebat. Aptiſſimè ergo caſus hominis exploraturus hic Dominus, dignitatis, quam in ipſa conditione accepit, hominem appellando admonet. Atqui, cùm homo ab eo, quod debet, degenerat, & cadit, ſed ſolùm ſibi malum eſt, & Deum offendit, verùm tolerabile: Attamen, quando peccatum ſcandaloſum eſt, & in plures, radices ſuas extendit, quoniam multorum infectiuum eſt, & diſſimulatum, totam rempubl. occupare poteſt, id Dominus impunè non permittit, ſed extra caſtra ilico patratorem eijcit. Quamobrem morbo lepræ, qui ſurpſius in totum corpus diffunditur, ſi inter initia non reprimatur: & in cute, & ſuperficie carnis generatur, huiuſmodi peccatum confertur. Indicat autem ſe primùm lepra, tumore quodam colorem natiuum variante, & in modum ſcabioſæ puſtulæ, deinde ſerpens: & item alio modo, candicans, & niueum colorem referens: propterea has treş ſpecies notans, per diuerſum colorem, ortam in carne, per puſtulam, & quippiam lucens quod appareat, ſignificat. Nam ſemper quòd in homine quippiam ſimile lepræ, aut quod eius ſuſpicionem ingereret, videretur, ad ſacerdotem adducendus erat. Vbi Chriſtiane lector aduertas oportet, quantum odiat Dominus publicum peccatum. Perinde etenim ſe habet ac publicus graſſator, & pirata, qui abſque Dei timore, & hominum pudore quoſcumque obuios, audacter offendit, ſpoliat & perdit. Quapropter ſtatim inter initia exulare, & à populo extrahi ſtatuit: ne maiores radices nactũ, poſſeſſionem & naturale ſolum, in ſui defenſionem alleget, & totum populum inficiendo, imò vniuerſam Rempublicam, in morem & conſuetudinem veniat, & tanquam res iam licita, & ſanctificata, cum magna Dei offenſa, & populi ſtrage, impunis erret. Vnde grauiſſima ſupplicia per diutinas captiuitates, & hoſtium innumeras victorias, populum illum Dominus afflixit: ad quæ reſpiciẽdo, vt a ſua Eccleſia tot flagellá Dominus amoueat, ſi quæ, genus & antiquitatem allegando, quæ Deum ſic exaſperent, in morem venerint, explorare oporteret, eaq́; è medio tollere, & tibias peccati prauis conſuetudinibus firmatas, omninò ſcindere. Interim enim timeo, ne iuſtis & timoratis viris, orationibus Dominum pulſantibus, reſpondeat, quod Hieremiæ: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec Hiere.7. aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te: & Ezech.14. item quod Ezechieli dixit: Fili hominis, terra cũ peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum: & ſi fuerint tres viri iſti in

medio

medio eius, Noæ, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua saluabunt animas suas, ait Dominus exercituum.

Qui cùm viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua, plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur.

PRINCIPIO notissimæ lepræ iudicium ad sacerdotem defertur, & eius arbitrio etiam sententia remittitur: Oportet tamen priùs, vt ordo iudicij exigit, rem exactè cognoscere. Quare lepræ manifestationem, tribus notis facit, quando in cute est scalptio, in album colorem mutatio, & partis affectæ superficies reliqua carne submissior & profundior. Quæ cùm ad peccati indicationem ordinentur, cuius cognitionem sacerdos confessarius habere debet, vt retinendo aut remittendo, rectum iudicium proferat, in eo hæc consideranda sunt: Sacramenti enim confessionis quædam ratio hic subfigurabatur. Tria ergo in huiusmodi peccato, vt ad iudiciũ sacerdotis refertur, cõsiderantur: Primùm, quòd appareat macula in cute, siue scalptio mordeat, nã de occultis Ecclesia nõ iudicat. Quid mihi, ait Apostolus, de his quæ foris sunt? quare nec sacerdos cognoscere de occultis potest, quę per accusationem in confessione nõ prodierint: Quocirca caueat pænitens, ne aliquod peccatũ celet: nam cũ in cute non apparuerit, quouis prætextu abscõsum, ad iudiciũ sacerdotis non pertinebit, & tota res circa alia defecta infecta manebit. 1.Cor. 5. Secunda nota siue indicatio, à mutatione pili in albũ colorẽ sumitur. Capilli etenim, mentis cogitationes in Scriptura significant: In hanc quippe rẽ Nazaræorum professio scindere capillos non permittebat, quòd illius instituti religiosi, vt exteriùs, ita & interiùs sancti esse deberent, & cogitationes quæ ex lege secundum Dei voluntatem acceperant, permanerent, nec extrà diffluerent, ac vagarentur: sed intus spiritui adiacentes, in eiusdem promotionem extenderentur. Num. 6. Et harum rerum similitudo, rem satis exponit: Nam quemadmodum capilli in capite oriuntur, cuius tegumento, & ornamento seruiunt, ita & cogitationes, ex Dei voluntate in mente oriundæ, eam contegunt & ornant: Albedo deinde, quoniam in eius mixtione lucidum, notabiliter dominatur, (vnde suprà, loco coloris albi, lucens quippiam, posuit) lucidum & perspicuum, quo res videntur, notat. Quapropter pilorum in album colorem mutatio, manifestationem & detectionem prauarum cogitationum apertè significat, per externum peccatum, quod in ruinam & scandalum aliorum habet cedere. Etenim vt capilli, quòd in capite oriantur, vbi mens residet, & suam sedem habet, assumpti sunt, ad eas cogitationes significandas, quæ rationis sunt, & legis Dei examen subeunt (quibus tectam & ornatam semper mulierem desiderat Apostolus: propter quod dixit, Omnis 1.Cor. 11. autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum, vnum enim est, ac si tondeatur, &c.) ita & pili reliqui corporis, quòd in carne oriantur (quæ legi Dei subiecta non est, nec esse potest, ex se videlicet stragem peccati sequens) ad affe Rom. 8. ctus perturbationes, & passiones notandas, ex quibus non frænatis, peccata pullulant, fuerunt præsignati. Tertia nota, quæ lepram manifestat, profunditas loci affecti existit, quæ non solùm peccatum in cute, id est, opere externo prodiens, aut quod fratrum offensiuum sit, se albore manifestans, sed quod vetustate vitium exulcerans euasit, planè demonstrat. Quemadmodum vlcus, quod carnem corrosit, & humiliorem reliqua reddidit, vetus morbus iudicatur, & immedicabile censetur: ita & peccatum (quãdo habitu firmatum est, vitam eius in quo residet commaculans, humiliorẽ item & submissiorẽ reddens cõmuni viuendi modo, à legibus communibus & Ecclesiasticis præscripto,) vlcerosus animæ morbus iudicatur; atque ob id curationi difficilis. Ratio quippe à sua dignitate & dominio, in corpus deturbata iacet: depressione huius partis tota populi communitas lęsa suis viuendi institutis concipitur: & à candore illo baptismali denique is ita deiectus est, vt nisi fidei stapedam, cui ad pænitẽtiam innitatur, haberet, perinde ac ethnicus incurabilis haberetur. Huiusmodi ergo, quoniam plagam habet notissimæ lepræ, ad arbitrium sacerdotis, à cæterorum consortio separandus erat, vt cõfunderetur sic, & erubesceret, atq; ad saniorem mentem veniret. Quod vt optimus Scripturæ interpres, explicuit B. Paulus dicendo: Quòd si quis nõ obedit verbo nostro per epi- ad Thes. 3. stolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. In quam rem, ex communicatione sancta

mater Ecclesia vtitur: quę pro peccatis publicis, vt hoc loco obumbratum est, infligēda esset, honori & gloriæ Dei primùm prospiciendo, nō pro furtis & rebus vtilibus, vt passim à iudicibus pronunciatur, nisi tantú esset rei momentum, quod id exposceret. Separatio item leprosi noti, à conuersatione aliorū, pænitentiam, qua reordinādus venit peccator, qui malè agendo animæ potentias læserat, & vitam cōmacularat, significat: & satisfactionem etiam, qua pœna temporalis, huic deordinationi debita, soluitur; quæ non soluta in Purgatorio luenda est: Etenim componere, ac in pristinum statum restituere oportet, quod malè à sua dignitate perturbatum fuerat, & pœnam sentire, illud quod inani fruitione tactum, deliquit. Nihil quippe maculatum, aut inordinatum, cælum, vbi summus ordo, & summa perfectio est, ingredi potest; nisi priùs in natiuū nitorem, naturalemq; integritatem, restitutū sit. Quare, pro quo in hac vita ieiunijs, orationibus eleemosynis, & macerationibus non satisfit, in Purgatorio satispatietur. Et quoniam potiùs confessarius, ad vitæ emendationem, & deiectarum facultatum pœnitentis cōpositionem, quā ad taxationem pœnæ Purgatorij attendere debet, hinc ad sacerdotis arbitrium leprosus hic notus separabatur. Placet quidem propter memoratas rationes, pœnam temporalem, post dimissionem culpæ, ex peccato relinqui. Quòd si æternæ, & inferni, commutationem esse volueris, vt communiter sentiunt doctores, sit sanè. Cū tamen quodlibet mortale peccatū, seditionis, contradictionis, & inobedientiæ in proprio subiecto causa sit, quemadmodum illud primū in tota natura; in pacationem, & compositionem partium animæ, per debitam subiectionem, temporariam pœnam, in hoc, aut in futuro sæculo soluendam, per sustinentiam, à Deo ordinatam fuisse, ego maximè probo. Vnde hinc septem annorum cuilibet peccato præfixam, diem pro anno computando, vt Scriptura solet facere, Theologi doctores colligunt: & forsan, per totius vitæ curriculum, vniuscuiusque qui offendit, intelligetur: quādoquidem hebdomadam septem dierum, præsentis vitæ tempus significare iam positū est. Ob quod & Regio Psal-
2.Reg.12. ti propter adulterium cum Bersabe, non defuturum gladium in domo sua à propheta indicitur, quem & toto suæ vitæ tempore sensit.

Si autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septē diebus, & considerabit die septimo: & si quidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eū septem diebus alijs, & die septimo cōtemplabitur. Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est, lauabitq; homo vestimenta sua, & mundus erit.

IMPORTVNISSIMVS morbus videtur fuisse illo tempore lepra, siquidem tá familiaris eius cognitio erat sacerdotibus, qui ab arte medica maximè abhorrent. Quod
4.Reg.5. & Dñs innuit, quando tempore Elisei plures leprosos affirmat fuisse in Israel, solùm tamen Naaman Syrum fuisse mundatū. Est conguentet quidē, quandoquidē tunc nondum accedente in carne Dño, peccatum maximè viguit: cuius significationem sua importunitate, & diffusione in totū corpus, lepra non medicata exhibebat. Et quoniā peccatum, per summū sacerdotem Christū erat aufetēdum, meritò eius iudicatio, & symbolum cognoscendum, & medendum, sacerdoti demādabatur; ne in totum populum extenderetur. Igitur cū eius officiū præscripserit, quando lepra notissima est, quid agere debeat, quando eius morbi suspicione aliquis laboraret, iá designat. Quando ergo nota lepræ in aliquo appareret, ita quòd macula, aut pustula albicans, aut lucēs eius suspicionem præberet, si reliqua carne pars affecta non esset humilior, nec pili colorem mutassent, recludendus erat septem diebus, quibus elapsis, si visitatus eodem tenore persisteret, ex spectādus erat alijs septē diebus, quibus trāsactis, si inspectus, nō creuisset pustula, & si obscuriorē colorē ostēderet, declarādus erat mūdus, & scabies tantū ea affectio iudicāda: quare lotis vestimētis mundus abibat. Quę vnquā lepra separatione à cōmuni cōmercio, aut reclusione sanata fuit, aut quis medicus similib⁹ remedijs vsus, eá aliquádo expulit? nullus sanè. Curatio ergo nō lepræ corporis primò, sed mētis, & peccati hic manibus suscipitur. Cui suffragatur, quòd reclusio, aut separatio septē dierū erat, qui nume-
Math. 18. rus remissionis peccatorū existit; promittēte Christo delinquentibus peccatorum remis-
Leuit. 25. sionē vsq; septuagesies septies. In cuius figuram, infra septimo quoque anno sabbathum requietio-

tequietionis terræ hæreditatibus, ita, vt nec esset satio, nec putatio, concedebatur, & annorum septennio à seruitute excepta, in pristinã libertatem vnaquæq; res asserebatur. Occurrebatur igitur sic morbo, ne contagio suo in populum extenderetur: vt peccati similiter propagatio arceretur, & in propria persona per cõfusionem & erubescentiam, aliorum consuetudine negata, curaretur. Igitur suspicatus leprosus, id est, sceleris patrator homo, quòd in aliorum perniciem & scandalum vergere posse suspicio erat, non priùs mundus, vt liberè cum cæteris conuersari liceret, iudicabatur à sacerdote, quàm morbi initium, & non contagiosa pestis probaretur. Videtur enim hîc insinuari, pænitentiam, qua Deus omnino placatur, vt nihil æternum, nec temporale contra peccatorem, ob commissum habeat, eam esse, qua vsque adeò in odium peccati procedi-tur, vt per opera laboriosa, pro qualitate & quantitate, ipsum in nobis vindicemus. (Ruardus Tapper. tom. 1. ar. 6.) Vnde qui hanc plenam reconciliationem sancti intendebant, ita, auctore Ruardo Tapper, de pænitentia loquuntur, ac si præceptum satisfaciendi, & compensandi Deo pœnam temporalem, in præcepto pænitendi & odiendi peccatum inclusum esset. Sed profectò vnum apprimè hoc loco commendatur, quod & antiquitus fieri solebat: vt in huiusmodi peccatis, quibus suspicio crescendi inest, satisfactionem à sacerdote iniunctam, priùs pænitens exerceat, quàm absolutionis beneficium ab eo consequi idoneus habeatur. Sic enim vtrum vera, an ficta esset subditi pænitentia, experiretur, per abstinentiam à peccatis confessis: & si talis, quæ sacramentalem absolutionem mereretur. Quòd si diligentia reclusionis positæ adhibita, macula non creuisset, sed obscurum colorem in modum pustulæ ostenderet, scabies iudicanda erat, & lotis vestimentis, mundos abibat. Etenim tot affectus, post peccatum illud primum humanam naturam vndique perturbant, vt scabiei modo quemlibet hominem, sua multiplicitate vexare videantur. Et ita originis peccato per Baptismum dimisso, vt vindices Adæ peccati, & in cognitionem nostræ humilitatis, & casus, relinquuntur. Et quoniam effectus sunt peccati, ipsius radices & procuratores existunt: qui quando non vsque adeò irritantes processerunt, vt neglecti, homini per peccatum dominarentur, scabies, id est, peccati reliquiæ, iudicandi sunt. At verò quando mentis oculus sic caligauerit, quòd peccato se submiserit, abluendo vestimenta, mundabatur. Peccatum quippe simplex, quod consuetudine non est firmatum, cum pænitentia satisfactoria pœnæ temporalis, post culpam dimissam, & recidiuæ præseruatiua, qua corpus, animæ vestimentum, abluitur, absque alia cautione, & timore cæteros fratres offendendi legitimè absoluitur. Incurruntur namque huiusmodi peccata, ex fragilitate & ignorantia, quam obscurus color pustulæ significabat: & vbi est ignorantia, suspicio est peccati, quæ sacerdoti indicari debet.

Quòd si postquam à sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit, adducetur ad eum, & immunditiæ condemnabitur.

PROCVLDVBIO, rationem morbi, & infirmi intemperiem, potiùs cognoscet medicus, qui eius initia & incrementa, aut importunam perseuerantiam inspexit, & manibus contrectauit, quàm qui morbo ingrauescente, & fermè iam deplorata salute, de nouo ad curationem accersitur. Perinde igitur in morbis animæ sacerdos, qui semel & iterum, & tertiò peccati plagas nouit, vulnera ligauit, & curationem adhibuit, commodiùs medebitur: quàm nouus confessor, qui peccati radices ignorat, ramos & capitosas propagines nunquam abscidit, mores & affectus, qui te importuniùs vexent, non nouit, nec te infirmum vnquam vidit. Vnde præsenti periodo, ad euulsionem peccati ex animo Christiano, duo commendat Dominus, quę populo semper inculcãda sunt: Alterum, quòd pænitens non temerè nunc hunc, nunc illum confessorem deligat, semper nouos hospites probando: sed quem semel medicum salutarem & magistrum idoneum expertus est, semper adeat. Quapropter ad eum sacerdotem, qui suspectam lepram curauerat, hîc redire iubetur. Alterum est, quòd sacerdotem non pigeat, quem semel suæ curæ suscepit, quoties eius opera requisita fuerit, libenter & ex charitate, audire. Propterea enim idem sacerdos, qui suspectum leprosum, mundum priùs iudicauerat, eundem, se exerente morbo, immunditiæ condemnat.

Plaga lepræ si fuerit in homine adducetur, ad sacerdotem, & videbit eum: cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque ca-

ro viua apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur atque insita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes, quicquid sub aspectum oculorum cadit, considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit, eò quòd omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit. Quando verò caro viuens in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluctur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viua si lepra aspergitur, immunda est. Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, considerabit eum sacerdos, & immundum esse decernet.

Bene cautus voluntatis Domini, dixit aliquando Dauid: Defectio tenuit me
Psal.118. pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam: Quandoquidem ita exosum est illi peccarum, vt in eius indagatione, quando in suspicionem venerit, nullam non diligentiam adhiberi, vt cognoscarur, & cognitum exterminetur, præcipiat Dominus. Poterat ergo lepra non manifestè, sed per indicationes quasdam magis & minùs apertè se insinuare: de quibus hoc loco agit. Triplici igitur ratione similitudo lepræ variari potest: primò vt plaga similis lepræ appareat cum capite cano, & colore albo in cute, carne reliqua viua & sentiente, & huiusmodi vetustissima lepra infectum sacerdos iudicabit. Quare probatione per reclusionem non indigebit, sed absque alia discussione, exulem inter leprosos pronuntiabit. Deinde quando non fixa in parte aliqua corporis, sed discurrens omnem carnem cooperiret, quæ sub aspectum sacerdotis veniebat, eam albificans, quòd in candorem tota caro versa esset, mundam lepram iudicare debebat, & liberè incedere hominem ea notarum, finere. Tertiò variari poterat, quando is, qui ita lepra posita obductus esset (si carnem viuam & natiui nitoris interciperet) pollutus iudicandus erar: Quoniam caro viua saltem lepra consperla, immunda est. Verùm si probationis terminis reclusionis iam positis, probauerit sacerdos versam fuisse in alborem, totumque hominem obduxisse, mundum eum hominem decernete tenebatur.

Sunt qui peccati morbo continuè laborant, vt neque ad horam quietem capiant, vt hydropici, qui nullo nō tempore vexātur: quibus similes sunt homines vitio alicui subiecti, & serui ita facti peccati, vt nunquam nisi seruientes reperiantur, quemadmodum infirmi illi nunquam nisi sitientes. Hos notat hic Spiritus sanctus, per leprosum illum, qui cum viuacitate reliquæ carnis, plagam lepræ habet, cum albore pilorum, & capillorum capitis; illud plagæ corrosione operante. Nam naturale est omnibus afflictis partibus, pilos in album mutare. istud verò, vetustatem & antiquitatem significat, qua diu in homine dominatur. & vtrumque peccati scandalum, & publicitatem simul indicat, ita, vt ei mederi statim oporteat, ne reliquos inficiendo, totum Reipublicæ corpus corrumpat: qualis fornicator ille extitit, qui vxorem patris sui habebat, & ita publicè, vt di-
1.Cor.5. car beatus Paulus: Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: quem tradidit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret: & sic expurgare iussit vetus fermentum, ne totam massam corrumperet. Secundo modo non fixa in aliqua parte, sed discurrens, & omnem partem oculis subiectam operiens, contingere poterat, sed hæc mundissima lepra iudicatur. Cui subiectus est, qui omnino in Euangelij lucem conuolans, à legis præceptis penitus recedit, vt Christianus homo & Ecclesiæ catholicæ alumnus, qui hoc loco obumbratur. Etenim recessio a toto genere, à quauis lege & præcepto, cui ignorantia non subest, lepra censetur: quoniam & si peccarum non sit lethale, eius tamen speciem demonstrat. Quando verò ad fulgentissimam Euangelij sacri lucem confugium fuit, cui lex famulabatur & seruiebat, vti propter ipsum condita, statuto à Domino tempore, quando Christus Iesus omnia in ea disposita consummauit, ab eadem recessio etsi lepra videatur, mundissima tamen est, & gratia cælesti plena. Item Iudæus in vniuersum à sensibili legis latione recedens, hoc est, non eam intentè curans, nec vltimatè in ea sistens, sed in exemplum & pædagogiam ea vtens, in intelligibilem & latentem sensum, quo ani-

quo animus pascendus erat, mentis oculos defigens, imprimens, atque immergens. Hic suo arbitrio relinquendus erat, nec recludendus, nec exterminandus, quoniam mundissima lepra laborabat, à sensibili ad intelligibilem sensum animum amouens. Erat enim hic verus Iacob, qui manus Esau pilosas, & tactus, maximè sensibili organo subiectas obtrectandas præbebat, vocem autem veri luctatoris, contra sensibilem vitam, auditui, qui spiritualior sensus est, Isaac, id est, Patri æterno edidit. Nam plenè complebat, quod Dominus sua hac legis latione tunc petebat. In quem etiam modum Christianus nunc qui totum momentum suæ religionis in exteriori apparatu non collocat, vt in auditione Missarum, in recitatione suarum orationum, in ieiuniorum custodia, in confessionum frequentatione, sed in legibus fidei, spei, & charitatis, quæ in hæc tanquam in propagines extenduntur, & ab his tanquam ab adminiculis virtutes hæ augentur, & crescunt. Lepram etiam mundissimam habet, & Domino maximè placet. Etenim quantùm externa hæc debitè, & ordine, sanctæ matris Ecclesiæ facta, religionem & deuotionem augent, tantùm minuunt, & deuotionis altitudinem hebetant, ex consuetudine tantùm exercita, & præcepto Ecclesiæ solùm satisfaciendi gratia: in tantùm, vt ad Sacramentum sanctum pænitentiæ (quod neminem debitè accedentem sua gratia defraudare potest) consuetudo ipsa, tepidum & ferro frigidiorem, reddat, quantùm ad deuotionis feruorem: & vtinam communitet commodi temporalis gratia, Missam quotidiè celebrantibus huiusmodi tepiditas & frigiditas non contingat. Est ergo Christianæ vitæ momentum, hæc omnia religionis opera, & integro animo & libertate cordis, Deo gratificandi, & sibi ipsi, & fratribus medendi, facere.

Verùm tamen non minùs aptè forsan dices: eum, quem lepra totum occupauerit, Iudæum esse, qui sensibili cortici legis, tantùm studens suo palato viueret, nulli peccato parcens, in tam præsentaneo legis remedio, omnem suam confidentiam collocans, interna cordis minimè curando: Quo morbo tota fermè congregatio Iudæorum laborauit. Is enim liberè gradi dimittendus erat, quia legem exteriùs adimplebat, cùm interna & occulta soli Dei iudicio semper reseruata sint: atque lepra hic laborabat, qui sensibili legi, qua peccatum quodammodo tectum, nutriebatur, vacabat, intelligibilem, quæ animum componebat, penitus negligendo. Erat tamen mundissima, quia obseruatio legis erat, quantùm ad sensus occupationem, exercitium, quæ tamen à Deo data erat, & si propter intellectum latentem eruendum. Vt si quis Christianus nunc vsque adeò vesanæ mentis esset, & perditæ animæ, quòd omnia religionis opera manibus tractando, aspidum omnium, scorpionum, ac serpentum omnium, venenum in corde imbibitum haberet (quod ingenium est hypocritarum) verè leprosus ex hoc loco censendus venit: lepram haberet, quia externa tantùm religionis apparentia vtitur, ad sua nutrienda peccata: & mundissimam; quoniam quæ ab Ecclesia Spiritu sancto docente, ad cultum Dei sustinendum & augendum sunt instituta, sibi exercet: vnde & in alborem commutata, lucem exterius emittit. Si verò tertio modo infectus aduenirer, quòd saltem sparsam lepram haberet, interstite carne viua, leprosus iudicandus à sacerdote erat. Vbi ij notabantur, qui legem ex parte accipe-rent & ex parte negarent, vt Samaritani, qui eo tempore, vt hæretici habiti sunt: vt nostri etiam temporis hæretici, qui partem Canonicorum librorum accipiunt, & partem negant, Ecclesiæ iugum à se excutientes. Præmonebantur etiam, qui circa religionem, non firmum animum habituri erant, quos Deus odio habet, qualis Israel se præbuerat tempore Achab, qui nunc Deo, nunc Baal, diuinos honores exhibebat. 3.Reg.18.
Cui dixit Elias: Vsque quo claudicaris in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Est cum lege & circumcisione Euangelium Galat.5.
simul accipiebant, vt Galatæ à pseudoApostolis decepti, donec doctore B. Paulo, in mentem redierunt. & demum omnis qui ex parte legem Dei custodiunt, grauiter autem offendunt, & lethaliter peccant in alijs, pro occurrentibus occasionibus, præcepta Dei transgrediendo: qui neutiquam legem seruare sibi persuadere debent. Nam qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Et sunt præterea homines incontinentes, qui licet Iacob. 2.
non perpetuò peccati morbo laborent, vt vitiosi, ad tempus tamen, vt morbo comitiali & epilepsia laborantes, cù vrget inimicus, aut lasciua caro irritat, omnē prudentiæ sensum amittunt, vt memorati infirmi sensus corporis. Quapropter hic recludendus erat.

Quod si exspectatus, lepra in candorem versa omnem corporis partem obduceret, leprâ mundissima, ad sensus explicatos laborare iudicandus erat, & liberè gradi permittendus.

Dubium hîc manet, quod animum pulsat: cùm in morboso homine, à parte sana, in reliquas sanitas deriuari soleat, & corpus quod nullam partem sanam, aut viuam habeat, deplorari soleat; vnde hic Dominus, contra communem animi conceptionem pronunciet, leprosum, quòd carnem viuam interiectam habeat, immundum esse; si verò nullam partem viuam habeat, lepra omnino obductum, mundum? Respondet Philon Iudæus, sapientiam hanc diuinam esse, nec mirum si iudicio humano aduersetur. Quare mirifice philosopharur, vt propriùs locum interpretetur. Cùm enim animi gratia, hîc cuncta disponantur, ait, carnem sana & viua conspersam, indicium esse certum animæ morbi, quòd duobus his coloribus variata lepra vitium voluntarium significet: Habet enim tunc anima, sanam vitalemq; rationem & rectam: Quod si nō vtitur eius gubernatione, ad bonorum suorum cônseruationem, sed permittens seipsam imperitis nauigandi, totam vitæ nauem, quæ in serenitate, tranquillitateque seruari poterat, subuersam demergit pelago. Cùm verò ait, vno colore albicat, mutationem præ se fert inuoluntariam, quòd mens in totum ratione priuata, nec scintilla quidem intellectus reliqua, tanquam in tenebrosa densaque caligine non cernit quid agendum sit, sed more cæcorum passim offensans, lapsus alios post alios inuita, dolensque sustinet. Quapropter ex parte leprosum pronuntiat impurum; quoniam iniquitates habeat voluntarias, quæ etsi non latè pateant foris, tribunali tamen conscientiæ insanabiles, pollutæ, impuræque iudicantur. Eum verò, qui à capite ad pedes vsque lepra occupatus est, purum censet; quòd iniquitates inuoluntarias habeat: quæ non coinquinant animam, imò maximè absoluuntur, quando graui accusatore conscientia carent.

Caro autem & cutis, in qua vlcus natum est, & sanatum, & in loco vulneris cicatrix alba apparuerit, siue subrufa, adducetur homo ad sacerdotem: qui cùm viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in vlcere. Quòd si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus, & si quidem creuerit, adiudicabit eum lepræ: si autem steterit in loco suo, vlceris est cicatrix, & homo mundus erit.

SIMILITVDINE vlceris subsanati, de cognitione peccati reuiuiscentis, post præsumptam eius sanitatem, hic differit. Sunt enim huiusmodi peccata, correptionis fraternæ propria materia: quæ cùm per obductionem alicuius virtutis, exclusa videantur, repullulascere solent, quòd altas haberent radices, & nondum euulsæ fuerant. Circa correptionem ergo huiusmodi peccatorum, duo docet diuinus spiritus, pro quocunque statu homines egerint, antiquæ legis siue Euangelij: alterum respicit curam corripiendi fratrem, alterum sacerdotis prudentiam siue iudicis, ad quē causa delata fuerit. Quod ad officium correptionis attinet, est: neminem sub vlla lege ab hoc præcepto eximi, sub veteri testamento egerit, aut lege naturali, aut sub Euangelio nunc agat. Est quippe homo, eò quòd ad imaginem Dei factus est, eius honoris zelator, & hoc est primum officium, quod cum vita simul & discretione accipit. Quapropter non minus torquere eum debet iniuria, quam ipse irrogauerit, quàm, quæ à fratre irrogata fuerit, inquantum Dei offensa est: & hinc quando potuerit, & ad id valuerit, ad eius extirpationem manus apponere. Nam qui Deum ex corde amaueris, cuius offensam non sentis, non tangit, tuumq; animum nulla ratione cruciauit? Ex hoc igitur loco sub lege constitutus ad correptionē proximi tenebatur. Vnde in loco vulneris apparente carne, cute, aut cicatrice alba, aut subrufa, adducetur, ait, ad sacerdotem, à fratre vel fratribus id aduertentibus. Atque idem explicans Dominus, eos qui sub lege naturali agerent

Eccl. 17. Adæ & Euæ, nomine omnium hominum, vt ab omni iniquo attendere præcipiendo, aliquàdo dixit: Et mandauit illis vnicuiq; de proximo suo. & tandem Dominus in Eu-

Matth. 16. angelio: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eū inter te & ipsum: si audierit, lucratus es fratrem tuū: si non audierit, dic Ecclesiæ: præceptum sanè hoc loco positū explicans.

Indicia

Indicia autem quæ fratrem peccati arguerent, exemplo exprimit. Nam quando in carne, cute, aut cicatrice, antiqui vulneris color albus, aut subrufus apparet: aut vulnus in antiquam putredinem rediisse, (quod color albus notat) aut repullulascere, per eam cruditatem & immaturitatem properare, (quod color subrufus insinuat) apertè iudicatur. Perinde ergò de spiritalibus morbis censendum est, quando antiquus vitæ tenor non seruatur, nec in officio antiquo vitæ pro debito sui status, sed mutatio vitæ est, aut in otium, vel extra virtutis genus viuendi modus, præsumptio rationabilis est perditæ vitæ. Poteris etiam cum Isychio dicere: Huiusmodi peccatorem, huic legi correptionis, & denunciationis non solùm sub lege, sed sub Euangelio etiam teneri, neque ob id, quòd in lege libertatis agat, peccare, libertatem existimare debere: Quapropter, inquit, albi aut subrufi coloris in cicatrice mentionem intulit. Lex enim per colorem album significabatur, quæ innocentiam Christi venturi promittebat, eius tamen sanguine non fuit rubricata: per colorem verò rubrum, Euangelium in ea inclusum, quod Christi Iesu sanguine confirmatũ, & rubricatum fuit. Alterum, quod ex parte sacerdotis hic ostenditur, est, eius prudentia & sagacitas, vt pro exigentia emendæ, & lucrationis fratris, omnia agat, & moderetur. Est ergo præceptio, quòd in loco vulneris, reperta carne reliqua humiliore, & pilis in alborem versis, eum exulet, & contaminet. Cuius aperta ratio est, quòd sicut submissio carnis huius partis, & pilorum albedo, manifestæ morbi corporalis redeuntis indicationes existunt; ita & submissio, aut inæqualitas vitæ ad superiorem, & sui officii debitum collatæ: & in aliud viuendi genus commutatio deterioris vitæ ab ea, ad quam tenetur, & exercere sanus solitus fuerat, peccati, & erroris vitæ deprehensiones ad oculum sunt. Etenim vt corrosio carnis, læsionem plagamque, & pilorum albor contra antiquam naturam infectionem naturæ, & virium corporalium degenerationem indicat, perinde consimilia signa in moribus, læsionem seu degenerationem, & virtutis virium collabefactationem, luce clariùs ostendunt. Quod si carne reliqua locus vlceris nõ fuerit humilior, & pili antiquum colorem retinuerint, hoc tamen habeat, quòd pars affecta, subobscura apparuerit, recludendus veniebat septem diebus, & expectandus morbi status, aut incrementum. Quod si transactis diebus creuisset, lepræ adiudicandus erat, & eius coërtionibus vitandus: si verò stetisset, cicatrix tantùm iudicanda erat, & dimittendus. In quo duo aduerte: Vnum quòd frater ignorantia laborans subleuandus est, & erudiendus à maiore & sapientiore venit, & ab ipso iudice vt peccata & eorum miserias caueat, quorum fons indeficiens inscitia existit. subobscura enim cicatrix ignorantiam significabat, & reclusionis sufficiens causa erat. Alterum est, quanta charitate non commodi, sed fratris lucrandi gratia, erga fratrem sic suspectum aut præsumptum, agere debeat iudex: nec è manibus labi sinere debet, donec vitæ emendatio sibi constiterit. Sed proh dolor, quàm è diuerso res se habet, cùm satisfactis iustitię ministris, non aliud, quàm relapsum expectant, vt tantundem iterum atque iterum recipiant, imò vt peccatum dissimulent, vti lampas oleo, peccantium pecunijs nutriuntur. Cuius criminis ipsi iudices excusari minime possunt, quòd non integram, sed imperfectam rem reliquerint, nec eam post primam delibationem amplius curarunt. Vbi enim tempus expectationis emendæ, mutationis vitæ, relinquendi peccati obseruatio & attentio, quod per reclusionem septem dierum hic significatur?

Caro autem & cutis, quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit cicatricem, considerabit eam sacerdos, & ecce si versa est in alborem, & locus eius reliqua carne est humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. Quòd si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, & die septimo contemplabitur. Si creuerit in cute lepra, contaminabit eum: sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.

ITA res se habet, quòd vulnus aliquod alicui primò inflictũ, duplici via curari potest, aut leniùs per medicaminum conuenientium applicationem, aut acriùs per ignis adustio-

aduſtionem, appoſito ad partem patientem cauterio . ſimiliter ergò peccatum & vitium, aliquem de nouo impetens curari poteſt,& mentis in Deum conuerſione cum ſuſceptione Sacramentorum pœnitentiæ, & commmunionis, applicatis etiam eleemoſyna,oratione, ieiunio, & ſimilibus blandis medicinis; & aſperis,loco cauterij adhibitis, vt diſciplinis,laboribus,& operum pœnalium duriuſculis & longis exercitijs, ad corporis feritatem domandam, & reprimendam. Vnde confeſſor,vtroque modo, prout viderit magis conuenire, his animæ & vitæ morbis occurrere ſolet. Verùm ex vtraque medicatione cicatrix, id eſt, praua conſuetudo, & malus habitus relictus reuiuiſcere ſolet, & vlcus & plaga inueterata effici , vt ex vulneribus corporis ſubſanatis, vlcera & incurabiles maculas & plagas fieri videmus. Atqui, quoniam de vlcere ex priori genere medicamenti renato iam dixit, de poſteriore,quod ex curatione per ignem immerſo cauterio candenti fieri ſolet, hoc loco iam diſſerit. Quòd ſi de peccato fraternæ correptioni ſubiecto, intelligatur, conſimiliter vt de ſuperiori dicendum eſt: Nam conſimilia ſunt,quæ in eius cognitione plena habenda,Dominus præſcribit. Verùm quoniam pœnitentis negotium, cum ſacerdote eius confeſſario, hîc magis obumbrari ſuſpicor, hunc & ſuperiorem locum de eo magis explicari probo. Erat quippe ſuo modo hæc peccatoris cum ſacerdote congreſſio, pœnitentiæ Sacramentum, eo modo quo lex Sacramenta habebat. Vnde & in ſuperioribus oratio ſacerdotis ſemper adiuncta eſt, qua dimittebatur peccator, Sacramentum pœnitentiæ,& Sacramentalem abſolutionem Eccleſiæ penitus obumbrans. Cui rei ſuffragatur, *Lucæ 17.* quòd Deus decē leproſos oſtendere ſe ſacerdotibus iuſſit,qui dum irent mundati ſunt, efficaciam gratiæ ſacramentalis facto eo præmonſtrando,quam nec oratio ſacerdotum,nec illius temporis ſacrificia conferebant, ſed tantùm dandam per Eccleſiæ Sacramenta ſignificabant. Atque hinc ad confeſſionem ſacramentalem corroborandam, & ſubmiſſionem peccatorum ſacerdotibus faciendam, vt eorum deleantur peccata obligationis tempore,præceptum hoc leproſis iniunctum,doctores ſcholaſtici adducere ſolent. Quando igitur peccator reciduus,confeſſorem conuenerit, ſi detecta conſcientia, locus lepræ humilior reliquo apparuerit, id eſt, ratio, quæ vitæ gubernacula *Ariſt. 1. Ethic.* in homine tenet, & ad optima ſemper deprecatur, ſerua corporis, & cupiditatis ſenſuum deprehenſa fuerit, humiliatam tunc ſiquidem habet peccatum hominis dignitatem; & pili albuerint,leproſus iudicandus eſt. nam tunc poſt depreſſionem rationis, qua ab humana vita homo decidit, & cogitatus antiquos cùm principio morbus inuaſit,deprehendit: & virium virtutis imbecillitatem,& degeneratum vitæ tenorem, ab eo quod tenetur, vt ſupra dictum eſt, manibus contrectat,& manifeſtum vlcus videt. hæc enim omnia ſignificat pilorum albor : quem etiam, quando eſt in ipſa lepra, per omnem partem corporis extenſa,legem & extrinſecum religionis apparatum ab interno cultu præciſum,notare diximus. Quòd ſi vtraque harum indicationum defuerit, apparuerit tamen locus affectus ſubobſcurus,id eſt,albus color, rubedine quadam admixta, & ſic ſanguineus quodammodo,indicium eſt vigentis peccati. Quare recludere eum iubet, quia non oportet adhuc de dominio, aut abolitione, confeſſorem præcipitem eſſe. Vide quanta cura circa peccati exulationem, medio Sacramento confeſſionis, deſideret Dominus confeſſorem diſtrictum eſſe: vt hinc diſcat,non temerè cuiquā ſacramentalem abſolutionem impendendam eſſe. Quod ſi ſeptimo die pòſt recluſionem creuiſſet, cupiditatem & concupiſcentiam in eo dominari,manifeſtè cognoſcet: Quare & huius appetitus peccata,vti propagines oborientia, conſentiente domina voluntate, in vita graſſari, vel digitis tanget: vnde & damnandus iſtiuſmodi homo manifeſtè veniebat. de vlcere enim,quod ex feritate & immanitate concupiſcibilis appetitus renaſcitur, locus ſuperior accommodatius intelligi videtur: quoniam blandiùs is medicari ſoleat. Et ſi non creuerit, ait: cicatrix eſt,id eſt,altercatio illa cicatricis,praua conſuetudo, malus habitus,quem primò contraxerat, immanitas & tumiditas concupiſcentiæ cenſenda eſt: & homo libere dimittendus: ſiquidem in peccatum nō proruperat antiquum. Et perinde dicendum eſt de vlcere ex aduſtione repullulante. Eſt enim gentile maximè, curato homine quantùm ad concupiſcibilis facultatis impudentiam,in appetitus & iracundiæ partem, morbos illicò incidere. Nam qui à concupiſcentia carnis ſurgit,in mentis elationem, ſuperbiam & ambitionem decumbere, vel ipſa experientia docet. Is

ergò

ergo quia maioris efficaciæ est, candenti ferro eius curatio eget, & adustione, quoniam hominem hæc vis succendit, & flammarum furias agit: Ira etenim, & excandescentia, in impedientes propria vota, omnino rapitur. Quomodo ergò in huiusmodi indicationes duæ prædictæ concurrerint, morbosus & exulceratus omnino cognoscitur. Quando verò color subrufus, hoc est, sub albore, quodammodo sanguineus apparuerit, qui sub prætextu boni alicuius & honesti (quod albor significat) indicatio est liuoris & excandescentiæ in proximum; expectandus est septem diebus, hoc est, tempore ad dignoscendum peccati silentium, sufficienti. Quòd si in eo deprehensus fuerit, lepræ adiudicandus est, & exul habendus à Sacramento, donec cesset peccare. Si verò in opus non prorupisset prauus ille habitus, consuetudo, & inclinatio ad id genus peccati, liberè dimittendus erat, quod nunc est absoluere, quoniam signum tantùm adustionis est.

Vir siue mulier, in cuius capite, vel barba germinauerit lepra, videbit eos sacerdos. Si quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus, solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis & barbæ est: sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum, recludet eos septem diebus, & die septimo intuebitur: si non concreuerit macula & capillus sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ æqualis, radetur homo absque loco maculæ, & recludetur septem diebus alijs: si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestimentis suis mundus erit. Sin autem post emundationem rursus creuerit macula in cute, non ampliùs quæret, vtrum capillus in flauum colorem sit commutatus, quia apertè immundus est. Porro si steterit macula & capilli nigri fuerint, nouerit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronunciet mundum.

EXTERNIS cæremonijs, fides & cultus Dei internus, tanquam quibusdam clauiculis nectitur, quibus vegetatur, roboratur, & omnino ornatur. Has autem per capillos Samsonis aliquando notauit Spiritus sanctus. Nam eius caput ornantes, & ab externis iniurijs defendentes, virû fortem, & Philistæis terribilem conseruarunt. Abcisi autem veluti omne robur secum afferentes, eneruem ipsum reliquerunt, & inimicorûm manibus subiectum. Quomodo ergo hic in mutatione capillorum morbus agnoscitur: & quod in capite aut in barba oriatur, quarum partium illa principium vitæ continet, ista verò fidelitatem & promissi constantiam pollicetur, cognitionem peccati impietatis, blasphemiæ, & hæresis, hic perscrutari manifestum est: præsertim quòd & virilem actionem, & mentem fortem, caput etiam notat, sicut barba item, honesti faciem, & decentem vitæ tenorem; quibus fides & pietas apprimè subsistit: Est enim fides, vitæ Christianæ principium, & cum suis comitibus, charitate & spe, virilis cuiusque actionis, robustæ & inconcussæ mentis, ac totius integritatis vitæ speciosissima forma. Quando ergo de hæresi, & impietate quispiam suspectus & tactus, ad sacerdotem venerit, hæc perpendet, si vitam quam profitebatur, & sequebatur reliquerit: deinde si Ecclesiæ cæremonias, tanquam fidei capillos, commutauerit, nam apertè hæresi tunc laborabit. Quemadmodum leprosus, qui inter alios versari cupiebat, si sacerdos deprehenderet locum capitis aut barbæ corrosum, & submissiorem carne reliqua, & capillos tenuiores factos, & in rufos, seu flauos mutatos, leprosum manifestè pronunciabat. Submissior enim lepræ locus, & rubedo capillorum, cum eorum tenuitate, ad indicationes illas, fidei defectum notantes, significandas, assumptæ fuerunt. Etenim qui à communi vita, quam fides catholica exigit, & qua cæteri fideles agunt, vti certiori via gradiens, deficit, lepra hæresis submissior redditus est, vt qui candorem & alborem legum Ecclesiæ, & cæremoniarum posthabet, & imbecilliores ab eo conspiciuntur, procul dubio in fide deficit. Vnde ad omnia eius opera imbecillior factus est. Lex enim Dei & cęremoniæ, quòd diuinitus datę sint, albori appositè cõparantur, sicut remissiores vires solito, tenuioribus capillis: quod ex senecta, & virtutis defectu, hominibus ex naturæ constitutione contingere Iudic. 16.

tingere solet. Si verò color niger capillorum appareret, quod signum est, legem & cęremonias apud eum obscurari, cæteris indicijs cessantibus, suspectum debet habere: Quare septem diebus recludi hic à sacerdote iubetur. Non enim cum periculo subuersionis fratrum, sic suspectus libere versari sinendus est. Quòd si inspectus septimo die, nec lepra creuisset, nec submissior locus appareret, & idem color persisteret, rasus, præter locum lepræ, alijs septem diebus recludendus erat. Vide quantùm diffusioni huius criminis obuiet Dominus, quòd vt virtus inficiendi in loco læso exploretur, non raditur, bene tamen aliæ partes, vt si vel tantillùm salierit, manifestè omnibus conspiciatur, nec latebra aliqua abscondi possit. Accedente verò septimo die, si repertum fuerit, nec lepram creuisse, nec locum per cortosionem humiliorem factum, lotis vestimentis, mundum pronunciabit: quoniam apertè cognoscitur non dogmatizare, nec in suo errore persistere; siquidem locus lepræ non est humilior factus, imò errorem suum cognoscere manifestè deprehenditur, & pœnitentia duci: Quapropter ea imposita, mundus pronunciandus est. Erat enim illo tempore, lugentium, & pœnitentium mos, vestes abluere; quia lachrymarum riuulis omnia opera mundificanda sunt. Quod si collegerit huiusmodi relabi, quoniam inuenitur in eo lepram creuisse, id est, dogmatizasse, indicium flauitatis capillorum quærere inhibet, & immundum pronunciare iubet. Imò tantum momenti germinatio lepræ, ad hunc morbū cognoscendum habet; quòd si steterit macula, & non creuerit, etsi capilli nigri sint, confidenter pronunciandus est mundus, quoniam pœnitentia vera præsumenda est, nigredine illa significata: tanto siquidem tempore expectatus, suàm proseminasse lepram non est inuentum. Quibus quanta cura religionem suam, & fidem pro illo, sicut pro nostro tempore integram custodiri Deus velit, intentè considera, quos habitura hostes, & quam importunos intrinsecùs, & extrinsecùs Ecclesia esset, semper commonefaciens.

Vir siue mulier, in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos sacerdos: si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem esse mundum.

CVLTV vitæ externo, quando ab interno progreditur, magnopere gaudet & oblectatur Dominus: Omnis enim gloria filij regis ab intus, circum amicta varietate.
Psal. 44. O quantos sui amores anima fidelis sic composita in Deo excitat? ij autem ex conformitate vitæ, legum diuinarum dispositioni, quas candorem referre suprà diximus, proueniunt. Quapropter nunc maculæ meminit, quæ in cute candida, id est, vita legibus culta apparuerit. Dicit ergo, quòd quando in huiusmodi, sacerdos colorem subrufum, aut subobscurum lucere deprehenderit, non ob hoc oportere eos damnare, sed scire debet coloris candidi vitiliginem, & naturalem notam. Est quippe natiua hominibus post peccatum ignorantia, quæ transgressionum mater existit. Quapropter cùm nemo sit, qui ab eius tenebris omninò se explicet, nec qui incuria, inaduertentia, atque ignoratione alicuius legis non teneatur, sit in transgressionem aliquam sic incidat. Habent ergo huiusmodi peccata, suam excusationem maiorem & minorem pro ratione circunstantiarum. ob quod etsi mutationem antiqui & pristini coloris lepræ & peccati perseuerantis, signum positum fuerit; non tamen ex omni eius indicationem sumere oportere, hic sacerdotem admonet, in cuius manus examinandus istiusmodi inciderit; sed liberè pronunciare mundum. Vide iam hic, quàm districte, quemquam, fratrem suum iudicare inhibeat, quando iudicem confessionis, ad huiusmodi ignorārias leuandas sic animat. Nemo equidem est, qui similibus non vrgearur: quamobrem quod in se pullulare iam cernit, nisi diuina miseratione re-
Matth. 7. stringatur, fratri non inutat, admonitionem Domini sequendo: Nolite iudicare, & non iudicabimini.

Vir de cuius capite capilli fluunt, caluus & mundus est. etsi à fronte ceciderint pili, recaluaster & mundus est. Si autem in caluitio, siue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus, & hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiæ lepræ, quæ orta est in caluitio.

VT qui magistratus gerunt, & Reipubl. custodes existunt, quando virtutis officio splen-

ſplendent, totius boni proſeminatores in plebem ſe exhibent, ita & vitiorum quibus obruatur, magiſtros, quando ab eo, quod oportet, degenerant: Vt iſtius fugiendum omnino exemplum, Manaſſem Iudæ regem, Scriptura prodidit: illius autem 4.Reg.21. & 23. totis conatibus imitandum, diuinum illum Ioſiam Iudæ & Hieruſalem item regem. Similis etiam conditionis ſenes & ſacerdotes exiſtunt, quibus virtutis cuſtodia etiam demandata eſt. Quapropter hi, & illi nomine ſeniorum quibus caluitium, aut recaluitium commune eſt, hoc loco intelliguntur. Quando igitur in huiuſmodi ita capilli defluunt, vt caluus maneat, aut ſolùm à parte anteriori vt recaluaſter, non propterea quòd decidant pili (quod ſignum etiam lepræ poſitum eſt) hinc leproſus venit iudicandus: imò mundi ſimiles ſunt pronunciandi, quòd ſuperfluas & redundantes cogitationes excuſſerint. Vt enim capilli ex humorum redundantia generantur, & extra hominis conſiſtentiam poſiti ſunt, ita & cogitatus vagi vitæ ſtudioſæ excreſcunt, & extra illius ſuſtantiam ſurgunt. Quapropter qui in totum aut in partem, quę magis bono obſiſtere ſolet, abiecerit, commendatioris vitæ miles iure omni habetur. Etenim etſi omnes cogitationes vagantes, virtutis progreſſus & crementa impedire ſoleant: quæ tamen mentem & intentionem, tanquam anteriorem animæ faciem, occupant, eidem penitus aduerſantur. Quamobrem qui ab his ſe explicuerit, etſi vitæ tramitem rectum & apertum ambulet, cùm cæteros etiam non ablegauerit, importuniùs illis inſultantibus, vitam aget, & minùs quietam, & pacificam altero, qui o- Eccle.11. mnino caluus eſt. Hunc Sapiens maximè commendat dicendo: Fili ne in multis ſint actus tui. Quando enim actus tam externi quàm interni, à quibus illi promanant, in vnitate repoſiti ſunt, eam ſemper obambulant, & tota vita in vnum coit, quod Deus eſt, cuius honorem & gloriam vbilibet talis homo quærit. Qui verò ab hac finis vnitate diſcedit, in multis diſperſos ſuæ vitæ actus habet, vt ambitioſus & diues ſæculi qui immunis à delicto non erit: atq; ita iſtius modi illudere atque irridere ſolet ſtudioſum illum, quòd contrarias & virtutis partes agendo, ipſum negligat & deſpiciat. In cuius figuram pueri illi Bethel, ſanctum Eliſeum, qui virum maximè ſpiritalem, 4.Reg.2. imò ipſum Christum referebat, ad eos venientem irriſerunt, dicentes: Aſcende calue, aſcende calue. Quos anticipatæ & præuiſæ malitiæ pœna peruaſit, cùm illicò ad maledictionem Prophetæ à duobus vrſis paratis in ſaltu dilacerati ſunt.

Quod ſi capillos, vt externum legum cultum, & cæremoniarum referunt, contemplatus fuerit, vt eodem tenore progrediatur ſermo, caluus & recaluaſter eximij virtutis cultores ſunt. qui ita præceptis & diuinis inſtitutis concinnè viuunt, vt pro occurrenti occaſione ea exercentes, ſtudioſi tandem euaſerint; differenter tamen: Nam ille cùm vniuſmodi actus omnes habuerit, in ſe omnem virtutem recondit, tantum quod exemplo & archetypo neceſſario ſeruit, alijs relinquens: ſecundum quod Cic.lib.1. de offic. quidam dixit: Virtutem vim quandam habere reſpiciendi foras. Cuius conditionis ſuos aliquando Dominus Ieſus deſiderauit, dicens: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, Matth.10. & ſimplices ſicut columbæ. Colit enim maximè ſimplicitatem columba, ſicut ſerpens ſuę virtutis abſconſionem: quod ad oculos videtur, cùm infeſtantibus caput occulit, corpus liberè exponendo. Iſte verò, hoc eſt recaluaſter, qui anteriores pilos eiecerat, reliquos retinendo; & virtutum etiam faſtum & apparatum oſtendere videtur, & faciem honeſti cæteris præſentare. quòd cùm mercedis quoddam genus afferat, & venenum virtutis ſit, ſi affectetur, à dignitate prioris, non parum hic deſciſcit: vel quòd in periculo ſit conſtituendi finem in honorificentia & gloria hominum; atque huiuſmodi & hypocritæ efficiuntur, quòd mercedē ſuam in hac vita conſtituant Matth.6. Domini teſtimonio. At verò ſiue hoc, ſiue illa ratione capillos attenderis, quoniam in horum caluitio ſiue recaluitio, color albus aut ſubrufus exortus fuerit, ad iudicium ſacerdotis appropinquans haud dubiæ lepræ reus pronunciabitur, & peccato perſeueranti obnoxius. Quare Eccleſiaſticus ſacerdos & confeſſor, hunc non abſoluet, niſi expectato tempore curationis, ſicut legalis, cum cæteris huiuſmodi verſari non permittebat. Nam albor ille inſuetus, maculam ſcientiæ notabat, qua ſapere vult plus quàm oportet, & non ſapere ad ſobrietatem: imò & candelabrum ſe conſtituere, vt alijs luceat, quod hæreticorum proprium eſt: vnde meritò damnandus & ablegandus. Subrufus autem color, tranſgreſſiones prætextu ignorantiæ ſignificat: Quapropter cùm in huiuſmodi viris nulla niſi affectata præſumi poſſit, ea ratione excuſandi

veniunt,

veniunt, ac illi qui manum in ignem mittere volunt, & qui ex alta rupe præcipites se dare non reformidant. Hæretici enim omnes scientes, ardentibus flammis suas manus committunt, vt qui ignorantia præceptorum decalogi, qua nullus laborare potest, allegata, in mille præcipitia se transgrediendo dedant.

Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit, omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.

COGNITIS leprosis, qualem vitam agere debuissent, quando tales à sacerdote pronunciati fuissent, iam aperit. Atqui, cùm non solùm à conuictu populi exterminentur, sed & lugentium habitum induere cogantur, apertè constat per leprosos, fideles hoc vel illo peccati genere obnoxios, iuxta superius disposita, solùm intelligi. Nam de corporum affectionibus, cur tanta cura esset Domino, cùm propter animos, quos ipse deperit, ex sua bonitate, vitæ & saluti corporali prospiciat? præsertim cùm leprosis non ita ciues reliqui fastidierint, quòd eorum commercium fugerint: Imò, vt auctor est Iosephus, apud multas gentes indiuisim versentur, imo in pretio sint, ita vt in expeditionibus, militares dignitates, & in administratione Reip. ciuiles, illis comitantur, tantùm abest vt relegarentur, & contemptui haberentur, vt non solùm à conuictu, sed & à templis arcerentur. (Iosephus de antiq. li. 3. cap. 10.) Cui rei aperto argumento suffragatur Dominus, qui in signum & pœnam peccati, lepra patratores plectere solitus est, vt peccatum Mariæ in Moysem murmurantis lepra ilicò animaduertit. (Num. 12.) Quod & luce clarius pænitentium habitus, cui leprosi damnantur, manifestat. Nam dissutis vestibus in primis agere iubentur: quod animæ virtutes & vires disperserint, & ab vnitate cordis in Deum, animum deiecerint. (Eccles. 2.) De quibus Sapiens dixit: Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo; hic non credere Deo dicuntur, qui eius voluntatem transgrediendo præcepta non sequuntur: quòd fidem formatam non habeant. Nudato capite etiam incedunt: quoniam loricam iustitiæ, vt commonet beatus Paulus, induti, cum fratribus versari minimè fuerunt. (Hebr. 6.) Etenim qui fide per dilectionem operante, qua iustitia cælestis suos figit gradus, vti lorica contra malignos hostes non obducitur, qui eorum ictibus nō ferietur? Vnde qui hanc armaturam comitem neglexerunt, in suæ inertiæ testimonium meritò quod ipsi fecerunt, pœna testantur. Præterea os veste contegere iniungebatur, tantùm se contaminatum, ac sordidum clamare promittēdo, vt qui fidei doctrinam atque Dei mandata, vita & moribus non æstimauit, imò neglexerit in tantæ insolentiæ pœnam, nec aliud ore sumere iam se dignum existimet, iniuriam quam verbo Dei intulerit, ægrè sentiendo. Et præterea, quia huiusmodi, interim quod peccatum fermè in suo sanguine madet, nec exemplo pænitentiæ abolitum est, docendi & prædicandi facultas iure inhibita est, dicente Deo peccatori: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis verba mea in os tuum? (Psal 49.) Præcipiebatur autem se contaminatum ac sordidum clamare, quoniam nulla alia re magis, quàm propria voce pænitentis suas ærumnas & peccata deplorantis, ira Dei frangitur, & ad miserendum prouocatur, dicente Dauide: Dixi, Confitebor aduersùm me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. (Esai 43.) Et per alium Prophetam Dominus ait: Dic tu prius iniquitates tuas vt iustificeris. & insuper, quantum dolere peccatum quisque debeat, hic docemur: quando non solum offensam Dei, quam incurri, & stragem animæ, quam persentio, perhorrescere debeo, sed ne similiter frater iræ Dei subiaceat, totis votis procurare: in quo non minor charitatis diuinæ iudicatio posita est. Atque ita in huiusmodi rei monumentum, sordidum & infectum se leprosus clamabat. Quod erat dicere, asserunt Hebræi, Cauete à me homine impuro. Et ita tali obiecto exemplo, cæteri à peccato reuocabantur, vt conditionibus alijs positis, quas pænitentes & lugentes de more inter Iudæos obseruabant: vt sic qualem vitam deinceps acturi essent; omnes discerent. Et tandem durante lepra, vt immundus extra castra solus habitare cogebatur: Non enim ad peccati odium facit à conuersatione communi omnium ablegari & nota aliqua publica inuri, imo res est, quæ ad sui cognitionem, vel multos homines pertra-

pertrahere solet, vt propriam miseriam abnegantes, ad Deum confugere discant, & pœnitentiæ dignos fructus efficiant, atq; Deo in futurum viuant. In hanc item rem excommunicationis pœna, sancta mater vtitur Ecclesia, à Deo edocta & ab Apostolis instructa, & vt in similem confusionem & erubescentiam lapsus in mentem tedi- 1.Cor.5. ret, qui non sanam doctrinā afferret, recipi vetuit B. Ioannes, dicens: Si quis venit ad 2.Iohan.1. vos, & hanc doctrinā non affert, nolite recipere eum in domum, neque aue ei dixeritis.

Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum est, si alba, vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti: qui consideratam recludet septem diebus, & die septimo rursus aspiciens, si deprehenderit creuisse, lepra perseuerans est, pollutum iudicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inuēta: & idcirco comburetur flammis. Quod si eam viderit non creuisse, præcipiet, & lauabunt id in quo lepra est, recludentque illud septē diebus alijs: & cum viderit faciem quidem pristinam nō reuersam, nec tamen creuisse lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eo quòd infusa sit in superficie vestimenti vel per totum lepra. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ postquam vestis est lota, abrumpet eum, & à solido diuidet. Quod si vltrà apparuerit in ijs locis, quæ priùs immaculata erant, lepra volatilis & vaga, debet igne comburi. Si cessauerit, lauabit aqua ea quæ pura sunt secundo, & munda erunt. Ista est lex lepræ vestimenti lanei, & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

POSTQVAM eorum peccata lepræ nomine notauit, qui communiter & ciuiliter agunt, quos seruа & liberatio comitatur, & ignorantia maior & minor obruere potest: tandem de his sermonem facit, qui disciplinis aut ingenua educatione, aut professione religionis, aut alio altioris vitæ gradu constituti, virtutis & integritatis vitæ curam intentè susceperunt. Hos enim & potissimùm quos honos magistratuum, in altiorem locum euexit (imò, vt inquit Philon Iudæus: Honos officijs magnis annexus, venalicij modo, seruos publicos & multorum dominorum effecit) immanis bestia vana gloria, & item superbia inuadit, & corripere, ac deuorare solita Philon lib. de Ioseph. est. Quorum saluti prospiciens Dominus, & dictarum bestiarum morsus præcauens, quomodo lepra à vestibus, id est, à virtutibus, quibus, positis furijs, insidiatur continuè diabolus, ableganda sit, docet. Ex his ergo qui virtutis culturam exercent, sunt qui in perfectiori & altiori gradu eam tenere præsumant, vt qui ex voto religionem aliquam profitentur, aut eremum inhabitant, & qui officio pastorali sunt præpositi. Sunt etiam qui mediocriter pro ratione officij, honestum colere contendant. Atque inter hos & illos non pauci sunt, qui pro officio conseruando, Dei gratia annexi, multas ac varias tribulationes patiantur: quorum virtutes & occurrentes assultus, varijs vestimentorum generibus intelligit. Nam vestimentum laneum sublimiorem virtutis culturam notat, propter lanæ teneritudinem, calorem, & firmius munimentum, quod præbet, contra temporis iniurias. Vestimentum lineum, mediocre virtutis exercitium, quia adhuc tunditur, insidias, & aduersariorum assultus importunè patitur: quibus tamen magis albescit, perinde ac linum dum magis tunsionibus premitur & maceratur. Tegmen præterea quod fortius trama est, gratiam & Dei auxilium, cui tanquam subtegmen studium & conatus humanus substernitur, ad virtutis officium continendum significat. Vtroq; enim istorum officium maculatur, quando finis vanus ambitionis, gloriæ aut superbiæ obtenditur, propter quos fines Deus interpellatur, & studia omnia ponuntur: nullius equidem medelam prætermittit Dominus, ciuili aut delicatiori veste induatur. Per pelles autem eorum virtutes, qui ob contemplandam prophetiam Iacob, qui contemplatoris cognomen habuit, imitatores effecti, circuierunt in melotis & in pellibus caprinis, afflicti, angustiati, quibus dignus nō erat mundus, vt inquit Paulus. Vt enim ex pellibus mortuorum Hebr.11. animalium, vestis, vas, aut opus aliud vtile vitæ efficitur, ita ex mortificationibus enumeratis, & similibus, quibus Dei serui se mortificabant, vestes, vasa patientiæ, man-

ſuetudinis, humilitatis, iuſtitiæ, & continentiæ, ac aliarum virtutum opera, vitæ Chriſtianæ vtiliſſima conficiuntur. Quare aptiſſime pelles pro varijs ęrumnis, & mortificationibus electorũ Dei poſuit. Huiuſmodi ergo omnes, cùm ſuperbiæ & vanæ gloriæ lepra ſenſim inuadat, cautos vult eſſe Dominus, & iudicio ſacerdotis ſubijci, qui de eorum ſanitate aut lepra pronunciet. Ait ergo, quòd ſi horum veſtis macula alba, aut ruſa apparuerit, lepra reputabitur, & recludet eum ſacerdos ſeptem diebus, & ſeptimo dię inueniens creuiſſe, impurum iudicabit veſtimentum, & omne in quo erit, quia perſeuerans lepra eſt: quandoquidem tempore probationis, veſtem non deſeruit: quare comburenda venit. duobus quippe coloribus albo & ruſo ſiue nigro, variata lepra, voluntarium vitium ſignificat, inquit Philon, nec ignorantia, nec alius prętextus, in excuſationem allegari poteſt. Quare id genus vitę omninò deſerẽdum eſt, & ad hoc eſt compellendus, antequam abſoluatur, quod eſt veſtimentum comburere: ſiquidem iam exſpectauit, nec peccatum ceſſauit. Quòd ſi inuenerit non creuiſſe, veſtimenta iubet lauare, quia pœnitentia operibus pœnalibus iniuncta, peccatum diluendum eſt. At tamen quia altas præſumere debet egiſſe radices, expectata ſiquidem perſeuerauit, recludet alijs ſeptem diebus, & ſi ſeptimo die inſpecta lepra, nec creuerit, nec in antiquum colorem cutis verſa fuerit, immundum hominem iudicabit, & veſtimenta comburet; eo quòd in ſuperficie imbibitam habeat lepram veſtimentum, vel per totum infuſam: quoniam apertum argumentum eſt in ambitione, ſuperbia & vana gloria perſeuerantem habere voluntatem. Quare nón ſectione, ſed aduſtione, vt peritus medicus, ad morbum expellendum vti debet. Si verò poſt veſtimenti lotionem, locus lepræ, & ſi ea non creuerit, obſcurior inuentus fuerit, (quia ſignum eſt in dies hunc rebus huius ſæculi obtenebratum iri) abrumpatur & diuidatur pars ea infecta à reliquo quod ſolidum eſt, hoc eſt officium & honoris locus, quo ſuperbiam ſuam nutrit, relinquatur, conſilio ſacerdotis. Quia melius eſt, vnum oculum habentem, cælum intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennã ignis. Aut ſaltem ab intentione, & mentis negotio diuidatur, vt neq; honoribus, quibus ſuperbia paſcitur, neq; laudibus & aſſentationibus, quibus vana gloria creſcit, vnquam delectetur. Vide quantùm has beſtias abominetur Dominus! Si autem in his locis, hoc eſt, in tegmine aut ſubtegmine, & quouis genere veſtimenti, ex annumeratis, vaga & volatilis lepra apparuerit, ſedem antiquam & locum mutans, comburetur, id eſt, aduſtione, & acriore pœnitentia curabitur. Quæ ſi ita ceſſauerit, lotione pœnitentiæ lauabit etiã ea quæ pura & munda ſunt, & in cuſtodia ſui maximè vigilabit, vt faciebat qui dixit: Super cuſtodiam meam ſtabo. Nam ex incuria & vecordia, cõſtat in partes ſanas tandem ſalijſſe. & ita legibus de dignoſcenda lepra finem impoſuit, & quid lepra contaminatum, & quid ea mundum pronunciari debeat.

Philon lib. quod Deus ſit immutabilis.

Matth. 18.

Abacuc 2.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

LOquutusque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Hic eſt ritus leproſi, quando mundatus eſt; adducetur ad ſacerdotem: qui egreſſus eſt de caſtris, cùm inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyſopum. Et vnum ex paſſeribus immolari iubebit, in vaſe fictili ſuper aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino, & hyſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundandus eſt ſepties, vt iure purgetur: & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.

PERFECTA cognitione morbi habita, remediũ conueniens adhibere ſupererat, quod hoc cap. Dominus præſtat. id autẽ Chriſti Ieſu mortẽ eſſe intimat, quæ tũc ſuum effectũ operatur, quando cuiq; applicatur: quæ duo ipſo initio ſtatim Dominus docet. Etenim vt clarificationẽ ſui nominis, in cruce, & glorioſa ſua reſurrectione eo tẽpore poſuit, quo ſuus populus ab errore idololatriæ liber agebat: & inſuper gentiles eius præſentiam deſiderare (quod Dominus teſtatus eſt, quando Andrea & Philippo renunciantibus, quoſdam gentiles eum velle videre, reſpondit. Venit hora vt clarifi-

cetur filius hominis) Ita quando homo peccator, præparatus est, ad eum absoluendum, & purificandum extra castra, vbi ille commoratur, iubet ire sacerdotem: vt summus sacerdos Christus pro redemptione totius generis humani extra portam, & loco horroris pleno, passus est. Est ergo necessaria præparatio, per peccati detestatio- {Hebr. 13.} nem, & abnegationem, quæ ante confessionem fit. Vel in ipsa sacramentali confessione completur: vt suo debitè sacerdos fungatur officio, proficueque passio Christi per Sacramentum sanctum pœnitentiæ applicetur. Necessaria item est fides virtutis & efficacia passionis Christi Iesu, iuxta illud B. Pauli: Oportet accedentem ad Deum {Hebr. 11.} credere, quia est; & quòd inquirentibus se remunerator est: & rursus, absque fide impossibile est placere Deo. Quod aperte hîc Dominus docet, cùm homo purificandus iussus est duos passeres cum ligno cedrino, vermiculoso, siue cocco, & hysopo à sacerdote offerre. Quę Christi Iesu passionem & mortem significare, luce clariùs cuique fideli est. Nam duos passeres, duas naturas humanam & diuinam notare, manifesta res est. Et, quoniam secundum humanam mortuus est, vt scripturarum sapientia, & doctrina præfiguratum fuerat, quæ aquæ viuæ in scriptura dicitur, in aqua viua & decurrenti, alter immolari hîc iubetur. Et in vase fictili: quoniam etsi verus filius Dei esset, verus etiam homo Christus extitit sicut cæteri. Quare nomine vasis fictilis, secundùm quod homo compellatur, fractioni & morti, vt omnes mortales obnoxius. Rursus cum ligno cedrino, cocco, & hysopo suam oblationem facit: Quoniam confiteri firmiter oportet, in ligno crucis immortalem & imputribilem salutem in cælo, Christum operatum fuisse: & cum effusione proprij cruoris, quem coccum hîc significat, vestem illam coccineam, qua in passione indutus fuit, obumbrans, in quo nostræ salutis pretium positum est: vt hoc idem explicans, Raab meretrix fu- {Iosue 2.} ne coccineo exploratores terræ promissionis, per fenestram demisit. In cuius etiam testimonium Zaram filio Thamar priùs erumpere è matris vtero gestienti, ligatum {Gene. 38.} est ab obstetrice coccinum in primogenituræ signum. At Domino aliter dispensante, quia ex ipso Christus, non primogenituras humanas sequens, descensurus erat, & genus humanum sua humilitate, & proprij sanguinis effusione erat liberaturus, secundo loco ab vtero egressus est. Ob quod etiam hysopum offert, qui herba humilis est, qua pulmonum vitia purgari solent, vt refert beatus Ambrosius. Alter verò pas- {Ambrosius super epistolam ad Hebr. cap. 9. tom. 3.} ser, qui in agrum auolat, Christi diuinitatem significat, cuius virtute à mortuis resurrexit in gloriam Patris, quod est in agrum auolare. quia cum filius Dei vnigenitus esset, mortis nexibus deprimi nunquam potuit: tingitur tamen immolati sanguine, quoniam in cruce corpore sacrosancto Christi pendente, ibi cum eo copulata erat diuinitas post exhalatam animam, sicut cum anima & corpore simul vnita integram humanitatem sustinens, in omnibus tormentis antequam moreretur, & eo tandem sanguine passeris immolati, septies mundandus aspergitur: quoniam virtute & applicatione sanguinis Christi, perfecta contingit remissio peccatorum. Quapropter septies aspergitur, quia hic numerus remissionis peccatorum est. Nam septem annorum hebdomadibus, iubileüs celebrabatur, in quo omnia debita soluebantur: & septuagies septies iussit Dominus Petro fratri dimittere. quod quantùm ad cul- {Matth. 18.} pam & omnem pœnam plenissimè fit in Sacramento sancto baptismi dicente beato Paulo: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: {Rom. 6.} Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Cumque lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua, purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus, & septimo die radat capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos, & lotis rursus vestibus & corpore, die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absq; macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.

NON sat est peccatorem peccatum relinquere, fidemque passionis Christi protestari ad sui iustificationem, vt hęretici Lutherani somniant, suam resipiscentiam &

fidem tantùm iactantes, sed vlterius progrediedum est, ad dolorem & detestationem peccatorum per pœnitentiam, & ad subiectionem præstandam sacerdoti Sacramenti pœnitentiæ ministro, quibus Christi Iesu sanguis diuinus, & passio pœnitenti applicatur, & ea visus in amicitiam Dei leuatur. Nam dicant impudentes hæretici, si hæc non sunt necessaria, quorsum hic tam accurate delineantur, & obumbrantur, quæ imagini pingendæ, & corpori, id est, Ecclesiæ catholicæ, quæ his picturis describebatur, non conuenient? Etenim, teste beato Paulo; Omnia ad nostram salutem scripta sunt, vt per patientiam & cõsolationem scripturarum spem habeamus. Et rursus: Omnia in figura contingebant illis. Etenim scriptas has leges, figuras esse intelligibilium quæ ipsis significantur, vel ipsi Iudæi confessi sunt. Vnde Philon grauiter eos sui temporis reprehendit, qui diligenter intelligibilibus darent operam, figuras verò negligerent: debuerunt, ait, vtraque curare, vt & obscura quærerent, & manifesta diligenter seruarent. Nam sicut corpus curamus, vt animæ domicilium, agnoscentes animam corpore præstare, ita significata, & intelligibilia tanquam animam, figuras verò & ceremonias tanquam corpus seruare conuenit. Qua ratione, ait, apertiùs noscuntur significata, & eadem opera multorum incusationes & reprehensiones effugere licebit. hæc ille. Quòd si illi intelligibilia significata, latere figuris suarum legum, quantùm ad morum compositionem cognouerunt, nos qui vltrà, Ecclesiam intrinsecus descriptam fide accepimus, quomodo eadem non vrgemur, eius mysterijs figuras aptare. Sensim ergo & per paulatinos progressus, pœnitens ad tabernaculum suum, id est, ad possessionem scientiæ Dei, vt ea tanquam regula vitæ vtatur, assurgere oportet; vt inter initia post baptismum fecerat, & ad legitimum conscientiæ testimonium, quo anteaquam tot lapsus admitteret, vt proprio domicilio gaudebat. Principio igitur post rasionem pilorum sui corporis, se & vestimenta sua lauabit, & sic ingredietur castra & conuersationem aliorum, septem diebus extra tabernaculum manens: Oportet enim vere pœnitentem, veterem vitam omnino ablegare, & nouam debitis operibus inchoare: vnde & pilos radere iubetur, quod est omnes vitæ superfluitates abijcere, omnes errores, falsas opiniones sensuum, omnes perturbationes è mentis dominio euellere, denique transitum à vitiosa & veteri vita ad studiosam & nouam facere, quod est pascha celebrare, quod fit bonis operibus deinceps vacando, quod est vestimenta lauare, & seipsum, vitam anteactam lugendo. Nouorum equidem, & illustrium studiorum generatio, ex veterum & insanorum odio & detestatione, quam optimè proficiscitur. Quòd autem septem diebus in castris non ingressus tabernaculum maneat, tempus sufficiens exercitiorum pœnitentiæ notat, quo bonum odorem exemplo virtutis & pœnitentiæ in populo diffundat, quem graueolentia peccatorum disperserat. & suorum deinde consuetudine orbatur, vt eius sensus probentur, & ita in bono firmẽtur, vt murus aheneus virtutis, suis existat, à quibus facile flectebatur, vt ab his, quibus affectuum corporis radices fouentur, & nutriuntur, & in malum, hominem pertrahunt, secundum quod scriptum est, Inimici hominis domestici eius.

Rom. 15.

Philon lib. de migratione Abrahami.

Michæ 5.

Septimo die rursus iubet pilos corporis radi, cum capillis capitis, barba, & supercilijs, repetita etiam sui corporis & vestium lotione. Omni diligentia curat Dominus omnia in pœnitente innouari, cogitationes & opera: Quare radi pilos semel & iterum præcipit. vt enim rasis pilis alij recentes nascuntur, ita veteribus cogitationibus abeuntibus, nouas subpullulare vult, pilorum rasura id significando. Verùm non solum hic pilos radere iniungit, qui antiquas vitiorum cogitationes significant, sed capillos qui ornatum præbent, & altiori loco positi sunt: quoniam quæ ornamento erant, & instrumento, vt de diuinioribus rebus fieret disceptatio coram hominibus, vt gloriosus appareret, abscindendi sunt: & superbiæ & elationis cogitatibus neglectis, eos curare qui humilitatis, obedientiæ Dei sunt, quos nutrire, comere, & oblongos more Nazaræorum portare conuenit. Et supercilia item radere oportebat, quoniam omnes cogitatus, mentis opiniones, quæ ex dignitate, scientia, aut prærogatiua aliqua hominem efferrent, & leprosum reddidissent, ablegare conuenit, & supercilium omne deponere, vt loco illius, charitatis in proximum studia succedant. Et barbam rursus, quæ discernere virum à fœmina solet: quoniam omnia studia, quibus à cæteris arroganter & ab inferioribus se continebant, imò quibus peccando

candò gloriabantur, tanquam virorum actus & opera iactantes, deponere oportebat. & tandem in balneum & lotionem iterum remittit, vt peccator de propitiato peccato nunquam securus sit, ne peccatum super peccatum adijciat, sed pœnitentiam præ oculis semper habendo, dicat cum Dauide: Lachrymæ meæ fuerunt mihi panis die ac nocte. Die denique octauo, quia resurrectionis est, in quo Christus resurrexit per gloriam patris, vt nos in nouitate vitæ ambulemus resuscitati à peccato; cum duobus agnis anniculis, & agna anmcula, & tribus decimis similæ conspersæ oleo, & sextario olei seorsum ad sacerdotem ire iubetur. Hæc autem genera oblationis afferre iubet, quia tales nos opere exhibere, quales muneribus profitemur, vult Dominus, cum ad Christum summum sacerdotem, per pœnitentiam regredimur, & schedulam solutionis peccati, à confessore eius ministro per absolutionem Sacramenti pœnitentiæ requirimus. Hoc enim à Iudæis illo tempore exigebat Dominus cum harum rerum oblatione; à nobis autem ablata figura & cæremonia, quæ vti suo iam functa officio cessauit, eundem intellectum latentem, imò eius opere completionem semper exigit: quoniam morale est, & ad compositionem morum Christianorum, apprime conducit, in quam rem est hoc loco contectum, & designatum. Vnde Philon Iudæus suos reprehendens, quod adimpletione literæ contenti intelligibilem sensum, pleni peccatis non curarent, sic clamat: Non corrumpitur istis, o vos quicumque tandem estis, Dei tribunal, sed omnes sibi malè conscios, etiamsi quotidiè centum boues immolent, auersatur: insontes verò, si nihil omninò sacrificent, amplectitur: gaudet enim Deus aris nouo igne calentibus, quas cingit virtutum chorus, non illis flagrantibus flamma, quam accendetunt profanorum profanæ victimæ, in memoriam reuocantes singulorum errata, & ignorantias. hæc ille. Quibus planè vides, quæ exterius suis oblationibus & sacrificijs, illi profitebantur, intrinsecus animo & opere præstare teneri. Duos ergo agnos anniculos afferebat pœnitens cum agna anniculà: quoniam pro omni genere humano tam masculo, quàm fœmineo passus est Dominus, & omnes ad pœnitentiam recipit. Differenter tamen: Nam in viro geminam virtutem & fortitudinem in bono, valentem filios bonorum operum procreare requirit, ob quod duos agnos & anniculos etiam petit. Vt enim natura duplicis & multò maioris roboris vir quàm fœmina præditus est, vt constantior & firmior in rebus agendis perseueret: eandem geminam virtutem in regressu ad pœnitentiam post lapsum seruet oportet fœminam verò iuxta perfectionem muliebrem, animosam in pœnitentia se præstare oportet: quod denotans, agnam anniculam promiscuè hic afferre iubetur. Affert deinde tres decimas similæ oleo conspersæ: quæ perfectam sanctissimæ trinitatis fidem, cum qua debet accedere, proculdubio significat: Simila enim cognitionem diuinorum iuxta dicta designat, & numerus ternarius cum decuplo hic complicatus, qui totus numerus est, trium personarum integram ex fide cognitionem apertè oculis mentis subijcit. Et bene conspersa oleo offertur: quia fides in Christiano absq; proximi charitate esse non debet, & talè in pœnitente potissimum requirit, quem operatorem desiderat: quia fides per charitatem operatur. Sextarium autem olei quod seorsum defertur, totam & integram mensuram fidei cuiuscumque, qua in vniuersalem Ecclesiæ fidem coalescit, significat, quam pœnitens ex promptuario suo, quod Spiritus sanctus repleuit, Christo Domino offerre, & reconciliationem petendo proferre debet. Forma enim fidei charitas est: vnde tanquam à potiore parte, olei nomine, quod charitatem notat, significatur. & eius sextarium efflagitatur; perfectam mensuram fidei exigens, quam senarius numerus significat: est enim in denario numerus perfectus. Quam beatus Paulus his verbis à quolibet nostrum requirit: Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.

[Margin: Eccl. 5. — Psal. 41. — ad Rom. — Philon lib. de Plantatione Noe. — Galat. 5. — Rom. 12.]

Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonij tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium. & oblatis ante Dominum omnibus, immolabit agnum vbi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto, ad sacerdotem

pertinet hostia: sancta sanctorum est. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ eius qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis, & de olei sextario mittet in manum suam sinistram, tingetque digitum in eo, & asperget coram Domino septies. Quod autem reliquum est olei in læua manu fundet super extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & super pollices manus ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto, & super caput eius: rogabitque sacerdos pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato: tunc immolabit holocaustum, & ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo ritè mundabitur.

MIRA Christi Iesu erga suos fratres charitas & beneuolentia! Ad dexteram patris siquidem residens, omnia nostra vota, studia, oblationes, & sacrificia æterno Patri repræsentat, oculis infinitæ eius misericordiæ, inquantum homo & frater noster, cuncta nostra negotia, nostram reconciliationem procurans, statuit. Quod expli-
1.Ioan.2. cans beatus Ioannes, sic ait: Habemus aduocatum apud Patrem, Dominum nostrum Iesum Christum, qui interpellat pro peccatis nostris. Vt hoc loco obumbratum fuit, quando mundandi omnes oblationes, coram ostio tabernaculi ante Dominũ, sacerdos, qui Christum figurabat, statuit. Et peculiariter agnũ & olei sextarium offert: Quoniam vnigenitus Dei filius, vt æterni Patris iram contra pœnitentem placet, se tanquam agnum pro peccatoribus occisum fuisse, sanguinemque suum diuinum fudisse rememorat, cicatrices & plagas suas, vti gemmas diuinas splendescentes ostendendo, cum ineffabili illa misericordia, qua perfectè & sufficienter omnia mundi peccata exhausit: vnde cum agno olei sextarium simul offert. Deinde in loco, vbi hostia & holocaustum offerri solitum erat, vnum agnum immolat sacerdos pro delicto & peccato illo graui, quod lepram germinauerat, cuius partem ad sacerdotem pertinere dicit; quoniam eius sanguinis mensura, ad tabernaculum testimonij non deferebatur. & ideo huiusmodi hostia in ius sacerdotis cedebat. & hoc insinuans ait: sancta sanctorum est, id est, vt sanctissima quæque hostia, Deo gratissima. Etenim immolatione huius agni, mors summi sacerdotis Christi Iesu Domini nostri significabatur, quæ multo gratior Deo patri fuit, quàm peccatum exosum. Nam etsi sacerdos sit, qui hîc immolat, & res distincta, agnus scilicet, qui immolatur, in ipso tamen Christo simul hæc conuenerunt: Nam victima existens, vt summus item sacerdos, se ipsum æterno patri in cruce obtulit. Ipse autem pœnitens, qui [illegible] Christi innixus, cuncta sua opera Deo offerre debet, immanitatem & feritatem [illegible]pori mactando, qua more ferarum viuendo, innumeris Deum iniurijs lacessiuit, in hostiam sanctam, viuentem, rationabile obsequium, per sui mortifi-
Rom.12. cationem, offerre, & immolare debet, vt inquit beatus Paulus, non iam animalia bruta occidendo, vt tempore huius legis.

Rursus iubetur sacerdos, extremum auriculæ dextræ, & pollices manus, & pedis dextri sanguine agni immolati tingere: & postquam ex oleo sextarij, quod manu læua accipit, digito dextræ, puta indice, qui actionibus cæteris præstat, septies coram Domino sparserit, scilicet ante propitiatorium, in tabernaculo testimonij residuum olei supra partes dextras memoratas, & super sanguinem agni, & caput mundandi, fundere præcipitur. Disce hic Christiane lector, quanta te charitate Dominus complexus fuerit, qui tanto antè tempore de tua salute sollicitus fuit: & quam infirmus, imbecillus, & iners absque eius gratia, & auxilio in omnibus & animæ, & virtutis rebus, quas humana superbia iactat, aderis. auriculas enim cùm ad audiendum Dominus prouiderit, dextram fidei, & his quæ ipsi ancillantur, omnino mancipauit: Vnde Malcho seruo pontificis, auri-
Iohan.18. culam dextram beatus Petrus abscidit, in signum & testimonium, quòd inutiliter omnes illius populi eas deferrent, & ab omnibus rescindendæ erant: fidei siquidem & verbis diuinis, quibus vel ab ipsa conditione naturæ dicatæ erant, non accommodarunt, sed rebus tantum huius sæculi, vnde in suum Dominum sic conspirarunt. Deinde læua manus vix sibi sufficit, dextra verò & sibi, & illi: & similiter

liter de pedibus intellige. Vnde quoniam manus actiones signant, pedes autem omnes vitæ motus & viuendi vias: & pollices item sint, qui actionibus & gressibus maximè valeant, dextros pollices manus & pedis tingere sanguine immolati iubet: & insuper residuum olei sextarij, quod ex aspersione supereiat, in memoratas partes infundere, & in sanguinem agni immolati, & super caput mundandi. Ita enim est, quòd omnes actiones nostræ, omnes viæ, & viuendi modi, sanguine Iesu Christi agni immaculati inniti debent, & auxilio eius gratiæ præueniri, muniri, & coadiuuari, vt cũ valore fiant, & debita integritate exerceri valeant, & coram oculis Domini dignè & festiuè præsentari. Sanguis item agni immolati, oleum superinfusum recipit, & eodẽ caput eius qui mundatur perfunditur: quoniam misericordia Domini, sanguis ille diuinus pro nobis effusus est, & misericordiam Domini, vt eo vtamur, nostrum bonis operibus, vsuque Sacramentorum efficiamus, sollicitare semper oportet. Ob quod effuso sanguini, oleum hîc miscetur. Et eius infusionem caput pænitentis recipit: quoniam præhabitis dispositionibus, in mente & anima quam caput refert, olei gratiam qua iustificatur, & Dei amicus euadit, accipit. Id autem, quod intermissum est, in manu sinistra, olei sextario assumpto, digito dextræ septies coram Domino aspergere: non aliud, significat, quàm bona omnia terrena, spiritalibus inseruire debere; vt læua manus actionibus dextræ. Sacerdotem autem septies in tabernaculo coram propitiatorio, siue coram Domino, sanguinem occisi agni spargere suo digito; Christum redemptorem nostrum virtute Spiritus sancti, qui suus spiritus est, coram Patre æterno, & in eius gloriam, pro hominum redemptione, sanguinem suum fusurũ notat. Digito enim, virtus Dei in Scriptura designatur: ita enim Magi Pharaonis, se victos à virtute diuina in fabricatione vnius pulicis agnoscentes, dixerunt: Digitus Dei est hic. Et ipsemet Dominus Iesus ad locum allegatum alludens, miraculum eiectionis dæmonis ab homine, Belzeebub Pharisæos adscribere minimè posse arguens, dixit: Quod si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Significat præterea, Christum Iesum post suam in cælos scansionem die Pentecostes, Spiritum sanctum, qui tanquã digitus à manu, ab ipso, vt à Patre procedit, per septem donorum effusionem, prædicatione & mirabili magnalium Dei enarratione, sanguinem Christi Iesu in remissionem peccatorum totius mũdi spargentem. Tandem oratione sacerdotis, & holocausti oblatione, mundationem hominis finit, quæ ad pædagogiam legis complendam, præstabat sacerdos. officium sacerdotis his duobus perstringens, quod populo debet. Nam oratione cũ Domino sui populi & Ecclesiæ necessitates negotiatur, & oblatione sacrosancti Missæ sacrificij, quod holocaustum illud figurabat, Deo populum conciliat, eiusque iram placat. Cum enim Christus Iesus suppositum diuinum sit, duas in se sustinens naturas, secundum humanam, quam agnus immolatus retulit, se in cruce immolauit: secundùm verò diuinam se totum amore flagrantem, in holocaustum impendit. Docetur præterea pænitens, talem se exhibere, qualem oblationem suam offerri cernit: scilicet vt affectuum corporis mortificatione, se Deo immolet: secundũ verò animam & mentẽ diuini ignibus amoris, se totum accẽdat, & in holocaustum se, suaq; omnia offerat: tale siquidem per duos agnos, quos offert, de se testimonium profert. Lucæ 11.

Quòd si pauper est, & non potest manus eius inuenire quæ dicta sunt, pro delicto sumet agnum ad oblationẽ, vt roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium duosq; turtures, siue duos pullos columbæ, quorum vnus sit pro peccato, alter in holocaustum, offeretque ea die octauo purificationis suæ sacerdoti ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino. Qui suscipiens agnum pro delicto, & sextarium olei, leuabit simul, immolatoq; agno, de sanguine eius ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manus eius, ac pedis dextri. Olei verò partem mittet in manum suam sinistram, in quo tingens digitum dextræ manus, asperget septies coram Domino, tangetq; extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manus, ac pedis dextri in loco sanguinis, qui effusus est pro delicto: Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput

put purificati, ut placet pro eo Dominum: & turturem, siue filium columbæ offeret, vnum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.

MAXIME Dominus oculos suos ponit in pauperculos, cōtritos spiritu, & tremen- [Esai. 66.] tes sermones suos. Quos sub tenuitate pauperum temporalis vitæ, qui si saperent, & in- [Deut. 32.] telligerent, ac nouissima prouiderent, ditiorem spiritum habere debuissent, hoc loco significat. Corporis enim perpessio, & temporalis vitæ coarctatio, animū leuare, & vnctione spiritus impinguare suapte natura debet, cùm è cōtra, corpus corruptioni rerum huius sæculi subiectum, animam deprimat multarum rerum cogitationibus, & aggra- [Sapien. 9.] uet. Pauperis oblatione, illorum qui altioris gradu pænitentiæ, post lapsus sui cognitionem, ineunt, designat hic Dominus, vt oblationis partes manifestè ostēdunt. nā agnus, decima similæ, sextarium olei, duo turtures, aut duo pulli columbarum, partes pænitentiæ, & vitæ hominum religiosorum indicant; agnus bonitatem & vitæ innocentiam notat, quam definito animo amplexari conatur, Dauid elogio admonitus dicētis: Bea- [Psal. 1.] tus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Decima verò similæ, legis Dei diebus ac noctibus meditationem: de qua sequenti versu dicitur, diuinam voluntatem in omnibus requirēdo actionibus. hanc enim pauper, qui lectione legis & disciplinarum diuitijs careat, mente & animo habere potest: & si ieiunia, saccum, macerationes alias, ad carnis superbiam re- [Psal. 41.] primendam subire, vt fortes & diuites, non possit; his, innocentia scilicet & accurata voluntatis diuinæ requisitione, ad mōtem Domini iter agit. Olei sextarium suam fidem, charitatem in Deum, & proximum accēsam, & plenam etiam misericordiam in fratres, in quorum iniuriarum remissionem, nostrorum reatuum dimissionem remisit Deus, docens nos in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus [Matth. 6.] debitoribus nostris. Turtures verò & pulli columbarum, castitatem & charitatem cum continuo pænitentiæ singultu significant: turtur enim suo coniuge perdito, nunquam vlterius alteri copulatur, viduitatis amica. In filijs columbæ simplicitatem & charitatē; quia felle carent, & gregatim volant: & in vtrisque continuum habitum pænitentiæ; quia nunquam non gementes has aues videas, vt supra latius deductum est. Et hæc est oblatio spiritualis, quā hîc Dominus requirit, siue per pauperes, insigniores Christi milites, & pænitentiæ ductores, intelligas, vt nos interpretati sumus; siue eos, qui maiora & asperiora pænitentiæ legis subire nequeunt, officio suæ vitæ præpediti, vel ætate, aut infirmitate debilitati, vt exponit Isychius. Non enim minùs gratanter officia pænitentiæ ab his, qui in vallibus agunt, accipit Dominus, quàm ab his, qui in montibus, quibus ascensus ad eos non patet.

His muneribus sacerdoti coram Domino præsentatis, agnum & olei sextarium, inter omnia oblata mouet, & veluti Domino repræsentando leuat: Quòd, & si quæ dicta sunt, mundando pænitenti accommodentur, tanquam vitæ nouæ professionem, quam pollicetur, per ea testando; in primis tamen de ipso Domino Christo Iesu dicūtur, qui à peccato omninò alienus, omnem suam vitam, pænitentiæ pro nostris peccatis consecrauit, & absolutissimæ vitæ exemplar inaccessibile proposuit. Quod sacer legislator Moyses, aperte significat, cùm agnum & sextarium olei, sacerdotem Domino solùm repræsentare dicat: id est, Christum innocentissimum agnum pro omnibus peccatoribus oblatum, & huius sanctissimi sacrificij fidem, quam mundandus profitetur: illud enim pretium peccatorum offerre est, quo æternus Pater placatur: hoc verò, illius oblationem & vsum per fidem operantem, qua initium accessus ad Patrem patet. Cætera, quæ in sui officij exhibitionem, hîc fieri à sacerdote narrantur, in hominis oblati expiationem, iam supra exposita sunt. Tria tantùm præter ea hîc admonere libet: Vnum est, non solùm huius sæculi bona cùm prospera fuerint, sed & cùm aduersa, vt spiritualibus bonis destinata, eis in omni vitæ parte inseruire, & famulari debere, vt in omnibus ex- [2. Cor. 6] hibeamus nos, sicut Dei ministros, in verbo veritatis, & in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris: per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati & non mortificati: quasi tristes, & semper gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquā nihil habentes, & omnia possidentes. Vide sinistras semper

dextris

dexteris famulari explicitè, quæ hic in figura obumbrantur. Aliud est, agnum & turturem, siue pullum columbæ immolatum, priorem partẽ pœnitentiæ referre; quia odiendo peccatum, per sui mortificationem, se Deo pœnitens sacrificare debet: oblatum verò in holocaustum, nouæ vitæ propositum, institutionem, & definitionem, quam in futurum pollicetur, significare: & in eam rem per agnum immolatum, & in holocaustũ oblatum, & similiter de auibus, leprosum hic expiari. Tertium est, holocaustum in altari cum libamentis offerri: quod efficacem conuersionem pœnitentis signat, crucem suam ferendo, cum operibus pœnitentiæ & satisfactionis, quæ mensæ Domini, vt gratissimæ epulæ apponuntur.

Loquutus est Dominus ad Moysem & Aaron, dicens: Cumq́; ingressi fuerint terram Chanaan, quã ego dabo vobis in possessionem: si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius est dominus nũcians sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur esse mihi in domo mea. At ille præcipiet, vt efferantur vniuersa de domo priusquam ingrediatur eam: & videat vtrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo sunt. Intrabitq́ue postea, vt consideret lepram domus: & cùm viderit in parietibus illius, quasi valliculas pallore, siue rubore deformes, & humiliores superficie reliqua, egredietur ostiũ domus, & statim claudet illã septem diebus: reuersusq́; die septimo, considerabit eam. Si inuenerit creuisse lepram, iubebit erui lapides, in quibus lepra est, & proijciet eos extra ciuitatem in locum immundum: domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi puluerem rasuræ extra vrbem in locum immundum, lapidesq́; alios reponi pro his, qui oblati fuerant, & luto alio liniri domum. Si autem postquam eruti sunt lapides, & puluis deletus, & alia terra lita, ingressus sacerdos viderit reuersam lepram, & parietes respersos maculis, lepra est perseuerãs, & immunda domus. Quam statim destruent, & lapides eius, ac ligna atq; vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in locum immundum. Qui intrauerit domum quando clausa est, immundus erit vsq; ad vesperam: & qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lauabit vestimenta sua.

IN rebus animatis & sensu præditis, lepram, scabiem, & infirmitates cadere, commune est: in vestibus tamen & domibus quis vnquã vidit? at Dominus videt. vt planè hinc discas Christiane lector, legem spiritalem esse cũ Paulo: & extrinsecus ad exercitatio- Rom. 7.
nem sensuum loqui, intrinsecus autem intellectui ad compositionem morum, & in figura, ad diuinæ sapientiæ stabilitionem, quæ in fide Domini nostri Iesu Christi hominibus lucet. atque ita cùm puram, & synceram contineant veritatem, diuina prouidentia cautum est, ne erroribus & vanis opinionibus mixta contaminaretur: & ne à porcis & profanis hominibus indignè diuina mysteria tractarentur; vt non solũ Euangelij sancti Sacramenta, sed neq; legis dispositiones in historicis, aut editis de philosophia libris, ab huiusmodi indignè & profanè vsurparentur, aut eorum aliqua mẽtio vel ipsis testimonium reddentibus fieret. Ita enim Demetrius Phalereüs bibliothecarũ regis Ægy- Iosephus
pti Philadelphi præfectus, apud Iosephum de codicibus Iudæorum loquens, hoc testi- lib. 12 anti.
monium de ipsis regi dat. Sapientiam enim & synceriorem legislationem cõtinent, vt- tiq. cap. 2.
pote diuinitus proditam. Et hæc est causa, vt Hecatæus Abderita refert, cur nullus vel poëta, vel historicus mentionem eius legis faciat, aut virorum, qui iuxta eius præscriptũ, res suas administrarunt: quòd sacrosancta sit, & profano ore tractari non debeat. hæc ille. Et rursus infrà, cùm lectione legis sanctæ Rex magnopere oblectatus, Demetriũ rogaret, qui factum esset, vt tam admirandarum legũ, nec historicus vllus, nec poëta mentionem fecerit? respondit: neminem ausum eam attingere, quam cõstaret diuinam esse, & omni veneratione dignissimam, & punitos esse quosdam a cælesti numine, qui illam temerè attrectare non sunt veriti. Theopompum enim volentem inde quædam suis scriptis inserere, mẽte motum fuisse diebus triginta, & per interualla insaniæ, precibus Deum placasse, facilè conijcientem quæ morbi causa fuerit. Atq; etiam in somnis admonitum, hæc ideò pati, quia fuisset circa res diuinas curiosior, atque voluisset proferre

profanis

profanis hominibus. Quare cùm à cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam.
Theodectæ etiam poëtæ, cùm in quadã tragœdia, vellet aliquid e sacris libris admisce-
re, oculos glaucomate suffusos caligasse: & cùm erratum agnouisset, exorato Deo, red-
ditam aciem. hactenus ille. Spiritalis ergo lex cùm sit, & omni reuerẽtia & humilitate,
à Domino sensum semper requirendo, in lepra domorum, sicut in lepra vestium, spiri-
talis & intelligibilis sensus attendendus est. Mirum profectò, qua similitudinum varie-
tate, dicendiq; multiplicata figura, ad leuandum lectionis fastidium, ad res enucleatiùs
docẽdas, atque ad humanum intellectum exercendum, sublimioraq; contemplanda,
easdem res aut penè, nobis Dominus inculcet. In quam rem cùm de lepra & peccato
hominum iugis semper currat sermo, nũc de vestituũ, nunc de domorum lepra sanxit:
quòd in corpus animę vestem & domum, saliat, in eoque vitium manifestum cernatur.
Corpus enim quod ab anima rationali informatur, parsq; altera hominis sic efficitur:
(quoniam eius organum & instrumentum, ad vitæ functiones existit) cùm potiores ta-
men & honorabiliores partes, imò & totum esse anima obtineat: ad hoc significãdum,
nunc vestis, nũc domus eius, nunc tumulus, nunc etiã carcer, & arca ab Spiritu sancto in
Scriptura, eiusq; tractatoribus appellatur. Nam Martyrum corpora, animarũ vestimen-
Apocal. 7. ta nuncupauit B. Iohannes, cùm dixit: Lauisse stolas suas in sanguine agni. domum, hu-
manum corpus censuit B. Paulus, quando dixit: Scimus enim, quòd si terrestris domus
2. Cor. 5. nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum
non manu factam, sed æternam in cælis. Sepulchrum autem nominauit Regius vates,
cùm hominis praui guttur, fœtẽtium spiraminum os manifestauit, dicẽs: Sepulchrum
Psal. 141. patens est guttur eorum: & carcerem, quando dixit: Educ de custodia animam meam,
id est, ab huius corporis carcere, cui concupiscentes, & appetentes affectus, in custodes
præfecti sunt, quorum etiam officium, quando furiunt, homines praui bonorum insec-
tatores vsurpant. Etenim custodum carcerum nota est crudelitas: qui cùm ingenio fe-
rociores esse soleant, vinctorum assuetudine magis efferuntur, crescente semper magis
eorum sæuitia, dũ nihil boni vident, nec dicunt aut faciunt, sed sæua, violentaq; omnia:
Nam sicut bene compacta corpora exercitatione firmantur, & acquirũt robustam, in-
uictamque habitudinẽ, sic ferox & immitis natura, occupata sui similibus studijs, mul-
tò fit durior, & inaccessa misericordiæ, qui affectus, maximè humanus est. Et quemad-
modum, qui cùm bonis viris familiaritatem habent, ex eorum conuictu in melius pro-
ficiunt: sic etiam qui cum malis versantur, applicant sibi eorum vitia. Degunt autem
carcerum custodes inter plagiarios, fures, parietum fossores, facinorosos, violentos, stu-
pratores, homicidas, adulteros, sacrilegos, à quorum singulis nonnihil nequitiæ contra-
hunt: ex huiusmodi collatione, miscellaneaq; temperatura, cõficitur vna scelesta ma-
lorum colluuies. Perinde affectus, qui in custodiam animæ in corpore dati sunt: cùm
sua natura furiant, assuetudine & continuo prauorum attactu, dum suæ voluntati relin
quuntur, intolerabiles euadunt. Et arcam tandem, corpus appellari, reptilibus affectuũ
immanium plenam, à quibus abducendus est animus, figurauit & arca Noe, qui habi-
tationem suam ab immundis illis animantibus separatam habuit. Per Synecdochen
igitur totum pro parte accipiẽdo, homo lepram habens firmiùs radicatam, & foras re-
spicientem, domus leprosa præsenti loco censetur. Deniq; hac cõsideratione homo por-
tatilem domũ habet, secumq; eam semper affert: In cuius rei vestigium, in genere con-
chilium quædam similis moris Deus procreauit, testaceam domum secum afferentia,
vt cochlear, & quæ conchis inclusa in mari & fluminibus vitam agũt. Dicitur autem in
domo lepram habere, quòd diutino ictu diaboli, ciuis inferni, & gehennæ, per assue-
ta peccata, fermè ratio, imò & conscientia, callis concupiscentiarum obdurata non sen-
tiat, ac si res insensibilis esset. Cùm enim caro habenarum vitæ domina facta est, ratio
serua & captiua vix peccati plagas sentit, & nisi priùs intereat caro, suum sensum & do-
minium habere non potest: vsque adeò à domestica incantatrice, stupida reddita est.
Misericors autem Dominus, qui suorum electorũ non obliuiscitur, sensum eis reddit,
suarum gratiarum auxilijs & benignitate præstitis, quæ reliquis in punitionem suorum
peccatorum, iuste denegat, vt in profundum peccatorum lapsi, & Deum contemnen-
tes, morte nunquam interitura moriantur. Hoc enim intimabat Dominus per Prophe
Isai. 6. tam, quandò dicebat: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius
claude: ne fortè videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, &
conuertan-

conuertantur,& ſanem eum. Quod autem populo illi,& Synagogę Dominus dixit,quá excæcauit ob merita ſuorum peccatorum, vnicuique noſtrum dixit: vt tibi vnuſquiſq; caueat,etſi colluuie peccatorum ſe obrutum videat, non animum deſpondeat; ſed Domini precibus continue ſollicitet,vt liberaliter pro ſua miſericordia ei ſuccurrat, mentemq; & ſenſum,quo in ſe redeat,tribuat.

Gratia ergo Domini præueniente & cōcomitante, deuiū ſe videns à recto aliqrum vitæ tramite,qui virtuti ſtudent,& item à debito viuendi officio,cui aliquando vacauerat (quod eſt colorem nigrum & pallorem in domo aduertere) voluntariè collapſum, ſuſpicando lepra infectam domum,ſacerdotem qui diſcernere poſſit,conueniens,dicit illi : Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea. Vbi qualitatem ſacerdotis, ad quē mittitur,cōmēdari vides: qui talis eſſe debet, vt diſcernere poſſit: Sic enim legūt Septuag. & indicationem item ſui morbi, quæ ſuſpicione, & non definita ſentētia fit. Priore animaduerſione,monemur,quanta cura confeſſorem doctum & peritum quiſq; eligere debeat , vt diſcernere poſſit inter lepram & lepram , & inter lepram,& non lepram,debitamq; doctrinam,regulasq; & conſilia ineundæ vitæ nouæ adhibere,poſt indicationem peccatorum quæ pænitens lugere debet. At cùm hic de grauiſſimis peccatis agat,quæ reddūt hominem ferme inſenſibilem, & quod omninò ſenſum rapit,quia fidem tollit,hæreſis ſit,aptiſſimè plures doctores,ſummum Pontificem Romanum hîc obumbratum voluit,penes quem firmiſſimum fidei iudicium ſtat:à quo tanquam ab infallibili regula,in his quæ fidem concernunt,vt Chriſti vicario,quauis oborta de fide quæſtione,definitio vera exſpectanda eſt. Poſteriore verò docemur ; peccatum ſuopte ingenio excæcationem mentis,& intellectus operari. Quod & res ipſa docet: nam corporis indulgentia,ſenſuum perturbata plebs,& ratio horum, & ſæculi omninò occupata,& ſubdita negotijs, mentem ab altitudine ſuæ dignitatis, his omnibus præſidendi, & quæ agenda ſunt imperandi,deprimūt; & paulatim ad ſe trahēdo, ſui moris & ingenij faciunt,quo acies videndi hebetata manet, & facultas diſcernendi verum à falſo,& præſcribendi quæ conueniant obnubilata. Vnde cautè cum his viuere, ne ſibi vitæ gubernacula aſſumant,quod totum malum eſt,per vocationem Abrahæ admonuit Dominus, dicendo: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, &c. Etenim corpus noſtrum terra eſt,quòd è limo terræ formatum in terram ibit;ſenſuum autem confuſio,cognatio eſt: Nam vti cognati propria vtilia & iucunda ſolùm quærentes, deturbare & inficere ſolent cognatum etſi peritum , quando eorum conſuetudini complacet,ita & hi intellectum,quando eorum conſuetudinem non à ſe excutit. Ratio verò, corporis indulgentiæ & ſæculi negotijs dedita , domus intellectus & mentis eſt: In ea ſiquidem vt in domo de agendis deliberatur , & quæ conueniant , diſponuntur. Quòd ſi domus lapſa omninò in ſenſibilia eſt , quid reſtat , niſi vt eius commotatione, corporetur etiam intellectus, ſpiritualium ac intelligibilium oblitus ? Qua quæ maior cæcitas? Excæcat igitur peccatum domeſticum,ſemper animum,& donec à ſua dignitate mentem dimoueat,in officio perdurabit,ſi tempore oportuno, eius fimbriæ nō abſcindantur. Quod & Scriptura ſancta non tacuit: nam Sodomitas ad hoſpites Loth in- Geneſ. 19. greſſos, corporali cæcitate percuſſit Dominus in argumentum eius , quá ſpiritaliter in mente patiebantur. Et ſimiliter in conuerſione B. Pauli in teſtimoniū ex cæcitate mentis , qua ferebatur , abſque viſu manſit diebus aliquot . Vnde & tanquam ſquamæ in Actuum. receptione luminis ab oculis eius deciderunt.

Sed videamus iam officium,quod ſacerdoti demandatur. In primis ex præſcripto Dñi,antequam ad viſendam domū ingrediatur, iubere tenetur , cuncta quæ in domo ſunt efferri,ne ad eius ingreſſum immūda & impura reddātur: quod mirabile eſt, quæ munda eſſent,ad introitum hominis purificati & Deo dicati ad ſacras res exercendas, immunda & omnia,impura reddi,quæ in meliorē ſtatum mutari debuiſſent ? Hychius cum cæteris doctoribus de peccato hæreſis hunc locum exponens , domum eſſe dicit plebem, & parochiam alicui commiſſam, quæ ne à dogmatizantibus inficiantur, & ne ſimul cum reis à ſacerdote puniantur, atque ita immundi ſimul cum alijs iudicarentur , innocentes priùs diſcedere iubet,relictis auctoribus criminis,qui probationem ſui criminis ſubire debent: vt Moyſes puniturus Datham & ſocios , multitudinem abire & ab eis diſcedere iuſſit. Itaque ad ingreſſum ſacerdotis,non impuri redduntur: tamen Num. 16. notarentur,ſi indiſcriminatim cum facinoroſis probarentur, & punirentur . Verùm in

vniuerſum

vniuersum de quouis peccati genere intelligendo, neque ad hoc, neq; ad illud locum coarctando, quid iuris erit? plane videtur de his sermonem haberi, qui ignorantia laborant, qui teneri, parùm sua peccata pensitant, & interdum si omninò ligari ea sunt, cum grauiter peccant, se recta facere putant. Et huic sententiæ maximè suffragatur, quòd præfectus domus suspectæ de lepra, sub dubio & sub timore tantùm peccati, renunciat sacerdoti, dicendo: Videtur mihi, &c. Dicendum ergo est, quòd antequã Dei verbum obscura mentis illuminans, quod affert sacerdos, animam delinquentis per ignorãtiam ingrediatur, male acta omninò, aut ex parte excusantur: perinde ac in pueris perperam acta attenuantur, & pro tempore indiscretæ ætatis omninò pelluntur, quòd curatore præceptore integræ rationis careant, qui admonere, castigare, & docere valeat. Quando verò Dei sermo, veri sacerdotis comes, tanquam lux clarissima animam ingreditur, minùs discretas actiones, & scelesta consilia redarguit; & mala atque peccata, hæc esse ostendit. vnde ad ingressum sacerdotis immũda redduntur, id est, ostentandum quæ antea tanquam vtilia amplectebantur, aut sicut parum nociua flocci pendebantur. Vnde adhuc in monte Sinay, & in deserto agens populus, pro tempore quo ingressurus erat terram Chanaan, vbi domos & alias possessiones habiturus erat, à Domino instituitur, quando lepra gentium ex sua idololatria & vitæ solutione, ipsis assuescendo, contaminari poterat: qua pædagogia Ecclesia simul erudit, ad vitationem hæresum, & aliorum peccatorum, quæ ex gentibus mutuari poterat. Nam ingressus ille in terram Chanaan, quam Dominus Abrahæ promiserat, initium renascẽtis Ecclesiæ; & in eadem commoratio, eiusdem progressum significauit. Et quo modo instituit? tradendo legem, & prophetias, quibus bellum gesturus erat cõtra vniuersitatem spirituum malignorum, septem illis terræ regibus, tanquam præcipuis ministris, vtentium. Hoc namque significat, Exod. 7. Dominum ad Moysem & Aaron loqui, id est, legem dare, quam Moyses figurabat, & prophetias, quas Aaron: quibus innitendo non solùm bellum agere, sed rem conficere debuissent. Et eadem dispensatione, pro plantatione fidei Christianæ Euangelium prędicando Apostoli vsi, totum orbem debellarunt, sibiq; subiecerunt. Et similiter res successisset his, qui in nouum orbem Indorum transfretarunt, si eadem prouidentia, dispensatione, & consilio diuino, vsi fuissent: Nam in huius rei & similium gratia, memoratæ expugnationes, tanquam exemplaria à Domino propositæ sunt. Quare sibi consulant, qui aliter rem aggressi sunt. In quam etiam rem beatus Paulus, milites Christi Ephes. 6. munit dicendo, vt negotium simile aggrediantur, Calciati pedes in præparationem Euangelii pacis, & in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, & assumentes galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Secundo loco, nota significationis lepræ, cum eiusdem remedio, ostenditur sacerdoti. Quando ergo ingressus, notas lepræ viderit, nempe valliculas siue foueas in parietibus humiliores reliqua superficie (quia intrinsecùs oportet radices morbi & peccati considerare, & extrinsecùs etiam) atque deformes colore pallido & rubeo, siue nigro, egressus claudet domum; & exspectabit tempus probationis, nempe septem dies: quo transacto, si inuenerit notas, & signa memorata creuisse, certò iudicabit lepram esse, & erutis lapides, & rasis parietibus per circuitum, hoc est perfectè, quia figura circularis perfecta est, puluerem etiam rasum, in locum immundum extra ciuitatem proijciet, nouis lapidibus suppositis, & alio luto circumlita domo. Quòd si hac adhibita diligentia, visens domum, repererit reuersam lepram, infectis nouis materialibus, perinde ac veteribus, destruet statim domum, & lapides ac ligna, & vniuersum puluerem extra oppidum, in locum immũdum, proijciet. Quæ quia suprà fermè omnia explicata sunt, in repetitione non oportet immorari. Dictum enim est iam, valliculas, submissionẽ rationis, imò eius seruitutem & captiuitatem, in quam ab agentibus corporis, eiusq; ministris acta est, notare; idque voluntarie, quod narratio illa colorum significat: quare familia aliqua sit, aut plebs falsa doctrina contaminata, aut singularis persona, iuxta geminam domus acceptionem positam, lepræ adiudicatur. Datur tamen illi venia, vnde septem diebus recluditur, qui numerus remissionis est. Quòd si recidiuus, post hanc indulgentiam inueniatur, lapides eruti, & puluis parietum rasus extra vrbem proijcietur in locum immundum. Lapides & parietes, quibus tecta domus fulciuntur, & sustentantur, & eriguntur, maiores populi sunt, qui eidem docendo, & administrando,

tam

tam sacra, quam ciuilia præsunt: Quibus infectis, eorum loco alios sufficere oportet lapides, & parietes, id est, ciuilis administrationis & ecclesiasticæ maioribus subinissos, luto alio, hoc est vera & catholica doctrina imbuere & reformare. Quod subinnuens Deut. 17. Dominus, Moysi aliquando dixit: Cumque transieris Iordanem, in terram quam Dominus Deus tuus [illegible] tibi, erige [illegible] ingentes lapides, & calce siue puluere leuigabis, siue [illegible] eos, vt possis in eis scribere omnia verba legis huius, transmisso Iordane. Vbi per lapides, Apostolos sanctos vides designatos, & per puluerem aut calcem, Euangelium, & doctrinam catholicam in ipsis positam. Vnde Christus Iesus, Apostolos non receptos in aliqua ciuitate, puluerem de pedibus excutere iussit: hoc est, nolite illis prædicare, neque in hoc insudetis. Pedes enim, quibus Apostoli iter egerunt, & agunt omnes illorum sequaces, Euangelium est, doctrináque catholica, quę propter eius subtilitatem puluerì pedibus superposito, id est, menti, & conatibus prædicatorum, secundum quod dictum est: Quàm speciosi pedes annunciantis, & prædicantis pacem; annunciantis bonum, aptissime comparatur. Isai. 52. Lapides ergo deprauati, vt dogmatizatores hæretici, e medio tollendi sunt: quibus sublatis, res alijs videtur credenda, cum timore tamen: Quare etiam visendi domum sacerdos & prælatus cui incumbit, [illegible] non debet. Quòd si eam visitans, inuenerit reuersam lepram, perseuerans enim hæresis, aut aliud omninò pertinax peccatum, quod defenditur: & tunc destruenda est domus. Sanabiles quippe domos, id est, passiones sanabiles habentes, curat & suscipit Dominus pænitentes: pertinaces verò & insanabiles habentes, destruit, vt pertinaces hæreticos: h[illegible] verò [illegible]rum peccatorum passiones, pertinaciter tamé, & [illegible] correptioni & emendæ repugnantes Dominus etiam destruit, quando per sacerdotem declarat non esse absoluendos, sed gehennæ & inferni incendijs esse paratos. Destructa autem domo lapides, hoc est hęretici, qui dogmatizatores extiterunt, cum lignis siue tecto quod populum significat, qui maiorum administratione sustentatur & cum vniuerso puluere parietum, non solum cum rasura superficiei, vt antea extra oppidum, in locum immundum projcienda sunt, quia omnes rei inuenti a minimo vsq; ad maiorem diligentijs memoratis adhibitis, puniendi, & exterminandi sunt. Quod si alio genere peccati sic pertinaciter quis obsistat corporis indulgentia, sensuum lenocinia, affectuum furia; lapides parietes, & tectum siue ligna sunt; quibus peccatum oritur, nutritur, adolescit, & in consumationem virilitatis venit. Quamobrem extra oppidum, hoc est, arcem animæ, mentem scilicet, & intellectum, in locum immundum, hoc est, in [illegible] à dominio vitæ, deturbati, projciedi sunt, vt mentem sic expeditã, solus Deus [illegible] spiciat: cuius lumine tacta, vitam illi gratam instituat. Ad quod officium, vt homo in peccato scandaloso obduratus, pœna coërcendus à iudice venit, occasionibus, [illegible] à mente recta dimouebatur, sublatis, & extra eius potestatem politis, quod [illegible] extra oppidum, in locum immundum, id est, odiendum & abominandum projcere: vbi peccata esse debent continuæ pœnitentiæ subiecta. Hinc enim extra portam, & in [illegible] mũdo, qui peccatorum abominationes significabat Christus passus est, quia omnia ea, vt pro omnibus satisfaceret, in se sumpsit. Tandem immundum declarat Dominus eum, qui clausam domum leprosam introierit, dormierit, aut comederit in ea, [illegible] pænitẽtia: quæ cruci Domini innititur: ob quod manere immundum vsque ad vesperam; & lotione vestimentorum mundandum pronunciat. Ad vesperum etiam pretium nostræ redemptionis, æterno Patri exhibitum est, & hostia mundissima pro peccatis totius mundi Christus Iesus Dominus noster, quod hoc loco [illegible]. [illegible] attende, quàm tacitè peccatum serpat, suumq; virus in quoscun[illegible], [illegible] vel [illegible] eius domum tetigerint: Nam non [illegible] qui dormierit, [illegible], sed [illegible] intrauerit, immundus redditur. Docemur igitur, quanta cura consuetudo e[illegible] & vita fugienda sit, qui minùs rectè viuunt: quippe vel leui attactu, inopini, [illegible] facile corrumpuntur. Vnde Dominus districte suis præcepit, ne cum generatione & posteris Cain connubia celebrarent, ne progenies fidelium corrum[illegible] adeò necessarium ad eorum puritatem æstimauit Dominus, quod cum tenui [illegible] haberét, Genes. 6. & filij Dei filias hominum concupiscere [illegible], [illegible] copulasse, quasi suum etiam peculium contagio peccati subuersum videns, [illegible] orbem inundauit. & [illegible] pe[illegible] sit vxorem Loth, quòd eos retrospexerit, in statuam salis vertit, in exemplum & vitæ Genes. 19.

L condimen-

cōdimentum cunctis posteris futuram. Ob quam etiam rem, populum suum ab Ægy-
pto liberatum, rursus in eam descendere stricte prohibuit, compertum habens, quam
contagiosa pestis sit peccatum, & quam prona conditio humana eius inescationibus
existat. Quòd si peccati incentiuum separatum tantum valet, perpende iam, quas vi-
Esai. 34. res habeat coniunctum? vt quanta sollicitudine corporis, sensuum amicitiam, & eo-
rum affectuum, tanquam Ægyptum fugere debeas, atque vt animæ subuersores, con-
temnere, & negligere. Sensus enim in sua feritate manentes, aut inordinati in animæ
republica, petulantes mulieres, & ab integra ratione deficientes, referunt; particula-
Psal 75. res verò rationes, quibus rebus sæculi inseruitur, diuitiarum viros: Quapropter opti-
mum erit, mulierum ordinem in animâ placare, ac etiam virorum, id est, rationum
particularium, quibus fallæ, aut apparentes sæculi opiniones & æstimationes fouentur,
ac vigent: vt menti & intellectui audientes in melius semper vita instituta profi[ciat].
Nam indomiti sensus, singuli à suis sensibilibus accensi, impetu vehementissimo flam-
mas excitando, mentem ipsam exurunt, perinde ac mulieres illæ luxuriantes, quæ ac-
Num. 25. cenderunt ignem in Moab ad filios Israel subiugandos: Quando verò morigeri facti
sunt rebus virtutis, imô & sacris & intelligibilibus rebus, maximo adiumento sunt: pe-
rinde ac vrbanæ ciuilesque mulieres, quibus perinde ac viris apparatum operum sa-
Exod. 38. crorum, sanctus Moyses demandauit; quę telas hyacinthinas, purpureas, coccineas, bys-
sinas, cilicinas conficientes, & omnem suum ornatum, inaures, anulos, & id genus simi-
lia, cultu & ornatu corporis, pietatem emendo, diuino cultui obtulerunt: imo & spe-
cula sua consecrarunt, ex quibus conflaretur labrum, in quo sacerdotes manus & pe-
des abluebant, vt ablutionis operum, accedentes ad sacra meminerint, ab speculis la-
bri admoniti. Quod Patriarcha Isaac, sua benedictione filio Iacob à Domino postula-
uit, rorem cæli primum, deinde terræ pinguedinem deprecans, irrigari cupiens spiri-
Gen. 27. tali cælesti[que] pluuia, quæ sensim & leuiter in morem roris à Domino descendit; &
item sensibiles res & diuitias, quas terræ crassitudo fert; quoniam hæc menti & spiri-
tui inseruire debent. In cuius etiam argumentum summus sacerdos, sancta sancto-
rum ingrediens, in fimbria vestis ad pedes tintinabula habebat, vt sonitus eius intran-
Exod. 28. tis in sancta, ait propheta, audiretur. Quod non aliud significabat, quàm sensus omnes
(quibus solo sacerdos non solum ad res diuinas tractandas, verùm & intel[illegible] vitæ
compositionem ingreditur; quod lamina illa aurea in capite significabat) menti &
spiritui consonare debere; modulatumque chorum ex diuersis vocibus temperatum
conficere, idemq́, carmen laudis cū mente & spiritu concinere: ab ipsoq́; cū Deo gra[tia]
assumptos & eleuatos, famulos se mentis exhibere. Rursus etiam, vt in eandem con-
nitatem sensuum, & mentis, ad morum compositionem, & ad Sacramentorum acces-
sum exemplo sacerdotis, populus assurgeret, cautum fuit à Domino: vt ingrediens &
egrediens summus sacerdos à conspectu Domini, tintinabulis sonantibus audiretur.

Quod si introiens sacerdos viderit lepram non creuisse in domo, postquam denuò lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate. Et in purificatione eius sumet duos passeres, lignumque cedrinum & vermiculum atque hysopum, & immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas, tollet lignum cedrinum, & hysopum, & coccum, & passerem viuum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viuentibus, & asperget domum septies: purificabitque eam tam in sanguine passeris, quàm in aquis viuentibus, & in passere viuo, lignoque cedrino, & hysopo, atque vermiculo. Cumq́; dimiserit passerem auolare in agrum liberè, orabit pro domo, & iure mundabitur. Ista est lex omnis lepræ & percussuræ: lepræ vestium & domorum cicatricis, & erumpentium papularum, lucentis maculæ, & in varias species coloribus immutatis: vt possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

QVANDO peccator vitio aliquo obrutus, à confessore inuentus, quoniam infirmus est & debilitatas habet animæ vires, negotium suæ salutis, non ipsi omnino credendum est: sed semel, & iterum, atque tertiò periculum faciat oportet, si medicinis adhibitis,

cum te-

cum regulis & admonitionibus vitæ, peccato valedixerit, priusquàm absoluat. Quod vtinam nostri temporis confessores exercuissent. Nam non in tot, nec tanta mala Rempublicam Christianam lapsam videremus, in qua iuramenta temeraria, periuria, blasphemias, maledictiones, libidines enormes inundare cernimus. Qua in re non mediocris cura à prælatis ponendâ esset; qui confessionibus præfecti, eas exerceant, & quo-pacto cum pænitentibus istiusmodi se haberent. profectò breui sic in vnoquoq; populo negotium Christianæ vitæ in melius in dies procedendo, conficeretur. Quod Dominus hoc loco apertè docet. dum peccatorem semel & iterum pænitentia & doctrina salutari à sacerdote suffultum, quando inuenit non creuisse lepram, hoc est, reliquisse peccatum, suum officium, eum purificando, memoratis in textu rebus, & pro eo orando, quæ administratione Sacramenti pænitentiæ figura extiterunt, exercere iubet. Dictum est enim iam, duos passeres in vno vase fictili coniunctos naturam diuinam, & humanam ad viuum expressisse in Christo Iesu: qui quoniam verus homo in ligno cedrino crucis, sacrum suum sanguinem cum omni humilitate effundens, coccinum, & hysopum coniunxit; quæ sanguine suæ sacratissimæ humanitatis tincta, & in aquis viuentibus, id est, doctrina fidei, suscepta, septies aspersum pænitentem à peccati maculis omninò mundare, dicit. Quod edissetés regius vates Dauid dixit: Asperges me, Domine, Psal. 50. hysopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. Vnde sancta mater Ecclesia diuino spiritu mota stabiliuit, aquam benedictam, quę sanguinem Christi refert, in Christianum populum hysopo aspergere. At quoniam omnia opera nostra à sacratissima Christi passione valorem habent, & tunc nostra pænitentia oculis diuinæ maiestatis grata comparet, quando eidem innititur, & conformatur: & à regione peccati auolare facit, sicut Christus Iesus per gloriam suæ resurrectionis, à potestate mortis se exemit, quam passer in agrum volans significauit: hæc de pænitente, qui proportionabiliter pro mensura gratiæ, se Christo conformare tenetur; imò sua oblatione hoc ipse protestatur; cóuenienter satis de ipso explicabuntur. Igitur, operibus pœnalibus, & potissimùm pænitentia iniuncta à sacerdote, suam crucem quotidiè (vt inquit beatus Lucas) Christi vestigia sequẽdo, portare debet, Lucæ 9. qui à suis sacratissimis humeris, nunquam eam tota vita excussit: In cuius testimonium ligneam, eamque grauissimam, in qua crucifixus, mortalem vitam finiuit. quod significans sacerdos ligno cedrino, quod vitæ comitem pænitentiam notat, & coccino, quod pænitentiam cum abnegatione propriæ voluntatis iniungi debeat, quæ contradictionem vitæ ante actæ faciat, & sanguinem sic à pænitente extorqueat, subinnuit: & tandem hysopo, quia à suæ vitæ superbia deiectum, omnibus humilitate prostratum demittere debet: secus autem non præsumat legitimè suum officium absoluisse, sufficienterq; infirmo prouidisse. Et quî hæc facit? aquis nempe sacræ doctrinæ, & Euangelij Christi Iesu Apostolorum & sanctorum doctorum eum irrigando, (quod sui officij est) Deus autem incrementum dabit: ob quod in aquis viuentibus, supradicta tangere sacerdos iubetur. Huiusmodi enim pænitentia, definito animo suscepta & exercita, absque dubio alterum passerem, id est, corpus mortificatione Deo in rationabile obsequium immolabit: & alterum, mentem nempe & intellectum alis expeditæ considerationis bonitatis Christi Iesu, & accensi item amoris, in agrum, hoc est in solitudinem cōtēplationis, & meditationis mysteriorum Psal. 54. Dei liberè auolare permittet. Etenim dum in Ægypto, in regione hac, scilicet inferiori sensuum, affectuumq; corporis, & peccatorum habitatione commoratur, veluti stupida mens conuicinio reddita, mysteria Dei non curat, cùm ea legit, aut per verbum Dei audit, nec suo pectori confident, quia animalis homo, id est, corporis blandicijs, & 1. Cor. 2. sæculi rebus omninò subiectus, non percipit ea, quæ Dei sunt. Quod regius vates multò ante cecinit, dicens: Patres nostri in Ægypto non intellexerunt, nec memores fue- Psal. 105. runt multitudinis misericordiæ tuæ. Liberatur autem animus ab Ægyptia seruitute, corporis mortificatione, atque pænitentia: hæc enim manus vinclorum eius solutrix est: & pænalia opera, pedes quibus iter agendo, ab Ægypto discedit, & ad terram promissionis, hoc est, ad cælum properat. Tandem epilogat, quæ his duobus capitibus per suum Prophetam disposuerat Dominus, in commendationem memoriæ: vt dispositionem & literam legendo, sensum & intellectum introspiciamus, ex quo mysteria nostræ redemptionis, simul, & quæ ad morum compositionem spectant, discemus.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

LOquutusq; est Dominus ad Moysem, & Aaron, dicens: Loquimini filijs Israel, & hæc dicite eis: Vir qui patitur profluuium seminis, immundus erit: & tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cùm per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor.

POST primum illud Adæ peccatum, mirum quanta vi, à sensibilibus obiectis, sensus attrahantur, imò quàm auidè ad ea, tanquam ad loca naturalia, ipsi se præripiant. Perinde enim ac vir, visibile visum mouet, vox auditum, sapor gustum, ac similiter de alijs: cùm reuera non sit vir proprius & legitimus, sed adulter, a quo brutus sensus conuersus & attractus, in potestatẽ alienam venit: vt mulier adultera, quæ viro suo fidem frangit. Quod quoniam mulier illa sensuum lenocinijs capta peccauit, & suum virum peccare fecit, de pomo prohibito comedendo, maledictione incussa, his verbis Gen. 3. indixit Dominus: Sub viri potestate eris, aut, vt plures doctores legunt ex Septuaginta, ad virum conuersio tua, nempe ad sensibile, virum adulterum & illegitimum, quia sensualem omninò & brutam, abominando hoc facto, te exhibuisti: Vnde & sensus cuius rationem illa induit, mulieris nomen sortitus est: & cùm ad virum suum legitimum, & à natura signatum, intellectum scilicet, conuerti debuisset, adultero & irrationali sensibili, se permittit, & ad eum nullo cogente vadit. Quod homini, qui à potiore sui parte censeri debet, nempe anima, secundùm quam debet viuere, non admodum sollicitus de mortali corpore, confusioni & ignominiæ esse debet: cùm sic teste Paulo genus Actuū 17. Dei sit. Est quippe intellectus, Rex & pastor omnium partium animæ & corporis, atque sensuum mollium, perinde ac mulieris proprius vir: virum à muliere regi, deterius meliori præesse, & sensum ab intellectu audiri, naturæ inuersio est. Attamen cùm ita sit, quòd rebus sensibilibus allicientibus, & corrumpentibus sua furia sensus, & primatum in gubernatione vitæ tenentibus, colluuies omnium vitiorum contrahatur: potissimùm tamen sensus sic dominantes, verbosam & temeram loquacitatem generant; quæ cùm omnium peccatorum scaturiens fons existat, ciuilem tamen vitam maximè perturbat: de cuius exulatione à fideli & Christiano homine, Spiritus sanctus præsenti capite disponit. Dicit ergo loquutum esse Dominum ad Moysem & Aaron: quod difficultate non caret. Nam cùm Aaron summus esset sacerdos, præponi in hoc loco, & in superioribus debuisset ei, qui gubernacula populi gerebat? Ita ipsa facie videtur: tamen mysterium reconditum, hunc ordinem exigebat. Moyses enim scientiam & intelligentiam referebat, Aaron verò eloquentiam & sermonem, quo populo inuulganda & explicanda erat. Vnde Moysi tarditatem suæ linguæ Domino, ad legationem quæ iniungebatur obijcienti, Aaronem fratrem in dicendi arte & facultate peritum associa- Exod 4. uit: Ita enim ait: Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius: & ostendam vobis quid agere debeatis: & ipse loquatur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum sunt. Mentis ergo est concipere & disponere, quæ inuulganda sunt, sermonis verò, eiusdem hominis, naturæ rationalis proposita, eloqui, atque proferre, quando ad sensum, aut ad affectum, aut ad corpus, & ad negotia corporeæ regionis tractanda descendit. Opus enim est illi tũc propinquo suo & interprete sermone vti: secus, quando contemplatione, in omnipotẽtis Dei negotijs versatur. Igitur qui mentem & intellectum examinantem, dictantem, & proponentem, sermo in vnoquoque homine exspectare debet; Moysem, intellectus scientiam & Dei sapientiam referentem, Aaroni præposuit. Sententia ergo, quam à Domino ambo edocti populo proponunt, hæc est: Vir qui patitur profluuiũ seminis, immundus erit: quæ, tria excutienda proponit: In primis, cùm vir hominem constantem significet, quî immundus, id nomen iure sibi vendicabit? deinde quid nomine seminis intelligendum veniat, & tandem quid notet eius profluuium. Virum appellat, non ab eo, quòd sit, sed ab eo, quòd moribus & vita se præstare debuisset. Quod lectio Hebræa, vocem, vir, vir, geminando, satis explicat, ac si duplicem virum expressè notaret, interiorem primo loco, hoc est intellectum, qui in arce animæ est tanquam eius custos: & exteriorem, id est, personam ipsam, quæ quia scientia ab illo mu-

illo mutuata instructus, à veritate ipsa nunquam aberrare debuisset: atque ab hac dignitate degenerans, vt erubescat, & confundatur, qui se immundum viderit, qui vir esse debuisset, tali nuncupatione admonetur. Rursus, semen pro sermone in genere, vt tam verbum Dei, quàm hominis loquelam amplectatur, hîc accipitur. Etenim quemadmodum frumenti granum, hordei, & aliorum seminum, terræ commissum, virtutem habet plures spicas, & in qualibet spica plura grana generandi, vt animalis semen simile animali, ita & verbum Dei menti commissum, ab ea amplexum & custoditum, vberes charitatis fructus referendi vim continet: & similiter sermo prudentiæ, atque disciplinarum vim habet, actiones virtutis in eius cultoribus producendi, & verum à falso discernendi potestatem. Quorum ne vnum, nec alterum tibi durum videatur, audi Dominum nostrum Iesum Christum in parabola satoris, semen verbum Dei explicantem, quod in terram bonam cadens, fructum trigesimum, sexagesimum, & centesimum affert: Item quosdam Epicureos, apud Lucam, beatum Paulum, quòd cum Actuū 17. omnibus disputaret, qui ipsum adirent, appellantes seminiuerbium, aut seminis satorem, vt legit beatus Chrysostomus, & etiam spermologum, vt legit Oecumenius, quo nomine omnes homines inutiles, qui nec audiri digni essent, censebant: quòd auis huius nominis in triuijs semina colligens, neque ad cibum, neque ad voluptatem vtilis sit. Vtcunque tamen legatur, in hoc omnes lectiones coëunt; antiquum etiam esse apud gentes, loquacibus hominibus exprobrando, quòd seminiuerbij, aut seminisatores essent, obijcere, quia semen, id est, sermonem non talem existimabant, vt ex eo doctrinam aliquam, aut voluptatem acciperent. Quod latiùs deduxi, vt abeant Hebræi obscœnitatibus hîc se totos torpentes.

Ex his iam, quod tertio loco examinandum propositum fuit, constat, nempe seminis profluuium, temerariam sermonis effusionem esse. Nam sunt qui perinde lingua vtuntur, ac si ad aërem verberandum data esset, quicquid in buccam venerit absque sensu effutiendo, vt semper ex ea fluat loquentia, quemadmodum ex torrente aqua. Vnde & profluuij nomine sacer propheta vsus est. Atque primo loco hîc obiurgantur, qui verbi Dei prædicatione abutuntur: vt qui suas doctrinas & adinuentiones inuulgant, vt po- 1. Tim. 4. pulum & audientes delectent, quos magistros prurientes auribus appellauit Paulus: & item qui ex fastu & superbia, vt primatum & dignitatem consequantur, aut vulgi opinionem, ita sibi officium arrogant; vt alios qui Ecclesiam Dei ædificare possent, contemnant, nec loqui sinant. quos Apostolus taxans dicit: An à vobis verbum Dei proces- 1. Cor. 14. sit, aut ad vos solos peruenit? huiusmodi autem, hæretici sunt, atque ex his fiunt, & immūdi sunt, quia profluuiū seminis patiuntur, quoniā sermonis Dei prodigi sunt, & suū incessanter, & vt rabie stimulati proseminant. quos Apostolus Antichristos nominat, 1. Ioan. 2. quia ex nobis, ait, prodierunt, sed non erant ex nobis: quoniam non prædicant Dei Euangelium, vt sancta mater Ecclesia docet: quare non sunt missi à Domino. Ego enim Hiere. 14. non misi eos, dicit Dominus. Etenim prædicatores, verbum Dei syncerum ad Ecclesiæ ædificationem tractare debent, secus autem facientes, nomine indigni sunt. Nam ea ratione beatus Paulus sermones prophetias appellat: prophetię, ait, non infidelibus, sed 1. Cor. 14. fidelibus. & rursus: Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, aut idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. & prædicatores, Prophetas etiam appellat, cùm dicit: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, se- 1. Cor. 12. cundò Prophetas, tertiò doctores, &c. non quòd reuelationem habeant, vt antiqui Prophetæ, quando Scripturæ sapientiam, Ecclesiæ suæ tradebant, sed quòd ex promptuario Scripturæ, ab Apostolis in Ecclesia catholica reposito, loquantur, & doceant. Scriptura enim sacra Ecclesiasticis viris, eius enunciatoribus, prophetiam tribuit, quoniam non ex se, sed ex reuelatione, non sibi, sed Ecclesiæ per suos progressus ab infantia facta, eloquuntur. Immūdi porrò sunt omnes reuerentiæ Dei contemptores, nō solùm periuratores, sed qui singulis verbis nomen Dei immundo ore vanè & absque fine aliquo assumunt. qui, cùm Deus solùm in testem adduci debeat, eius quod affirmatur, his comitibus; quando subest veritas, quando adest iudicium, nec ira, aut alia passione homo Hiere. 4. perturbatur, & quādo necessitas exigit, vt scilicet iuramēto interposito, cōcertatio finiatur, hi perditi, quòd loquātur, quasi Deus nō adesset, & quòd iniuriā ei irrogēt, eius præsentiā aduocāt. Sermo, inquit, vester sit, est est, non nō. quod amplius est, à malo est; hoc Matth. 5. est, non ab amore veritatis, sed vestræ perfidiæ, luxuriæ, & vanitatis procedit: grauiter

enim ij peccãt. Quapropter differẽda eſſet Sacramẽtalis abſolutio, & medicinis ſalutaribus adhibitis, in probatione priùs exercendi: non enim corruptionis morſu Christianorum hic parua incentiua eſt. In his equidem omnibus, vir hoc eſt intellectus, ſenſus, legitimus maritus, ſtupidus eius incantationibus factus, dormit ſui officij oblitus, in infima regione commorans. Vnde per linguam & os, ſermones inanes & peſtilentes fluere ſinit: atque ita profluuium ſeminis patitur, qui ſe continere & in vigilia & cuſtodia partium animæ, vnde vitæ inſtitutio procedit, eſſe debuiſſet. Etenim quemadmodũ, dum auriga equos habenis regens, qua placet currus procedit: iumentis vero frænum mordentibus, & ipſa curſu aberrante in cœnum impetu rapiuntur; & auriga tranſuerſus fertur: & vt nauis rectè nauigat, cùm gubernator clauum tenens, eam regit, periclitatur autem, quando reflante vento, totum mare occupatur a fluctibus: perinde quando intellectus partium animæ auriga, gubernatorque imperium tenet, tanquam magiſtratus in ciuitate, & Rex in regno, vita hominis proſperatur. Econtra vero confuſio vehemens ſequitur, haud ſecùs quàm dñs oppreſſis à ſuis ſeruis, quando brutus ſenſus primarũ tenet. Tandem ſeminis profluuiũ patitur, qui temerè, qui perperá loquẽdo, mẽtiendo, & maledicendo, effutire non ceſſat. Tunc enim omnes abſque ordine, & cũ peccato verba vt ſemina profundunt, quare profluuiũ patiuntur. & horum dicaci conſuetudini, fimbriæ per confeſſores ſcindendæ ſunt, quemadmodum & præcedentium: Ex officio quippe confeſſorum emendatio morum in tota Rep. Chriſtiana pendet. Eſt enim ſermo, mentis interpres & imago: Quòd ſi quod ei non propoſitum eſt, aut aliter quàm dictatum eſt, depromit, contra officium facit, fidem interpretis frangendo, & ſæpe obligat ad id, quod indecorum & contra Dei voluntatem eſt ſecundum mundi leges: quoniam qui audit, quod percipit, non ex lingua, ſed vt ab eius Domino dictarum colligit; vnde iniuriæ, rixæ, & contentiones oriuntur. Præterea huiuſmodi cor Iacob. 1. ſuum ſeducit, vt inquit beatus Iacobus, id eſt mentem ſuam, propalando, quod ab ea nec examinatum, nec probatum, nec propoſitum fuit. Cum rurſus, inquit, imago mentis ſit, talem ſe ſermone exhibere debet, vt ſuo honori proſpiciat, qualem intrinſecus omnibus videri cupit, & ſeipſum æſtimat: quod proculdubio aſſequetur, quando mens & intellectus ſermonem ſemper præuenerit; & lingua vt pediſequa famula, rationem ſequatur. Etenim cùm cogitatio & mentis conceptus, præuia deliberatione, perſpicuus Exod. 4. & clarus proponitur, ſermo clarus & proprijs vocabulis prælucens, ſicut Aaron Moyſi lætus occurrit: Secus autem, quando cogitatio non ſatis certa eſt, nec explorata: nam tunc ſermo impropriùs exit, per inania verba gradiens; & ſæpe grauiter collabitur. Diligenti igitur cura hæc obſeruanda ſunt, vt mentis imaginem, ad viuum referat ſermo: & vt corporis & animæ partibus, quæ vitæ famulantur, infrænata lingua, debitum officium iniungatur: & inde in tota vita Deo Patri ac Domino noſtro Ieſu Chriſto pro viribus cum eius fauore gratificetur. Eſt enim immoderata lingua lubricum vitæ: ex ea quippe omnis ferme peccatorum colluuies naſcitur. Vnde beatus Iacobus ſic ait: Si Iacob. 1. quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus ſuum. Nam vnde hîc perfecti viri nomen meretur? niſi quòd qui in lubrico vitæ ſe continere ſolet, eadem peruigili cura, concupiſcentiarum membra moderata habere, iuſta ratione præſumitur. Vnde in cœnobijs ad vitam religioſam colendam, ſilentium apprimè commendatur, & lege ſtatuitur. Experti nempe ſunt antiqui patres, cùm ſilentio vitam religioſam progredi, cum loquacitate verò, & conuerſatione prophana retrogredi, & perditum iri. Quoniam autem homines loquaces, perinde atque paſſeres, abſque mente vocales, vt expoſitum eſt, hîc arguuntur: qui nunquam non loquuntur, & in modum guttarum pluuiæ, eorum loquelæ concreſcere ſolent: hinc notas, huiuſmodi ſeminis profluuium cognoſcendi, per ſingula nempe momenta fluere, & humorem hunc fœtidum concreſcere, ponit. Fœtent ſanè iſtiuſmodi pſittaci, apud omnes piæ & ſanæ mentis homines; & omnibus quibus conſueſcunt, ſcandalo ſunt. Vnde ſignificanter fœdum humorem emittere dicuntur.

Omne ſtratum, in quo dormierit, immundum erit, & vbicunque ſederit. Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aqua immundus erit vſque ad veſperum. qui tetigerit carnem eius, lauabit veſtimenta

menta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. Si saliuam huiusce modi homo iecerit super eum qui mundus est, lauabit vestimenta sua, & lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. Sagma super quod sederit immundum erit: & omnis qui tetigerit quicquid sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutus erit vsque ad vesperum. Qui portauerit horum aliquid, lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. Omnis quem tetigerit, qui talis est, non lotis autem manibus, lauabit vestimenta sua, & lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. Vas fictile, quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua.

NVLLVS corporalis morbus perinde contagiosus est, ac animæ, quando communi consuetudine & conuersatione non cauetur. Cùm enim morbosi hominis caro veneno infecta sit, oris sibilo, & halitu in quoscunque obuios, sibique adhærentes, perinde ac serpens virus suum facile diffundit, quod caro corrupta pro suo ingenio, ementito linguæ dulcore non grauanter suscipit. Igitur pestiferi morbi propagationem, qui suprà explicatus est, in suo populo abhorrens Dominus, sermonis eorum, qui suprà proscripti sunt, graueolentiam, & primùm hæreticorum, verba Dei pro suo luxu adulterantium, singulis fugiendam graui peccati comminatione admonet. At qui, quoniam fœtidus odor, à nobis appropinquatione loci immundi, aut corporis morticinij participatur, ne sensim, & incautus eo se consciens inficiatur, quot modis contagio contrahatur, latè satis hîc Dominus explicat. Hi autem sunt: tangendo stratum, quo horum immundorum aliquis dormierit, aut sederit: carnem eius tangendo: aut saliuam suscipiendo: aut sagma, & quicquid sub eo fuerit attrectando: & portando item horum aliquid, & attactum eius ferendo illotis manibus: & denique vas fictile, aut ligneum, sic infecti tangendo. Lectum longioris quietis, & sedile breuioris tangit, qui doctrinam horum erroneam, fidei & veritati contrariam ex proposito, & deliberato animo suscipiunt: & qui eorum perditam consuetudinem, Christianorum morum corruptiuam, affectuosè amant, huiusmodi verborum effutitores fauent, quotidiè adeunt, & officij obliti frequentant. Equidem in sua falsa doctrina morumque corruptionibus, tanquam in lectis & sedilibus, hominum lariuę conquiescũt: quorum instrumentorum rationem subeunt, qui eorum erroribus, aut morum corruptionibus participes consilio facti, illis morigeri applaudunt. Nam cùm propria conscientia eos arguat, quòd suæ factionis libentes, & alicuius etiam aliàs nominis inscientijs, sectatores inuenerint, illam negligentes pacantur & oblectantur. Sunt etiam alij, qui disciplinas non exercuerunt, tamen vt leues & rerum nouarum studiosi, vel hac occasione obiecta, & fucis alijs, quibus semina sua nociua obducunt, inescati, huiusmodi deprauatos, & seminiuerbios, sponte, & libenter conueniunt, vt nouum quid audiant, & pruritu aurium delectentur: & hi eorum carnem tangere dicuntur, quia affectu carnali ducti, carnales homines adeunt, & eorum carnem tangunt, cùm carnalem eorum doctrinam, aut conuersationem approbantes, atque sensuum ore masticantes, in mentis ventrem traijciunt. Sunt præterea alij, qui cùm impostorum, aut vanorum rumore non sunt excitati, neque à vera fidei doctrinæ sede dimoti, neq; à morũ bona indole separati, hos deprauatores homines, & morum curruptores anhelantes adeunt, vt illi audientes, e venenoso ore virus contra fidem inspirent, & hi suos mores corruptos vndique spargant: atque in hoc omnem operam, laborem, & industriam apponunt, quæ nomine saliuæ intelliguntur. Atque ideo quando ipsis assentiunt, eorum saliuam tangere dicuntur. Et aliter, quoniam vt saliua ore excutitur, ita sermo & loquutio, tunc eorum saliuam tangere dicuntur, quando sermonibus & suasionibus assentiũt, & prauis conuersationibus delectantur. Quo apertè colligis, seminis profluuium, verbositatis proseminationem esse; imò ad hoc explicandum tactus, & comparatio saliuæ adducta videtur. Damnantur deinde vno tractu, omnes qui sagma, vel quicquid sub profluuium patiente fuerit, tetigerint, aut horum aliquid portauerint. gradatim enim per status, & viuendi modos hominum discurrit, vt nullus latebram peccati, se excusando quærat. Etenim postquam homines disciplinatos & ciuiles item, à conuictu irrisorum coercuit, ad vul-

gus, & plebem descendit. ars equidem viuendi, & panem quæritandi, auctoris indicatio, & eius ingenij graphica descriptio, & imago existit: Qualis enim vnusquisque est, talem vitæ finem & viuendi modum delegit. Vnde Dominus Iesus incredulos Iudæos, ad ipsa opera remittebat, quæ dignitatem suæ diuinæ personę vel cæcutientibus referebant; ipsa, inquit, testimonium perhibent de me. Hinc ergo per sagma stramenta cætera, & vectores, atque onerum portatores, quæ à polluto seminatore, essent infecta, & in vniuersum omnes intelligit, qui his instrumentis vtuntur, ad artes naturales, quæ labore constant, exercendas. Per hos enim etiam comprehendit artium omnium opifices, quas hominum cupiditas adinuenit: quos omnes, tacta à seminis pollutione tractantes, ex æquo immundos pronunciat, egereq; lotione pœnitentiæ cum superioribus, & vsque ad vesperum immundos manere: quia nisi per applicationem passionis Christi Iesu, quæ vespere exhibita est, mundari nequeunt. Verum attende, quod tactus, vitæ conuersationem notat: quæ cùm iuxta dicta, auctorem suum significet, qui sagma tangit, talis intelligitur, mollis scilicet, deses, & vecors Domini discipulus; qui nullo pretio venditur, & vitam suam commutat, sed mollicie tantùm tactus, quam ipse habet, & à pollutore fouetur, & promittitur, à recto discedit. Sagmata enim mollia stramenta sunt, quæ iumentis superponuntur. Qui verò tangit quicquid sub pollutoris manu existit, perinde eidem subijcitur, & subditus redditur doctrinæ & conuersationis, eius iugo collum submittendo, Domini iugum à se excutiendo, vt qui subuertuntur erroribus, aut id negligendo; quod facile euitassent, huiusmodi conuersationem non tangendo, id est, fugiendo: sicut molles & effœminati superiores se cõtinerent, si in bonis moribus cõstantes & perseuerantes, alios afferentes nõ tangerent, hoc est, non illis assuescerent; sed à longe salutarent. Fuga enim serpentinæ conuersationis, per se, aut per suos ministros eam ineat, prima & secura nauigatio est. Per portatores onerum demum deceptos intelligit, qui onera errorum, quando hæretici facti sunt, aut peccatorum, quando moribus deprauati, suis humeris quæcunque secum portantes, corruptores conuersantium facti sunt. Qui quantumuis prudentiæ steriles sint, vt hi esse solent, qui oneribus vehendis, Reipublicæ seruiunt; minimè tamen excusantur, propter rationis legis lationem, & continuum accusatorem, conscientiam nempe, quæ deflexionem, à bonis moribus semper incusat. Verum est tamen, quod inter hos, & memoratos omnes differẽtia esse potest, quòd hi minus, illi verò magis erroris, aut vitij in se imbiberint, segniùs aut firmiùs adhæserint: quos per vasa fictilia & lignea notat. In vase enim fictili liquor repositus magis imbibitur, & in eo incorporatur, propter apertiores poros, quam in ligneo, quod densius est. Quapropter illud nisi frangatur, saporem non perdit. hoc autem quia in superficie tantum eum participauit, lotione, & abstersione diligenti liber manebit. Hinc ergo præcipit Dominus, eum qui firmiùs & tenacius exteram doctrinam retinuerit, aut conuersationem prauam vehementiùs amauerit, frangi, alium verò pœnitentia lauari: Quod fiet pro ratione criminis illum exterminando, tanquam de salute deploratum; hunc per pœnitentiam abluendo.

Si sanatus fuerit, qui huiusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestimentis, & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus. Die autem octauo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabitque eos sacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, vt mundetur à fluxu seminis sui.

QVEM Ecclesiæ Sacramenta iuuare & liberare debent, peccatum priùs à se ablegasse oportet, id deserendo. Etenim dum peccatum perseuerat, gratiæ Spiritus sancti obsistitur, quam mater Ecclesia per sancta Sacramenta, Domino Iesu Christo operante, subministrat. Nec sufficit quocunq; tempore a peccato destitisse, vt se idoneum pœnitentem confessori subijciat, sed per id temporis, quo non per inducias cum peccato dimicetur, sed tanquam de inimico victoriam reportasse integro animi proposito ostendatur: tunc enim mundus, solùm mundus iudicabitur, etsi quamprimùm pœnitendo destitit, sanitatem adeptus sit. Quapropter septem dies à sui sanatio-

Aristot. 3. Ethic.

Iohan. 10.

ſanatione numerate iubet. Quo tempore elapſo, octauo die, qui reſurrectionis eſt, reſurrectione à morte peccati per eius derelictionem, & per inchoationem nouæ vitæ, plenè comprobata, ſeipſum legitimè offeret Domino, pedibus ſui ſacerdotis, & confeſſoris ſe proſternendo. Quod oblatio duorum turturum, aut duorum pullorum columbæ ad oſtium tabernaculi per manus ſacerdotis, ſignificat. Et ita eſt, quòd pœnitens ad confeſſionem ſacramentalem accedens, per proteſtationem nouæ vitæ ſe coram ſacerdote offert: quæ quia cum pœnitentia præteritę vitę in ſimplicitate cordis, & fœcunditate operum virtutis in futurum conſiſtit, duos turtures, aut duos pullos columbæ hîc purificandus offerre præcipitur, qui has virtutes apprimè ſignificant. Et porro, quod de ipſis fit, in ſe ipſo exercere profitetur, nempe ſuam carnem per pœnitentiam mortificare, ſicut alter volucrum pro peccato occiditur, alter verò in holocauſtum omninò accenditur. Pœnitentia etenim, & definita voluntas in futurum ſemper Deo gratificandi, duæ alæ ſunt, quibus in cælum Chriſtianus volat; altera à furia terrenorum affectuum ſe expediendo; altera verò ſemper in ſublime nitendo, ſemperque in altum remigando, in morem auium, quas offert. Tandem ſacerdos rogat Dominum, vt emundetur à fluxu ſui ſeminis. tunc enim ſacerdos pro pœnitente orabat: nunc autem Chriſti Ieſu Domini noſtri paſſione exhibita, Sacramentum adminiſtrat, conferens realiter gratiam, ex Chriſti inſtitutione, ad id virtutem habente: Quod ſua oratione ſacerdos tunc temporis obumbrabat. Et rurſus confeſſorem ſuis orationibus pro perfecta exulatione peccati, ne iterum ei dominetur, pœnitentem iuuare debere.

Vir de quo egreditur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum, & immundus erit vſque ad veſperum. Veſtem & pellem quam habuerit, lauabit aqua, & immunda erit vſque ad veſperum. Mulier cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vſque ad veſperum.

APERTE manifeſtat iam Dominus radicem ſeminis fluxi, de quo hoc capite agit, impudicitiam & libidinem eſſe & non ignorantiam, inuidiam, aut contentionem in aura populari certatim captanda, vt quidam volunt: quę ſemina errandi concionatoribus non benè ſanæ mentis, eſſe ſolent. Quos admonens beatus Paulus, ait: Philip. 1.
Quid enim? dum omnimodo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem, ſynceram ſcilicet, & non fucatum finem, Chriſtus, hoc eſt, fides Chriſti annunciatur, in hoc gaudeô, ſed & gaudebo: atque adeò de eius curatione hoc loco differit. Igitur ſeminiuerbius iſte, qui in cathedra peſtilentiæ ſederat, aut in via peccatorum ſteterat, ſua Pſal. 1.
doctrina, aut corrupta vita, errores aut degeneres mores proſeminans, in ſe reuerſus, & ad pœnitentiam accedens, corpus ſuum aqua lauare debet, veſtem & pellem; & erit immundus vſque ad veſperum: & item mulier cum qua coierit poſtquam ſe lauerit, tantundem temporis immunda remanebit. Libidinis peccatum, prauitatis originem, hic curat, quare pœnitentiam tantùm in remedium adhibet. Non enim dicit: vt lauet ſe in aquis viuentibus, quæ ſapientiam ſacri Euangelij, & ſanctæ Scripturæ ſignificant: ne quis ſuſpicaretur ſolam fidem iuſtificare poſſe, ſed aqua tantùm, quæ pœnitentiam hic deſignat, & lachrymarum eruptionem. Principiò autem corpus ſuum lauare debet, id eſt, carnem cum feritate affectuum, mentem opprimentium per caſtigationem ex odio peccati: & immundus adhuc erit vſque ad veſperum. ſed & veſtis, pellis, & mulier poſtquam aqua lotæ fuerint. Vbi poſt dimiſſum peccatum, quantùm ad culpam, per pœnitentiam, manifeſtè docet Dominus, pœnam temporalem neceſſariò hîc, aut in Purgatorio ſoluendam, relinqui; niſi tanta contigerit, quòd ſimul cum culpa eam abſorbeat. Nam hinc lotus pœnitens, in toto diſcurſu legis huius immundus remanebat definito tempore, ſcilicet vſque ad veſperum: quoniam cum alijs verſari minimè licebat, ſed à conuictu aliorum ſequeſtratus in reordinationem ſuæ voluntatis, & ſuæ carnis afflictionem ſatis patiendo in eo quo malum commiſerat, agebat. Sed cùm de pœnitentia polluti agatur, poſt lotionem ſui corporis, quid ad eum ſpectat veſtium & mulieris lotio, præſertim cùm de eius acceſſu ad pœnitentiam nulla ſit facta mentio? plurimùm ſanè. Nam omnes occaſiones, quibus peccatum in animam regredi poteſt, vitandæ & fugiendæ omninò ſunt. Primum autem locum tenet familiaritas earum rerum, quæ ad peccatum induxe-

induxerunt, & ei perpetrando seruierunt: quæ per vestem & pellem, quæ continuè
Matth.5. nobis adiacent, designantur. Quod explicatiùs docens Dominus, dixit: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: &c. Pellis autem meminit, vt eorum qui strictiorem vitam profitebantur, vt Prophetæ qui pellibus superinduebantur, luxum hic intelligere notaret. Mulieris etiam pœnitentia ad eius emundationem spectat: quia in ea corpus peccati detestatur, cum qua libidinis immodicus fluxus est habitus: non debet enim ea vti, sed ab ea abstinere vsque ad vesperum, id est, donec cesset illa inordinata passio: sicut & ab vsu vestium. Nam de re habita cum propria vxore loquitur, ob quod oblationem pro peccato, vt sancitum est, non exigit, sed tantùm remedium fluentis libidinis apponit: quod in abstinentia etiam à propria, & à licitis consistit. Bene quidem: alludendo enim ad materialem sensum Iudæorum, hunc moralem & satis proficuum eruimus. Verùm altiorem & intelligibilem sensum, quem initio capitis proposuimus, Spiritum sanctum hoc loco intendere crediderim: ex quo prædicti exequutio pendet. Equidem non alia re intellectum, lenocinijs sensuum inductum, & subditum illis tanquam vxori, meliùs explicari poterat quam coniunctione immodica viri ad vxorem, cuius blanditijs attractus, & victus nunquam a proseminando disiungitur. Hinc igitur figura docendi sumpta, in incipitionem intellectus cum sensibus, tanquam viri cum vxore, disrumpere Dominus cupiens, ex qua cuncta mala procedunt, homini præcipit, vt ab hoc connubio virum, id est, intellectú separet & emancipet, ac in dominio suæ dignitatis constituat: quod faciet lauando proprium corpus, vt pœnitentia, contradictionem patiatur, & seruire discat. Deinde lauet oportet vestes, & pellem, hoc est, omnes affectus, qui vt vestes, propriam indulgentiam procurando, furentes semper adiacent, & licitos etiam & concessos, quando vsque adeo procedunt, vt mentem deordinent, & perturbent, quos per pelles intelligit: qui vt pallijs superinduebantur insigniores in religione, quorum vsus non est ita continuus, vt vestium. Oportet enim, & à concessis cibis abstinere, quando ex ipsis nocumentum menti accrescit: & ab vsu propriæ vxoris quantùm licuerit, quando immodicus, libidinem dominantem generauit. & tandem ab indulgentia sensuum tanquam à propria vxore.

Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur: omnis qui tetigerit eam, immundus erit vsque ad vesperum: & locus in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur. Qui tetigerit lectum suum, lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. Omne vas super quod illa sederit, quisquis tetigerit, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua pollutus erit vsque ad vesperum.

PECCATA cuiusuis generis, quę propter assiduam consuetudinem, ad naturam, suam causam procurant appellare, hoc loco damnat. Id equidem humanum ingenium est, vt rerum quas amat, defectus & vanitates, ne res ipsa detecta suum mendacium proferat, orationis flosculis, & eloquij suauitate operiat, exornet, & contegat. Hinc apud gentes eloquentia maximè floruit: nam cùm Philosophi sui amatores, po-
Rom.1. pulo dominari, ab eoque suspici contenderent, Dei veritatem qua n agnoscebant, dictionis fucis, vt eos, qui ratione aliqua de Republica bene meriti essent, venerarentur aliquando, & vt Deos colerent, operuerunt, & in iniustitia detinuerunt. Hinc furentis fluuij in modum, idololatria populos omnes paganorum inundauit, & vsq; ad populum Dei, eorum commercio diuagata, etiam ad tempus penetrauit. Vnde
1.Cor.1. beatus Paulus efficaciam persuasionis veritati rei, & non eloquentiæ, hos obiurgans, tribuendam esse docens, dixit: Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare,
Cap.2. non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. Et rursus: Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Similiter etiam peccata, quæ in vsum, morem, & consuetudinem, pro corruptione humana, apud homines deuenerũt, qui vtinam pauci essent, à sensuum indulgentia, quibus suaue eloquium apprimè deseruit, initium & fomentum habent, persuasionis colores, sensibus præbentibus. Sensus igitur apud gentes, in continuam idololatriam

prorupe-

prorupterun[illegible]quam mulier quæ perpetuum fluxum sanguinis patitur; quòd eorum con[illegible], [illegible] de a[illegible] mulier [illegible]rbata viro, [illegible] virilitaté, fortitudinem, & imperium non [illegible]ntiat. V[illegible]de apt[illegible] initium fluxus sanguinis, à redeunte menstruo notatur [illegible] ex [illegible] dona[illegible] sen[illegible]bu[illegible] concessum est, quod in te licita sæpe [illegible]atur [illegible] idem in omnibus rebus habere præsumpserunt, & non mu[illegible]n[illegible] conce[illegible] fluxum sanguinis, id est, id [illegible], & aliorum peccatorum semper emittunt. Atque quando iste fluxus perpetuus est, vt idololatria apud pa[illegible]n[illegible]s, & vitia[illegible] apud peccantes ex habitu, per perpe[illegible] sangu[illegible]inis fluxum notantur. Cum verò decursus iste peccatorum non est continuus, sed ad tempus, vt in con[illegible]mentibus, q[illegible] ad modum epilepsiam patien[illegible]m, se habent: & vt idolola[illegible]ria apud Iudæos, quæ ad tempus adhæsit, in cuius signum à fluxu sanguinis beata[illegible] Martham [illegible]auit Dominus: per mulierem quæ non perpetuò, sed ad tempus fluit. de qua dicitur infra, significantur. Remedium huius mulieris fluentis ponit Dominus in hoc, quòd [illegible]paretur à viro septem diebus, id est, toto tempore fluxus, id est [illegible] repugnet illi mens & intellectus, fortitudine suæ scientiæ, & libertate: perinde ac vir non debet consuescere vxori sic infectæ. Quòd si se[illegible]us fecerit, & e[illegible] consuetudini, blanditijs, & lenocinijs attractus, eodem fluxu sciat se immundum & pollutum. I[illegible] cuius rei exempl[illegible]m, omnes eos adducit, qui muli[illegible]rem po[illegible] tempore separationis tetigeri[illegible], nam polluti discedent, perinde ac locus, in quo dormierit & sederit: & qui teti[illegible]nt lectum, aut vas, siue instrumentum aliud, & [illegible] pelle-ctilem super quam sederit. Quibus omnibus lotionis pœnitentia reconciliatiua, vt sup[illegible] à exp[illegible] est, impon[illegible], & vsque ad vesperum post lotionem man[illegible]e in pœnitentia satisfactiua, ab alijs segregatum. Vsque ad vesperum autem, i[illegible] est, interim quòd excæcatio, [illegible] & hallucinatio, quam [illegible] peccati parit, durat. Vt inquit [illegible] Amb[illegible]. Hoc enim, ait significauit Dominus, quando ad vesperam post [illegible] diem [illegible] Adam, amissa diei luce, qua ipsum in Paradiso constituerat: & [illegible]æcitas [illegible] Pauli, qua Dominum præsentem non agnoscebat obrigente peccato: [illegible] cognito Domino, lumen oculorum amisit.

Ambr. lib. de Salom. cap. . Isychius hoc loco.

In Psal. 38.

Actuū 9.

Si coierit cùm ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum in quo dormierit, polluetur. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quandiu subiacet huic passioni, im[illegible] da erit, quasi sit in tempore menstruo. Omne stratum i[illegible] quo dormierit, vel vas in quo sederit, pollutum erit: quicunque tetigerit eam, lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit vsq; ad vesperum. Si steterit san[illegible]uis, & fluere cessauerit, numerabit septem dies purificationis suæ, & die octauo offeret pro [illegible] sacerdoti duos turtures, aut duos pul[illegible]s columbarum ad ostium tabernaculi testim[illegible] qui vnum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum; rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ eius.

vestibus, suis proprijs induitur. Quæ mysterium passionis simul, & resurrectionis Domini manifestè figurant. Etenim Christus Redemptor noster præparatus homo, dare corpus suum percutientibus, & genas suas vellentibus, extra portam ciuitatis eiectus, Esai. 50. & in desertum & locum solitarium, caluatium nempe missus; qui quoniam immunditijs & spurcitijs ciuitatis deputatus erat, hominibus erat inaccessus; ibi mortem crucis oppetens, omniũ nostrum peccata, quibus onustus iuerat, luit. Quo peracto, tertia Rom. 6. die, mortalitatis vestibus depositis, & proprijs indutus, id est, potentia suæ diuinitatis accinctus, de sepulchro summus sacerdos, amplius nõ moriturus, surrexit: Quapropter vestimenta linea, quæ terrea sunt, deponit, completo sacrificio, & proprijs induitur, vt Deus. Sed & carnem suam lauat, figurans Christum Iesum, suam sanctissimam carnem loturum, mortalitatis laboribus exemptum, quando dotibus gloriosis immortalitatis, impassibilitatis, agilitatis, & subtilitatis erat eam ornaturus: quem in resurrectione corporum in cælo ascensuri, Deo dante, similibus dotibus sequemur, vt inquit B. Paulus: 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Quod etiam Dominus innuens, propriam carnem Aaroni lauare iubet. atque hoc post instructionem, qua nos erudit, nullum viscus adeò adhæsiuum esse, quàm contagium peccati. Quamobrem qui cum peccatore versatus fuerit, diligenter carnem suam, id est, carnis affectus abluat, ne vitio infescati in idem, hominem deprimant: & vestimenta deponat, hoc est, similem consuetudinem fugiendo, longè diuersam ineat.

Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabit tã pro se, quàm pro populo: & adipẽ qui oblatus est, pro peccato, adolebit super altare. Ille verò, qui dimiserit caprum emissarium, lauabit vestimenta sua, & corpus aqua, & sic ingredietur in castra.

IN oblatione sacrificij opus est, mentem in Deum ascendere, & optima quæq; animæ Deo offerre: Vnde completo officio interioris tabernaculi, quando egressus ad exterius, Aaron, in altari holocaustorum vitulum, & hircum offert, orare pro se, & pro populo, & adipem horum animalium in altari adolere iubetur. Christus enim Iesus, suam oblationem in cruce æterno Patri ad dexterã eius sedens repræsentans, pro suis membris & cuncto populo Christiano orat, vt suprà inductum est. & simul etiam in hac Aaronis oblatione, docet Ecclesiam, oblationem incruentam in sacrificio Missæ eiusdem corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, in memoriam cruenti sui sacrificij, id fidelibus applicando, debere offerre. Quapropter orationibus pro se, & populo simul fit, eiusdem Ecclesiæ constitutione, ex hoc loco Spiritu sancto suggerente edoctæ. Adipem insuper adolere super altare iubetur: quoniam cum suo sacratissimo corpore, pretiosissima quæq; simul suæ sanctissimæ animæ, Christus Iesus pro nobis obtulit: nos sanè edocens sacerdotes, vt cùm in sacrificio Missæ ipsum æterno Patri offerimus, mentem nostram, cor, præstantissimaq; nostræ animæ simul offeramus, quicquid videlicet in anima hilare, pingue, celebre, & gratiosum: profitentes, omnia Deo cedere, quæ liberaliter dona ab ipso accepisse cognoscimus. Ob hoc enim adeps offerebatur animaliũ, quæ sacrificabantur: extorum equidem propter pinguedinem protectrix existit, quibus pro amictu est, & ea sua mollicie, vt ministerio vitæ subseruiant, quamplurimùm iuuat; quemadmodum virtutes & facultates externæ, quæ vitam in officio protegũt, intima quæq; amiciunt, & adiuuant, vt promptiores & validiores homines reddantur, ad Deo acceptas easdem cum gratiarum actione referendum. Præterea præparato homini, qui hircum suffarcinatum peccatis in desertum eduxit, corpus & vestes lauare iubetur, vt castra ingredi posset: Christus etenim Iesus suum sanctissimum corpus à mortalitatis vinculis soluens, lauit, & vestes item; quando vt gemmis mirificè micantibus dotibus gloriæ ipsum ornauit. Item moraliter, homo ille hircum agens in desertum, qui Christum Iesum figurabat peccata omnium cum cruce humeris imposita gestantem, corpus & habitum lauare iubetur, ne peccati illecebris irritatus, earumq; visco detentus, succumberet; quòd prauæ societatis (vt suprà dictum est) consuetudinem, & feri affectus commotionem, aut irritationem, à se non excussisset. quod erat se & vestimenta lauare. Etenim vitium de vitæ gubernatione, cum virtute & sapientia contendit: quod nisi sup-

nisi supplantetur, & exitus ad vitæ regimen impediatur, proculdubio rector euadet.
Gen. 25. Quapropter Esau ne prius vterum matris egrederetur, à sapiente Iacob supplantatus
fuit, prior in lucem prodire nitens. in eadem etiam rem parturiente Thamar, & ab ob-
Gen. 38. stetrice Phares signatus coccino fuit, qui vitium suo sanguine notatum, vbiq; & palam
errare notauit, ne quis allegare possit, cùm malè admiserit, se id non agnouisse. nam
funem secum affert coccineum, quo vinciendus est, qui se illi associauerit, sed ipso re
presso, virtutem vitæ ante ambulam exerat, sicut in egressu ipso ex matris vtero, re-
uincto Phares, sensibilis lucis huius radios præuenit. Et vt cautè viuas, vide, quòd vix
Iacob egredi conatus est, quando Esau ei insidiaturus exijt: quoniam vitij ingenium
est, pro virtutis formulis, ad quas sapiens Iacob contendit, malitiæ characteres, si valeat
imprimere. Quapropter virtutis cultor, in excubijs incedat semper oportet, vt ipsum
nescientem, antequam iniuriam accipiat, quando eius insidias sentit, supplantare, &
hæreditate priuare, benedictionem à Domino semper præueniendo curet: vt sapien-
tem Iacob cum Esau fecisse legimus, & deinceps eius societatem, migrando ad exteras
regiones fugisse: & reuertentem, eius consortium, quamuis se amicum & non ingra-
tum comitem obtulit, omninò vitasse. quod alta mente reponendum est: nam è vitio
exitus, virtutis introitum efficit, vt ille eleganter dixit: Virtus est vitium fugere, & sa-
Horat. lib. Epistolarū. pientia prima stultitia caruisse: & discessio econtra à virtute subingressum vitij. ilico
enim ex insidijs ei succedit, mentem occupando. Itaque contentionem Iacob & Esau
ab vtero materno, continuè exercendo, dimicant.

Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerunt immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, vt expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quàm carnes, ac fimum; & quicunque combusserit ea, lauabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur castra, eritque vobis hoc legitimum sempiternum.

Amb. lib. 1. VITA Christiana, quæ continua corporis sacrificatio per pœnitentiam est, initia,
Exameró. progressus, & suas perfectiones habet: initium est exitum à vitio, definitione libera, ani
mum & vitæ intentionem in Dei obsequium dicare & consecrare. Hoc enim est vitæ
Plato in Menone. principium, quod qui habet, plusquam dimidium totius, vt dixit ille, habet. Progressus
exercitio officij virtutis, nanciscitur: Etenim cùm omnes artes liberæ plurimùm præ-
ceptione valeant, & negotio intellectus discantur, hæc solùm exercitatione paratur; in
tantùm, vt dixerit Meno, virtutem minimè disci posse. Sed & Regius Psaltes ad innuis-
se videtur, cùm virtutis possessionem in fuga à malo, & boni prosequutione constituit,
Psal. 33. quãdo dixit: Recede à malo, & fac bonum, inquire pacem & prosequere eam. Ad suam
demum perfectionem, & culmen peruenit, quandò totus homo sic à fæcibus corporis
defæcatus, & à mundi vinculis inter quæ ambulat, exemptus agit, vt diuina penitus ar-
deat, cætera quæq; negligendo, quæ ipsi impedimento esse possent. Quam vitæ altitu-
Matth. 19. dinem indixit Dominus, quando adolescenti suæ vitæ perfectionem in derelictione,
& abnegatione omnium quæ possideret, ea pauperibus distribuendo constituit. Quæ
omnia Christus Iesus vitę redemptor & magister, diuinitus nos docuit, quando discur-
su suæ innocentissimæ vitæ omnes suos cogitatus & vitæ actus Deo Patri consecrauit,
& quando tempore sacrosanctæ suæ prædicationis, pro gloria & honore æterni Patris,
tot ab his, in quos innumera beneficia collocauerat, tam innumera sustinuit probra: &
tot iniurias, sanctissimorum membrorum euulsiones, & dissecationes in accusatione
suorum, coram Pontificibus, & Pilato sustinuit: & denique quando à principibus Iu-
dæorum, & Pilato tanquam ab homine ad id parato, hœdus innocentissimus & hircus
simul, omnium peccatis suffarcinatus Christus Iesus, foras extra ciuitatem eiectus, in
crucem actus fuit. Vbi Christi Domini gloriæ, vides, sui suæque vitæ oblationem æter-
no Patri factam, eiusdem per sustinentiam tot laborum & tormentorum, immolatio-
nem, & demum, vt holocausti victimam, ignibus charitatis, sui & totius simi peccato-
rum in cruce combustionem, indicibilibus tormentis, animam suam sanctissimam pro
eorum satisfactione exhalando? vt tui oblationem proculdubio, immolationem per
corporis & sensuum mortificationem, & holocaustum tandem incendio diuini amo-
ris, omnia vitæ superflua absumendo, discas facere, vt præsenti loco hæc omnia obum-
brata sunt. Qui autem vitulum & hircum combusserunt, corpus & vestimenta lauare
præcipiun-

præcipiuntur: quoniam quantumuis Pilatus lauans manus suas à sanguine iusti, culpam excutere à se curauerit, & item Iudæorum populus, dicendo: Sanguis eius super nos, Matth.27. & super filios nostros: hoc tamen minimè eorum peccatum, & atrocissimum flagitium excusauit, imò pro inaudita malitia, præ tumiditate superbiæ, & insatiabili auaritia, inuidiam suam sequentes, omnino accusauit. quod & Dominus hoc loco indicauit, cùm eos corpus, hoc est affectus, & vestes, id est vitia, quibus vt vestimentis obtegebantur, præuidentiæ aqua lauare iussit, si Ecclesię castra ingredi vellēt, & inde ad consortiū sanctorum in cælestibus migrare. Hoc enim genus gentis, quæ tam rabidè cum ipso Pilato Deo suo crucem parauit, aptissimè etiam per præparatum hominem intelligitur, vt in quouis alio negotio moralis vitæ, præparatus homo contra virturem dicetur, qui perturbator eiusdem existens, bonos & studiosos peruertendo, & inquietando accusationibus atque insectationibus, officiosus sibi videtur.

Mense autem septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, siue indigena, siue aduena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit vestri atq; mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini. Sabbathum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua. Expiabit autem sacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius manus initiatæ sunt, vt sacerdotio fungatur pro patre suo, inducturque stola linea, & vestibus sanctis, & expiabit sanctuarium & tabernaculum testimonij, atq; altare, sacerdotes quoq; & vniuersum populum. eritq; hoc vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israel, & pro cunctis peccatis eorum, semel in anno. fecit igitur, sicut præceperat Dominus Moysi.

OFFICIVM explicatum, quod Aaroni Pontifici hîc demandatum est, gratissimi odoris est Domino: ideò præparationem quá requirat, simul & tempus, quo exequendum est, & dignitatem offerentis, atq; habitum declarat. Præparationem requirit, quoniam in expiatione & emūdatione cleri & totius populi à peccatis, sabbathum requietionis est Domini; quasi dicat, quies requietionis est, quando legalia hæc iuxta voluntatem Domini verè adimplebantur, quiescebat Dominus: quum verò vnigenitus Filius eius, omnium figurarum scopus factus homo, sacerdotio suo cruento, secundùm quod in sacrificio Abrahæ pepigerat, & incruento item, secundùm ordinem Melchisedech, tunc penitus, & omninò requieuit. Genes.22. Quod ipse ęternus Pater testatus est, dicēdo: Psal.109. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Matth.4. quare sabbathum requietionis tunc fuit, quod hîc obumbratur. Quin autem qui officij tanti sacerdotis & Pontificis particeps fieri debet, ad eius vsum, tantamq; gratiam, se præparet oportet: hinc præparationem, in figura celebranda, exigit. Hæc autem fit per cessationem ab omni opere seruili, & animarum afflictionem per ieiunium. nam operum seruilium vacatio, animum expedit, vt ab externis liber, in se conuersus, quæ sibi in æternum duratura cōueniant, contempletur. eaque præscriptis sanctæ matris Ecclesiæ, hisce diebus negotietur. Ieiunium verò, à mole corporis, & coquariæ artis officio, pro eo sustētando, & à perturbatione affectuum, quos res ipsæ sensibiles generant, mentem explicando, & in regione rerum intelligibilium constituendo, mentem eleuat, vt sancta mater Ecclesia canit, dicendo: Qui corporali ieiunio mētem eleuas, virtutem largiris, & præmia. Vnde Plato, Plato in Alcibiad. quia hoc geminum officium animæ agnouit, numerum seipsum mouentem, eam definiuit. Tempus autem huic festo expiationis designat, mēsem septimum, Septembrem scilicet, quia à mense Martio numerabant Hebræi. & decimam diem eiusdem mensis, quoniam septenarius numerus remissionis peccatorum est, & denarius totus numerus, & Christus Dominus gloriæ, perfectam & totam remissionem peccatorum suo sanctissimo sacrificio in cruce allaturus erat. Atqui quoniam semel oblatus, omnium peccatorum fæces sufficientissimè exhausit, secunda oblatione cruenta opus non fuit: vnde hîc in figura semel in anno, qui totū tempus dicit, expiatio postulatur. Dignitatem aūt sacerdotis huius exequutoris officij explicando, eum sacerdotem esse dicit, qui vnctus fuerit, & cuius manus fuerint initiatæ. Quæ conditiones sunt summi sacerdotis, vt explicatum est alibi per Moysem. Sed quorsum hoc iterum repetit, cū supra hoc eodem Exod.29.

capite, Aaron fuerit hoc munus demandatum. sane, vt ad rem figuratam, nempe Christũ, mentis oculos attolleret. Nam & si Aaron perpetuò manere non posset, eius successoribus in pontificatu, officium idem cõmissum planè intelligebatur. Quod hoc confirmat, quod bis perpetuitatem huius officij commendat, dicens: Legitimum sempiternum esse, & religione perpetua obseruari debere: Quod tamen in spiritu, & sensu reconditum, sacerdotium nempe Christi signando, verificari non potest. Omnes enim vmbræ & figuræ adueniẽte corpore, & veritate significata, cessarũt. Præterea sacerdos vnctus, & cuius manus initiatæ sunt, antonomaticè, & per excellẽtiam Christus fuit, vt iustus etiam appellabatur. Oleo enim Spiritus sancti vnctus fuit præ consortibus suis, & manus eius nõ solùm exercitio miraculorum, sed clauis crucei confixæ, in officium perpetui sacerdotij, post gloriosam suam resurrectionem, & sedem ad dexteram Patris, consecratę. Qua ratione eius sacerdotium etiam æternum est: & vt auctoritatiuè quotidie per manus sacerdotum hostiam incruentam, in sacrificio sancto Missæ seipsum offert. Et eundem, quòd ipse fuit, qui sacerdotes, populum, sanctuarium, tabernaculum, & altare ab omni immunditia peccatorum expiare valuit, quoniã solus potuit septem signacula, hoc est, mysteria omnia nostræ redemptionis soluere: quia solus, vt testatus est beatus Ioannes, ea valuit adimplere. Et aduerte, quòd peccata duplicem respectum habent, & ad animam quam maculant, & ad Deum, quem offendunt, & iniutiant: Atq; secundũ, quod animas sordibus inficiunt, Christi Iesu sacrificium, sacerdotes & populum expiare dicitur: Secundùm verò, quod Deum offensum respiciũt, sanctuarium, tabernaculum, & altare expiare dicitur. quia in Dei habitationem hæc deputata erant.

Psal. 44.

Apoc. 5.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

ET loquutus est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere Aaron & filijs eius, & cunctis filijs Israel, dicens ad eos: Iste est sermo, quem mãdauit Dominus, dicens: Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem, aut ouem, siue capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit, quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. Ideo sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occidunt in agro, vt sanctificentur Domino, ante ostium tabernaculi testimonij, & adolebit adipem in odorem suauitatis Domino, & nequaquàm vltra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis, & pòsteris eorum.

MATERIÆ sacrificiorum finem imponendo, & ciborum etiã discretionis, quasdam leges statuit, quibus finem & scopum suprà enarratarum, breui concludit, ne multitudine diuagata mens ab intentione deficeret: & abstinẽtiam item à quibusdam, quæ in vsum gentium venerant, docet. De sacrificijs igitur per Moysem, sacerdotibus, & toti populo legem intimat: victimas occidere siue immolare ad officium sacerdotum pertinere, id laico cuilibet districtè sub grauibus pœnis inhibendo: neque sacerdotibus in quouis loco, sed in ostio tantùm tabernaculi testimonij, & semper adipem animalis adolere debere in odorẽ suauitatis Domino. In primis ergo omne quod laici occiderent, aut sacrificio destinarẽt, ad ostium tabernaculi adferri iubet, vt ibi per sacerdotem litaretur. In vsum enim venerat apud gentes, in quocunque loco, & a quocunque, quando id animo sederet, sacrificium facere dæmonibus: qui vt eas deluderẽt, & ad sui cultum promptiores facerent, in montibus & agris in figura humana hispidi, villosi, ad modum hircorũ illis frequenter apparebant. quos Faunos, & deos syluanos, atque Satyros, quòd libidinosi essent, antiquitas appellauit. Tanta autem erat Iudæorum proclinitas ad horum mores imitandos, quibus, cum in Ægypto essent, consueuerant, quòd non nisi grauissimis pœnis ab his impietatibus deterreri poterant. Quapropter secus facientes perinde plectendos iubet, ac si hominem occidissent. Et rursus, vt nõ de populo Dei, sed de præputiorum & gentiũ populis censerẽtur: quod in postremã ignominiam, & totam miseriam illi ducebãt, atq; ita à dæmoniorũ idololatria reuocat. Concedit tamen eis animalium immolationes per manus sacerdotum, & in loco sancto; quo-

cto; quoniam cùm pueri iocis delectentur, nec possint ab eis abstrahi, solent prudentiores parentes, in illis eos exercere, qui ad aliquam ingenuam artem in maiori ætate parandam, valeant. Perinde igitur Deus noster benedictus & sanctus, cùm videret illos similibus rebus sensibilibus, cultum & sui venerationem amare, earum vsum insiguras futurorum mysteriorum, & propriæ vitæ institutionem instituit: sacerdotum officio, & loco sancto eum deputando. Quæ enim Deo cōsecrantur, & sanctis munera, per sanctos & Deo deputatos ministros offerri oportet, qui pro officio ad diuinam iram munere placandam, eiusq; gratiam promerendam puriores, & mēte sublimiores accedent, quibus rebus maxime Dominus oblectatur. Vt pudefacti hunc, recedant Lutherani, qui sacerdotes tollunt, & eorum ministerium omnibus popularibus, plusquā impia temeritate commune faciunt. Nam si figurarum ministros tales Dominus delegit, quī rerum exhibitarum exhoruit, & honorem & reuerentiam sibi debitam renunciauit? In sacrificijs autem, semper adipem sibi adolere petit: quoniam ab homine mentem, & id, quod in ipso purum & magis æstimabile est, vt voluntatem & memoriam, incendio sui diuini amoris flagrare continuè amat: quæ per adipem suprà significari diximus. Atque cùm in animali oblato, sui oblationem homo quilibet testaretur, quid ab eo offerri poteret Dominus, per adipem animalis declarauit; vt eius oblatio suauissimi odoris, hoc est, maximè grata & accepta esset Domino. Nam tunc cætera, quæ in homine sunt, officio vitæ debitè subseruient. Tandem in loco sancto sacrificia, & immolationes fieri iubet; quoniam in eo Dominus, cui obsequium exhibetur, peculiariter inhabitat: tunc in tabernaculo, & pòst in templo constructo, firam testando præsentiam, in suæ voluntatis declaratione: vnde tabernaculum testimonij appellabatur: Nunc verò per specialem assistētiam Iesu Christi redemptoris nostri in sanctissimo altaris Sacramento; & propter decentiam item, & reuerentiam diuini cultus, quo Missæ nunc celebrantur, laudes Domini cantantur, gratiarum actiones aguntur, atque legitima officia Deo soluuntur: simul & propter excitandam populi deuotionem, quæ in loco puro, & ab omni profanitate expurgato, maximè promouetur, sciens Christianus populus ex Scriptura, in eo suos Dominum peculiariter exauditurum. Abeant igitur 1. Paral. 6. hæretici Deo repugnantes, qui templa sancta è medio tollunt. Nam hic Dominus pręterquā in tabernaculo, omnia sacrificia respuit: & alibi per Moysem etiam, ad locum, Deut. 12. quem pro templo ædificando electurus erat Dominus, omnes oblaturos venire præcipit: & hymnos, & psalmos Dauid in eo decantari per sacerdotes in sui gloriam & honorem voluit. 1. Esdræ 3. 1. Paral 6. Insaniunt profectò impudenter, cum Deo semper bellum gerentes. Quę vos dementia cepit? dementauit vos forsan, quod Paulus Atheniensibus dicit: Deum, Actuū 17. qui creauit mundum & omnia quæ in eo sunt, cùm Dominus sit cæli & terræ, non in manu factis templis habitare, nec humanis manibus coli? sed minimè debuit: nam cū in omnibus eos superstitiosos videret, omnem cultum Dei in rerum sensibilium veneratione constituentes; vt animos eorum attolleret iuxta Philosophorum regulam, & Aristo. 2. Ethic. ad medium virtutis auocaret, ab vno extremo dimouendo, alterum persuadebat; quod & Dominus Iesus fecit, quando superstitiosos Iudæos & Samaritanos, hos in monte, illos in templo ad orationem totam constituentes, coarguit, dicendo: Deus spiritus est, & qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare; non quòd cæremonias & externum cultum tollat, quo internus actus fidei, spei, & charitatis perficitur, & protestatur, atque deuotio augetur. Nam cùm animo & corpore, homo cōstet: vt corpus animum, ita & sensibile exercitium eorum, quæ internè præcipiuntur, mentis negotium, & spiritum iuuat. Equidem vt laudum Dei decātationibus, sanctorum in cælo officium, oculis mentis subijcitur, ita & imaginum sanctarum repræsentatione, mysteria diuina nobis impensa, præsentia fiunt, & qui ex hac peregrinatione deposito corpore sancti sunt translati; qui nostri curam suis intercessionibus agunt: & simul ad sui imitationem vita & moribus prouocant. quid? Christi habitationi apud nos domum negatis? nam in sanctissimo altaris Sacramento non esse, ex animo vos profiteri non crediderim; nam Psal. 110. fidelia sunt omnia mandata Domini confirmata in sæculum sæculi. At in figuram, quòd prouisor assiduus sustentationis spiritus, in sua Ecclesia futurus erat, carne assumpta idem filius Dei vnigenitus, adipe frumenti delapso de cælo, corporaliter nu Exod. 16. triuit populum suum, & aqua de petra fluente melle dulciore satiauit eum: & quare Psal. 80. hoc? quia inuisibiliter eos anteibat, protestādo sensibiliter toto tēpore peregrinationis, Exod. 17.

sub speciebus cibi & potus in sancto Eucharistiæ Sacraméto, suam Ecclesiam similiter 1.Cor.10. præcessurum. Quòd autem eos ductando antecederet, explicuit Paulus, cú dixit: Eandem escam patres nostros manducasse, & eundem potum bibisse, biberant auté de spirituali, ait, subsequente, id est, antecedente eos petra: petra autem erat Chnstus. Qualem Exod.13. se planè ostenderat, quando protectoris vices agendo, colúna ignis illuminabat eos nocte, & columna nubis obumbrat die, protestans sanè, protectorem nostrum in sua Ecclesia adfuturum, sub teguméto visibili in Sacramento, tenebras nostræ ignorantiæ excutientem, & calores, atque æstus nostratum concupiscentiarum temperantem. Pro- 1.Reg.14. misit se etiá sub visibili apparentia cibi melle dulcioris, suos in Ecclesia corroboraturú, quando Ionathæ Philisteos persequétis, degustato paululùm mellis, oculos aperuit, hoc est, confortauit, & animum concipere fecit. Christus enim in Sacramento oculos fidei illuminat, sui cognitionem maiorem impartiédo, spem eleuando, & charitatem accen- Iudicum 7 dendo. Pollicitus item est, se ducem Ecclesiæ cótra inimicos inuisibiles in sancto Sacramento futurum, quâdo in Madianitarum exercitum sub specie tortæ panis delabens, suum populum antecessit: & quoniam ad hanc militiam nó homines, amore huius sæculi rerum victos amat, redire qui vellent ad suas domos permisit: & quoniam negligentes non bene se ad hoc bellum accingunt, omnes rursus, qui aquam non manu ad os proijciendo biberent, despexit. Diligit enim Dominus eos, qui rebus huius mundi sic vtuntur, quòd ad aliam actionem officij accincti videantur: & ita sanè Christianum agere decet, vt comedat, bibat, & dormiat, vt corpori medeatur, & vires recuperando, ad sui officij actiones valeat; & similiter vt aliud agendo, quod ex officio incúbat, quacúque alia re vtatur. Sed & insuper cùm Christianus quilibet sub sui corporis amphora lumen fidei absconditum portet: quod quoniam ad crementum & decremétum corporis, in indulgentia & propria voluntate magis & minùs resplendet, (& si nunquá extinguatur, nisi fide per hæresim amissa,) amphoras, lampades absconsas cótinentes, vnà frangi iussit, vt ingenti strepitu sonante, & inopinato lumine tanto inter tenebras perterriti, cæli iram præsentiendo fugerent, vt res se habuit. Ad accensionem etenim & splendorem luminis fidei, quod in fractione, & corporis contradictione primum consistit, contremiscunt dæmones, & quòquouersus possint fugientes disparent. Quòd si in vmbram & figuram comitatus Ecclesiæ, sub visibili Sacramento: & omnia gessit, & fidelis sit, qui seipsum negare non possit, prouidete illi cum sancta matre & catholica Psal.144. Ecclesia domos, id est, templa, quæ in sanctissimo Sacramento inhabitet, & vestram furiam deponentes ad cor reuertimini; nam miseircors est, & misetator Dominus; patiens; & multum misericors.

Et ad ipsos dices: Homo de filijs Israel, & de aduenis, qui peregrinatur apud vos, qui obtulerit holocaustum, siue victimam, & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo.

MAGNOPERE exempla permouent, bona, ad virtutis ædificationem; mala verò, ad destructionem. Pueri etenim, si quod alios facere viderint, nó fecerint, sortem suam nullo non clamore deflent. Perinde igitur vt puerilis ætas, & grandis facta se habet, quando prudentia, & sapientia Christiana non præuenitur: nullus quippe homo est, qui ex aliorum factis, vti magisterio proposito, discere non gestiat, similiterq; ac socius operari, præsertim in his quæ corpori consentanea sunt. Quapropter cùm victimas & sacrificia laicis è populo suo, per se offerre prohibuisset, idem, & aduenis, & peregrinis simul cum ipsis commorantibus, inhibet; ne vicinorum facta sequendo, in gentium idololatrias & ipsi relabantur. Mulcta autem, qua eos deterret, est; quòd secus facientes, interibunt de populo suo, quoniam incircuncisi censebuntur, & inter suos populares minimè connumerabuntur, vt gratijs & priuilegijs sui populi gaudeant. Docet autem hîc nos Dominus, quàm viscosa sit prauorum consuetudo, vt omni cura eam vitemus: non solùm sociorum externam, sed & internam cum sensibus, eorumque fautricibus cupiditatibus, vt cum ipsis amicitiá ineamus, aut vt coæqualibus eisdem iocemur, aut conuiuamus. Equidem in huius rei exemplum sancta illa mulier Sara Isaac filium suum cum Ismaele filio ancillæ ludere non permisit; ne, videlicet, ad æqualitatis consortium admissus, eum peruerteret, ac degenerare faceret. Sic enim ait sacer textus: Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo,

filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. [Gen. 21.] Timebat sanè ex æqualitate conuersationis, æqualitatem hæreditatis morum futuram. Verùm circa dicta attendat Iudæus mulctas has: esse sanguinis humani reum, & de suo populo non censeri, qui propria manu sacrificium offerre ausus fuerit, & extra tabernaculum, aut templum fieri, ad eos extendi, qui destructis tabernaculo & templo, illa sacrificia quouis modo obtulerint. Nam quæ definito loco, in quo fierent, circumscribebantur, destructo loco vt tabernaculo & templo illo famigeratissimo apud Iudæos, cessatura erãt: aliàs enim pugnãtia Dñs illis præciperet, & eos perplexos redderet, vt quocũque se verterent, sacrificarent, aut non, destructo templo, semper peccarent. Quare conuicti hinc fateantur oportet, huiusmodi sacrificia & legalia omnia cessasse, cum cessatione & destructione templi, passiõne Christi redemptoris nostri iam exhibita, quam à longè respiciebant: & item ea omnia, non vt per se & suapte natura bona præcepta fuisse, sed vt vtilia, & ministerij alterius rei causa, nempe oblationis Christi Iesu in cruce, quare non ampliùs duratura: atque ita in re significata legitima sempiterna extiterunt.

Homo quilibet de domo Israel, & de aduenis qui peregrinatur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Idcirco dixi filijs Israel: Omnis anima ex vobis nõ comedet sanguinem, nec ex aduenis, qui peregrinantur apud vos.

HAC secunda lege ab idololatria & gentium cõmunicatione in hoc reuocat, quòd morem gẽtium sequi prohibet: apud quas in vsum venerat, sanguinem iam cõcretum cõmedere, ex eoq; in vsum vitæ varia condimenta facere. Verùm intellectum sequendo non solùm hîc hominis occisionem, sed & vehementem quãq; iram qua proximum iniuria afficere, & per dolos fraudes insidijs appetere, pro ingenio malorum, qui semper captant in animam iusti, donec sanguinem innocentem condemnet, vniuersaliter prohibet. [Psal. 93.] Quod explicatiùs Dominus tradidit, dicẽdo: Audistis, quia dictum est antiquis, [Matth. 5.] Nõ occides: Ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Hoc enim totum secundùm phrasim Hebræam, sanguinẽ comedere dicitur, effectum atrociorem inter omnes, pro causa accipiendo. Cuius legis obseruationem tanti æstimat Dominus, quòd contra animas secùs facientium, faciẽ suam obfirmaturum dicit, easq; de populo suo excisurum. In quo non solùm mortem corporalem minatur, verùm & spiritalem in inferno. quod obfirmatio in eos faciei Domini, quę ad modum nostrum vehementem iram vltricem, & animum ex proposito vindicantem, dicit, planè significat: & item è populo suo excidere: quod est, inter eos, qui morigeri Domino, salutem animarum postremam consequuturi erant, non censere: aliàs post obfirmationem suæ faciei contra animam secùs facientis, quorsum replicaretur idem, dicendo: Et disperdam eam de populo suo? Gemina ergo comminatio, geminam mortem significat. & rationem reddit suæ legislationis, quia anima carnis, id est, cuiusuis animalis in sanguine est. Est quidem animalis vita, communis hominibus & brutis: atque hinc per effusionem sanguinis animalium, humani sanguinis effusionem intelligit. Vt suæ vilitatis hominem memoret, qui dempta anima rationali (cuius essentia spiritalis est, imò est spiritus quidam, characterem, effigiem, & imaginem Dei sui archetypi referẽs: quod Scriptura prodit dicendo: Et inspirauit in faciem eius spiraculum, siue spiritum vitæ, [Gen. 2.] eumq; factum in animam viuentem, siue animam vitæ) nihil restat homini, quod non sit commune cum brutis. Quod vt homines semper pre oculis habeant, eorum vitas in sanguine consistere, & absque eo minimè, vt cæterorũ animaliũ dicit. Cuius ratio est, quòd spiritus vitales, in quibus facultas animalis consistit, qui natiuo calore resoluũtur, in sanguine nutriũtur: vnde tã necessarius vitæ animaliũ est, vt nutriẽdo igni & lumini elychnij oleum. Hanc autem diuersam acceptionem animæ pro vita, & essentia animæ rationalis, notauit apertè B. Paulus, quando paratus mori tacti pro Euangelij honore, [Actuũ 20.] Hierosolymam, vbi tribulationes & vincula eum manere audierat, intrepidè profectus est, di-

est, dicens: Sed nihil horum vereor, neque facio animam meam, id est, vitam meam, pretiosiorem quàm me, dummodo cõsumem cursum meum, &c. & ipsi etiam Hebræi [Philon in libro quod deterius potiori insidietur.] quando intransitiuè hunc locum legunt: scilicet, anima omnis carnis, sanguis est, ob sanguinis necessitatem ad vitam, vt auctor est Philon. Atque hinc cùm quæuis iræ dominantes, iniuriæ, scilicet, doli, fraudes, & cætera machinamenta in proximum, contra quietudinem eius vitæ ordinentur, quæ in sanguine tanquam in sede residet, iure per comestionem sanguinis, hæc omnia intelliguntur. Quod & in phrasim hispanam, credo, ex Hebræis euasit: nam qui vehementer in aliquem commotus est, dicere solent, Eius carnibus vescerer, & eius sanguinem biberem. Quapropter excandescentiam in proximum tam grauiter Dominus odit, vt vel hac ratione quanta charitate nos mutuo deuincire debeamus, apertiùs indicaret. Sed & aliam rationem subdit, quòd sanguinem, scilicet, pro expiandis animabus super altare dederit, & sanguis, ait, pro animę piaculo sit; quæ altiùs ad spiritum rem videtur attollere: quòd videlicet animalium sanguis in sacrificijs, ad significandum pretiosissimum Christi sanguinem in pretium salutis humanæ effundẽdum, consecratus esset. & ad insinuandum item, quòd ille diuinus sanguis solùm in cibum hominum præparandus erat, in sacrosancto altaris Sacramento, non solùm sub specie vini, sed etiam panis. Vnde loquutio illa doctorum dicentium: laicos bibere sanguinem, etiam cùm manducãt corpus, noua videri non de- [Ioan. 6.] bet, super illud: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Imò ad eam rem emolliendam, comedere sanguinem hic vetat, quia ille solùm comedendus erat: simul etiam eorum animos, per insidias hic ab effusione sanguinis humani temperando, immanissimi flagitij, quod in Dominum Iesum Christum, eum occidendo, commissuri erant, in transitu, vt à tãto facinore caueant, & sibi consulant, aduertit. Nam cùm animalium super altare occisio, & sanguinis effusio, apertè occisionem Christi, eiusq; sanctissimi sanguinis effusionem, pretiùm salutis humanæ, significarent; satis planè hic à sanguine temperando, tantæ malignitatis cautos reddit. Agit ad hoc præterea, quòd apud Talmudistas, auctore Galatino, hic locus, & sanguis pro animæ piaculo sit, sic legitur: Sanguis pro anima satisfaciet, vel animæ parcere faciet. Vbi ipsi dicunt: non esse veniam, neque peccatorum remissionem, neque animarum saluationem, nisi per sanguinem: at saluationem per Messiam futuram sperabant: necessariò ergo per sanguinem Messię effundendum, salutem sperare debuerant: vt cùm effusioni sanguinis vsque adeò strictè hic obuiatur, sibi prouiderent. Vnde vt quanti eos referret huius legis memoria & obseruãtio, explicans, sæpe eam antea inculcasse dicit, vt supra cap. 7. & Geneseos 9. quo planè, quod diximus, aduertere, testatus est: nam hominem occidere cùm lege naturali cautum sit, quid opus fuit toties id repetere, nisi vt huiusmodi malignitatis eos admoneret, quam prætextu religionis, & vt obsequium Deo præstantes, obducta sua malitia, patraturi erant.

Homo quicunque de filijs Israel, & de aduenis, qui peregrinantur, si venatione, atque aucupio ceperit feram vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat eum terra. anima enim omnis carnis in sanguine est. Vnde dixi filijs Israel, Sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicunque comederit illum, interibit.

LEX hæc appendiculum superioris est: & ab effusione sanguinis prophetarum, & cuiusuis iusti, quem per eos effundendum præuidebat Dominus, temperat. Damulæ enim, & cerui, qui venationi potissimùm in nemoribus subsunt, & quæ nomine feræ hic [Lib. 4 cap. 23.] Hebræi intelligunt (vt auctor est Galatinus) eos homines referunt, qui in altitudine vitæ agunt, & circumspecti semper contra inimicorum insidias viuunt: perinde ac cerui, qui loca alta & montes petunt, vt tanquam in specula contra insidiantes positi, securiùs [Psal. 103.] agant. Hac siquidem ratione Regius Psaltes montes ceruis in refugium designauit. & alibi Dominum magnificat, quòd eius pedes, vt ceruorũ, perfecisset, super excelsa con- [Psal. 17.] stituendo. Aues verò quæ aucupio capi solent, altiorem adhuc hominum vitæ gradum significant, qui alis spiritus aërem remigando, à terrenis se omninò rebus submouent. Præueniendo igitur sui populi incolas, indigeni, siue peregrini essent, ne similes mortes patrarent, si venatione feram, aut aucupio auem aliquam caperent, eorũ sanguinem

puluere

pulnere operire iubet, sub pœna eiectionis à populo suo. Et rationem subijcit, quia anima vniuersæ carnis in sanguine est. Ob quod dicit, se præcepisse superiori lege, sanguinem non comedere. at, nunquid de sanguine ferarum & auium cura erat Domino, ne à canibus lamberetur manens super terram, aut ne à prætereuntibus conculcaretur? minimè. propter eos ergo hæc scripta sunt, vt innoxios se à iustorum sanguine seruarent. Sed qui id per opertionem sanguinis subtus terram, edocetur? apposite sanè: nam sub terrena mole humani corporis & cuiusque animalis, sanguis tanquam sedes & vehiculum animæ, siue vitæ absconditus, & coopertus est, interim quòd animal viuit. Atque ita operire sanguinem, captum & in custodia positum huiusmodi hominem iustum, insidijs, & machinationibus non interficere erit. Et præterea animum crudelem, & propriæ voluntatis vindicem, quo huiusmodi facinora in sanctos videbat eos patraturos, indicat: sanguis etenim patens omnibus & in loco edito manens, indignationem magnam ostentat, & vltionem necessariò factam superinducit. Sic equidem Dominus per suum Prophetam mortem Zachariæ, vt asserunt Hebræi, suo populo contra hoc præceptum obijciens, ait: Sanguis enim eius Ezech. 24. in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit eum super terram, vt possit operiri puluere, vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer. Dicunt enim Talmudistæ Zachariam, quòd obiurgasset maiores populi, transgressionem præceptorum Domini obijciendo, & quòd relinquendi erant ab ipso, vt eum reliquerant: quòd conglobati omnes in eum, lapidibus obrue- 2. Par. 24. runt & interfecerunt: & non in atrio Israel, neque in atrio mulierum, sed in atrio sacerdotum, dum sic grauiter in templo eos obiurgaret. Vnde Dominus Zachariæ Matth. 23. sanguinis, vt aliorum iustorum, reos Iudæos declarans, dixit: Quem occidistis inter templum & altare. Prohibet ergo Dominus hoc loco non solùm apertam crudelitatem, sed omnem, quæ insidijs, fraudibus & calliditatibus in proximum pro ingenio hominum machinari potest: vsq; adeò chara & pretiosa in oculis eius est fratrum & proximorum dilectio. Rursus post ea quæ dicta sunt, Dominus misericordia motus, videns sanguinem Christi Iesu a suis effundendum, ad pœnitentiam illius peccati, & in suos Prophetas commissorum, eorum sanguinem fundendo, hortatur. Etenim peccati pœnitere, sanguinem puluere operire est: & eius clamorem impedire, ne cælum ascendat, vt Sodomorum ascendit, & iusti Abel, quia puluere pœnitentiæ oper- Gene. 19. Genes. 4. tus non fuit. Iob autem, quoniam eorum, quæ sibi obijciebantur, reus non erat, in te- Iob. 16. stimonium suæ innocentiæ terram precabatur, ne operiret sanguinem suum, & ne clamor eius locum latendi in ea inueniret. Vnde & terra sanguinem operire, peccatum proximi celare, ne diffametur, etiam est; & non operire, illud manifestare, diffamando erit. Atque hinc in phrasim hispanam venit, peccato fratris terram inijcere. Scopos huius legis attigi: tu Christiane lector, pro suggesto ad populum, pro occasionibus oblatis, extende, amplifica, & locupletate.

Anima quæ comederit morticinum, vel captum à bestia tam de indigenis, quàm de aduenis, lauabit vestimenta sua & seipsum aqua, & contaminatus erit vsque ad vesperum, & hoc ordine mundus fiet: Quòd si non lauerit vestimenta sua vel corpus, portabit iniquitatem suam.

GENTES à fornicatione non abhorrentes, omnem luxum & libidinem sibi persuadebant, à qua suum populum retrahere nitebatur Dominus, vt menti & non corpori, vita deseruiret. Item ab esu morticinij animalis, quod morbo, suffocatione, sponte sua aut quouis alio modo moreretur, non abstinebant; sicut nec à manducatione eius, quod à fera aliqua captum, iugulatú, aut dilaniatum esset. à quibus suum populum temperat, ne minimorú communicatione, qualia secundo loco enattata videntur, maiora sensim deglutirent, & in idololatriá Deum obliuiscentes laberentur. Quapropter in concilio primo Apostolorum cautum est, vt tam Iudæi, quàm Gen- Actuū 15 tes ad fidem conuersæ, à fornicatione, sanguine, & suffocato abstinerent, tanquam ab his, quæ fidei & vero Dei cultui vel maximè aduersarentur. Et rursus moribus consulendo Dominus, à conuictu & conuersatione peccatoris, suos temperare iubet; ne eorum commercio infecti cadant, & subuertantur: per morticinum eos intelli-

gens, qui deprauatè viuunt: per captum verò à bestia, eos qui à diabolo omninò op-
pressi Deum & fidem eius negant: vt sunt hæretici, quorum caput Iudas proditor
Math. 17. Christi Iesu extitit, qui miserrimè pœnas luit, suspendio vitam finiens, in testimo-
nium suspendij æterni, quo suspensus nunquam interijt. Ita quod comedere morti-
cinium, aut captum à bestia, sit cum aliquo horum conuersari. Prætereà docemur,
fratres ex ignorantia, fragilitate, & imbecillitate peccantes: qui per morticinia ani-
Rom. 15. malia intelliguntur, supportare, eos pro cuiusque modulo iuuando, docendo, exhor-
tando, & beneficijs pro facultate afficiendo, vt ad sanam mentem reuocentur: quos
contemnere, abijcere, & iniuriare, eos vorare & comedere morticinum erit. Et item
eos qui in grauioribus peccatis sunt, & ex malitia peccant, quos per captos à bestia
signat sacer textus, subleuare. Nam qui his exprobrat sua malefacta, eos sanè vorat, &
comedit, neque in se oculos suos conijcit, ne & ipse tentetur contra admonitionem
Galat. 6. Pauli. Sed contrà, vt idem atque optimus scripturæ interpres docet: oportet nos fir-
Rom. 15. miores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Verùm vnusquis-
que, ait, proximo suo placeat in bonũ, & ædificationẽ: Christus enim nõ sibi placuit,
sed sicut scriptum est: Improperia exprobrantium tibi ceciderunt super me. Secus
autem quàm dispositum est facienti, lauare corpus & vestimenta sua iubet, quo fa-
cto vsque ad vesperum adhuc contaminatus manebit. Aqua etenim pœnitentiæ, in-
teriorem hominem, qui perinde ac corpus vestimento tegitur, lauare oportet: & i-
tem exteriorem, qui vestimenti locum habet. Nec sic liber à contagio peccati liber
omninò erit, nisi satisfaciendo pro pœnis temporalibus peccatorum, opera pœnalia
vsque ad vesperum exercuerit: id est, donec plenè vnitus Christi passioni, ex qua va-
lorem accipiunt, pœnam omnem hic soluerit: aliàs Purgatorij flammas satispatien-
do non effugiet. Vesperum enim, tempus mortis Christi significat, in gratissimum
sacrificium æterno Patri oblati, vt sæpe iam dictum est.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

LOquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Ego sum Dominus Deus vester. iuxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, nõ agetis, nec in legitimis eorũ ambulabitis. Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Ego Dominus Deus vester.

DISPOSITIS, quę ad Dei placationem per sacrificia pertinent, & ijs item, quæ ad animæ morbos cognoscendos, & curandos spectant, dispositionem earum legum Dominus iam aggreditur, quæ vitæ compositionem & mores concernunt. & quoniã in legislatore primùm auctoritas requiritur, ipso initio se Dominũ, ac Deum eorum esse memorare iubet: quod ex eductione ab Ægypto omni alia potentia deuicta, manifestissimum erat. In primis itaque, & tanquam caput omnium, quæ instituerat, Mosi præcipit Dominus filijs Israel intimare, mores Ægypti vnde egressi sunt, & Chananæorum, quò proficiscuntur, minimè sequantur: nec quippiam faciant, nec agant iuxta eorum ritus, nec in legitimis eorum ambulent, siue viuant. In quo, quia vitę scopus positus est, hominis Christiani & verè pœnitentis tota cura esse debet: Etenim qui ab angustijs, tribulationibus, & ab amaritudinibus peccati liberatus est (hoc enim sonat Ægyptus) negotiatoris & mercatoris diaboli, (hoc quippe Chanaan significat) commercia tractus, & consuetudinem, tanquam colubri, & immanis serpentis intuitum, à quo semel inuasus, imò captus fuit, & diuina misericordia tantùm liberatus, fugere debet: ita, vt non solùm opus externum sequendo, eorum mores deuitent, verùm nec internos actus habeant, nec cogitent, si fieri potsit: & intantùm eorum leges detestentur, vt eorum vita ab ipsis penitus abhorrescat: tanti facit Dominus salutem suorum, & timet casum. Sed quid agent, nunquid otiosi manebunt? minimè quidem. faciant, inquit, iudicia mea, & præcepta mea seruent, &

uent, & ambulent, aut vitam suam in eis exerceant. Vbi duos terminos vitæ vides, alterum fugæ, alterum introitus; alterum fugiendum, alterum vt salutis portum amplectendum & enitendum. Quod breuiùs regius Psaltes explicuit, dicens: Recede *Psal. 33.* a malo, & fac bonum; inquire pacem, & prosequere eam. In quam rem Ecclesiastica doctrina, omnium sanctorum doctorum traditione & institutione, pœnitentibus detestationem omnimodam peccatorum, & propositum firmum per exercitium virtutis operum, ea in futurum cauendi proponit. Quòd si in loco aspero, prærupto, & saxoso posita sit virtus, hoc eius decus, maiestatem, & amplitudinem, & rem dignam, quæ magnis laboribus adipiscenda sit, docet. Nam talis est natura boni, vt in difficili versetur, & paucis se communicet: solùm quippe laborantibus. *Arist. lib. 1. Ethicorũ. Cicero lib. offic.* Vnde pulchrè quidam dixit: Omnia præclara rara: atque hoc, quia vitium eius oppositum in planicie sensuum constitutum est, vnde omnibus peruium. Quòd si adhuc labores deterret, oculis mentis eius pulchritudinem, sincerius intuere, & profectò eius amores deperibis. Nam virgo est, & filia regis, & magnis dotibus condecorata, quam manibus *Psal. 44.* lotis, quod aiunt, nemo sanæ mentis in matrimonium copulare sibi contenderet. Præterea desidera præsentiam iam eius, amplissima præmia, animæ diuitias imminentes, quæ animum pacant, quietant, & tranquillum reddunt, & æterna simul, quæ pollicetur: & magnos animos Deo opitulante proculdubio concipietis, dicente Apostolo: Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis. *Iacob. 1.* Et demum perpende nullum pelagus vsqueadeo salebrosum esse, quod à nauigantibus nō persuadetur, si animose & diligenter procuratur: vt quando portum oculis intuentur, in eoque magna reposita donaria. Et axiomate proposito statim subdit: Ego Dominus Deus vester: nec semel hoc dicere contentus, præmio proposito, vita scilicet, suarum legum atque iudiciorum cultoribus iterum repetit: Ego Dominus Deus vester. Etenim serpens, quos decipiendo primis parentibus assumpsit, (cùm in scientia boni, & probatione à Deo conditi essent, tanquam via regia, qua ad cælum iter agerent) pro suo deprauato & tortuoso ingenio, vt à via deflecteret, scientiam, & degustationem mali item proposuit, quo eos inescatos in omnem miseriam detrudit. Atque hinc Dominus casum nostrum condolens, populum suum absynthium Ægypti iam expertum, & indeliberatum, ne in mali negotiatorem, & malignitatis mercatorem diabolum iterum incidant, semel, & iterum, & millies inculcat: vt tanquam ex voluntate eius appensum, ne in manus experti tyranni, & in profundum miseriæ degustatæ relabatur, suas leges atq; iudicia omni cura seruet, & in boni scientia & probatione suam primam conditionem redolens, vt fieri possit, eam desiderando, conetur. Atqui, ne quisquam Deo quippiam accedere suspicetur ex hoc, quòd eius voluntatem, & iudicia sequatur, præueniendo Dominus ait: Rem suam hominem agere, nam viuet, quod summopere in votis habet, & aliàs morietur, morte nempe secunda animæ, quæ nunquam finietur. Verùm cùm in capitis initio auctoritatem suam ad leges condendas proposuerat, quorsum hîc expositum legis caput memorando, se Deum ac Dominum esse bis repetit? proculdubio, vt indicaret, qui nunc per Mosem ipsis loquitur, vnigenitus nempè Dei filius è sinu Patris, aliquando factus homo per se, absque interloquutore & interprete, populo suo loquuturus erat, vt & fecit: Nam in propria carne veniens, cæli mysteria propalauit, æterniq́ue Patris vo- *Iohan. 1.* luntatē manifestauit, vetus Testamentū explicuit, ex eo nouum eruendo, pro quo & adimplendo mortem obijt, & sui eum non receperunt. Atque quoniam leges suas, & iudicia seruaturis, factus homo, salutem, & æternam vitam operaturus erat: secundo loco, præmio proposito, quòd viuerent, qui in legibus eius ambularent, & à morte eruerentur, repetit: Ego Domius Deus vester, qui scilicet eam operaturus sum. Vbi sapientiam Domini admiremur, indicibilemq́ue erga hominem charitatem, qui vt quem hominem visuri erant, eundem esse Deum quem inuisibilem audierant, tanto antè tempore legis, rudimenta & suæ prædicationis figuras, quas explicaturus erat, proposuit. Quod explicatiùs per suum Prophetam dixit: Ecce dies venient, di- *Hiere. 31.* cit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda pactum nouum; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Et infrà: Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum,

Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Aliqui secundò repetere: Ego Dominus Deus vester. dicunt, quoniam leges & iudicia, à præceptis distinguunt, ea ad Euangelium referentes, quæ Deus factus homo prędicaturus erat: quam distinctionem non probo; quoniam quæ leges iudicia, & præcepta paulò antè appellauerat, leges & iudicia, absque vlla mentione præceptorum in vniuersum ilico nominat.

Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui, non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis. Turpitudinem filiæ filij tui, vel nepotis ex filia non reuelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem vxoris filiæ, vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discoperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis: eo quòd caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis; quia vxor filij tui est: nec discooperies ignominiam eius. Et vxorem fratris sui nullus accipiet. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius, non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filiæ illius, non sumes, vt reueles ignominiam eius: quia caro illius sunt: & talis coitus incestus est. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.

SPECIALITER iam leges morum aggrediendo, ab his incipit, quæ temperantiam concernunt: quia hæc virtus tantam cum prudentia cognationem habet, vt indiuidua eius comes existat, tribulos, & nocentiores herbas affectuum, à vijs & semitis eius, eam anteeundo tollens, imò & ipsa puella, nondum virilem ætatem nacta, eiusdem generationi apprimè subseruit. Vnde & idem aliquando cum ipsa nomen apud Græcos Philosophos sortitur. Quapropter intendens Dominus, suum populum legibus, & institutis σωφροσύνη scilicet, & prudentia, promouere, à temperantiæ virtute sermonem exorditur. Tactus enim inter omnes sensus vehementissimus est, & maximè tenax eorum; quos semel sibi deuincinit, quia mentem perturbat, & cor
Oseæ 4. aufert: sic quippe ait Dominus per Prophetam: Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. Præterea huiusmodi fræno populus ille carnalium voluptatum seruus ma-
Num. 25. ximè indigebat: Amore siquidem Moabitarum mulierũ captus, Beelphegor initiatus est, & Deos alienos adorauit: & quod fornicata cum amatoribus multis sua ci-
Hier. 3. uitas noluisset erubescere, frontem meretricis illi factam esse alibi obijcit: & tandem ob fornicationes & adulteria se inuicem contingẽtia, clibanum succensum à coquen-
Oseæ 7. te, suum populum rursus appellat. In primis igitur leges laturus, quibus inter consanguineos & affines matrimonia prohibebat, in genere sancit, nullum hominem ad proximam sanguinis sui posse accedere; id est, matrimonio eam sibi copulare: nam prohibitio soluti accessus, in decalogo posita erat. In cuius legis venerationem & obseruationem subdit: Ego Dominus. Multis rationibus Deus omnipotens sanctus, & benedictus, omnium nostrum Dominus est, & iure creationis, & redemptionis item: priorem rationem exprimens, legislationis auctoritatem proponẽdo, in initio capitis se Deum ac Dominũ appellauit: posteriorẽ paulò inferiùs, quando eundem Deum, qui præsentes leges tulit, hominem factum loquuturum hominibus, & eas explicaturum, quando bis se Deum ac Dominum protulit: atque nunc quartò sub eadem ratione, suam legislationem prosequens, se Dominum tantùm, quia vt cognatus & consanguineus noster, nos ad amorem & beneuolentiam prouocans, nominat. Vnde aptissimè naturam humanam, quasi iam suam magnificando, quam omni macu-

la peccati

la peccati carere desiderat, matrimonium cum consanguinea prohibet: à quo etiam natura ipsa in certis gradibus abhorrere videtur. Et item, vt matrimonium suum cum Ecclesia, per assumptionem naturæ humanæ, quæ nulla ratione cum diuina cōiuncta est, sed omninò diuersa, ab ea distans, sicut finitum ab infinito. Hoc diuinum cōnubium primum pollicitus est Dominus ad Adamum, quando expergefactus, & videns Euam e costa sua eductam, dixit: Hoc vnum os ex ossibus meis, & caro de carne mea. [Gen. 2.] Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Quod matrimonium tr[illegible] posteris, de[illegible] ab Abel vsq; ad Noe, per Sem, vsque ad Mosem per Abraham deductum est, alio & alio signo id explicando. Nam statim post diluuium arcu in cælo apparente, sponsum cælestem futurum, & cæli primogenituram, id est felicitatem, arrabonem esse, quo suam sponsam locupletaturus erat, ostendit. Color siquidem albus candorem & innocentiam eius sacratissimæ animæ: viridis verò eius diuinitatem cum humana natura copulatam: & color igneus, laborem & sanguinem, quo suam sponsam ad se assumpturus erat, planè indicabant, vt alias explicatiùs deduximus. Deinde tempore Abrahæ, clariùs, expensas, & sumptus, quos pro locupletatione & redemptione suæ sponsæ facturus erat, se ipsum vsq; ad effusionem totius sanguinis, per signum circuncisionis docuit. Tempore autem legis varijs figuris & picturis idem Sacramentum planiùs, per consimiles gradus procedendo, illustrauit. & inter alia loca, hic est præcipuus, in quo post renouationem pollicitationis suæ incarnationis iam factę, de matrimonijs neutiquam cōtrahendis cum consanguinea tractat, vt suum sanè memoraret. Vnde per Prophetas, peccatum idololatriæ fornicatio appellatur, & adulteriū item, quoniam Synagoga, quæ vt puella tenera, diuini sponsi connubio dicata & consecrata erat, ipsum post ponendo, ad Deos alienos, & dæmones adorandos, migrabat. Hinc enim in via mulieris adulteræ, quando sic declinabat, ambulare dixit. [Prou. 30.] Et item per Prophetam, Semen adulteræ, & fornicariæ eam appellat. [Esa. 57.] Et rursus: Iudicabo te iudicio adulteræ. [Ezech. 16.] Vnde & proprio ore Dominus eam grauiter reprehendit, dicendo: Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. [Matth. 12.] De fornicatione autem, omissis innumeris locis, audi per Hieremiam zelotypia ardentem Dominum: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego recipiam te. [Hiere. 4.] Inita autem sponsalia per incarnationem, per mortem crucis perficienda esse, audi Sapientem dicentem de Christo, crucem ad caluarium baiulante: Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem coronatum diademate, [Cant 3.] quo coronauit eum mater sua in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis eius. Et Esaiam item: Principatus eius super humerum eius. Quæ omnia, de matrimonio hoc diuino dicta tanto antè tempore esse, explicuit Paulus, cùm verba Adami repetendo dixit: Sacramentum autem hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. [Ephes. 5.] Nuptiæ verò huius sacrosancti matrimonij celebrandæ sunt in cælo, quando vxor sponsi omninò præparata erit, vt inquit beatus Ioannes. [Apoc. 19.] Deinde quoniam fide hoc matrimonium percipiendum erat, & cognoscendus erat Deus & homo: distinctiora signa oportuit populo exhibere, quàm dicere nostrum os, & carnem futurum, vt in fide magis solidaretur, charitate ardentiùs flagraret, & fortiùs spe erigeretur: Vnde & peculiarem tribum, ex qua temporaliter descensurus erat, nempe Iudæ, assignaret, ne per mixtionem sanguinis in matrimonijs vagaretur cognatio, vnde [Ephes. 5.] Dominus descenderet, decem gradus consanguinitatis narrat, sub quibus matrimonia contrahi prohibet. Atque hæc secundùm sensum interiorem & spiritalem. Secundùm verò exteriorem, quem & ipsi exercere debuissent, qui memoratum obumbrabat: temperantiam commendando, integritati sortium & hæreditatum, quas Iosue signaturus erat, consuluit, vt seiunctæ & separatæ semper permanerent. Quod & pacifico conuictui eorum maximè conueniebat, ne aliæ alias tribus ratione connubiorum expilarent, & sic depauperarent, & vt æqualitatem quandam inter se seruando, a superbia & ambitione temperati viuerent. Ob quod etiam & quosdam gradus affinitatis recenset. Sed quid decem gradus, & non plures nec pauciores memorat? quoniam ad vitam temperatam eos adducere conabatur, quam tunc quis assequetur, quando in decem decalogi præceptis strennè se exercuerit. ad quod leges hæ omnes tanquam ad scopum tendunt. Vnde quoniam charitas in omnibus diffusa est,

1. Tim. 1. fusa est, beatus Paulus hoc interpretatus, dilectionem & charitatem, finem præcepti posuit.

Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes, nec reuelabis fœditatem eius. Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. De semine tuo non dabis, vt consecretur idolo Moloch, nec polluеs nomen Dei tui. Ego Dominus. Cum masculo non commisceearis coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei, quia scelus est.

COHIBITIS matrimonijs cum consanguineis, & affinibus, omnem libidinem, tam intra matrimonij leges, quam extra prohibet; & in primis accedere ad propriam vxorem tempore menstrui non permittit: quoniam contra bonum prolis est. Solent enim ex huiusmodi concubitu filij monstruosi & infecti generari, vt ex infecta radice infectum germen. Quapropter diuus Augustinus, districte hoc prohiberi dicit, quòd contra ius naturæ sit, & non absque graui peccato. Vnde ne quis suspicaretur figuratam loquutionem esse, cum hanc prohibitionem supra posuisset, eandem hic Ezech. 18. repetit, & iterum per Prophetam Ezechielem. Vsque adeò in commixtione etiam maris & feminæ legitima, libidinem tantùm & voluptatem finem constitui Domi- Tobiæ 3. nus exhorrescit. In cuius testimonium septem viros vxoris Tobiæ, hac intentione ad eam accedētes, & non in nomine Domini per diabolum nomine Asmodæum iussit Genes. 1. occidi. Tunc enim homo fine bestiarum ducitur, quod Dominus vehementer execratur, quia imaginem suam, ad quam creatus est, nihili pendit, cum eam actionibus non ostentet. Deinde accedere ad alienam interdicit: quod cùm in decalogo expresse prohibitum sit, ea ratione hîc intelligo factum, vt sub cortice literæ & exteriori sensu spiritalem insinuaret, nempe non commisceri gentium congregationi, & societati, nec illis conuersatione assuescere. Ex qua consuetudine non aliud accrescere, quàm suorum Deorum cultum amplecti: quod matrimonij spiritalis cum Deo fidem frangere esset, & polluere nomen sanctum eius. Vnde eidem prohibitioni adiunxit: non dare semen suum immolandum idolo Moloch, non solùm per semen filios intelligendo, quod gentes illæ faciebant, sed nec doctrinam suam, errores eorum & superstitiones amplectendo. atque ne talia perpetrantes impunitos abire arbitrarentur; Ego Dominus, subdit. Et item vt amorem suum ingentem memoraret, quo deuictus in eorum libertatem & redemptionem, eos sibi in matrimonium desponderat. Deinde peccata contra naturam à suo populo omninò excludit, Sodomitarum nempè, & bestialium: nam qui illa patrauerint, Dei benedictionem, qua vasa coniunctionibus apta disposuit, vili pendendo, & naturæ legem rumpendo, in naturam ipsam, & Deum optimum maximum, eam disponentem impudenti fronte iniurij & infensi sunt. Qui verò ita, in propriam etiam naturam peccant, cum ab ea sic degenerent, vt moribus & vita in bestias & fera animantia migrent: quam metamorphosim, mundi sapientes vehementer detestati sunt; & Pythagorei horum animas e corporibus in corpora migrare dixerunt: quoniam quantùm in se est, in animantia et bruta, quæ adamant, verti & transformari, ipso opere conantur.

Nec polluamini in omnibus, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra. cuius ego scelera visitabo, vt euomat omnes habitatores suos. Custodite legitima mea, atque iudicia, vt non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena, quàm colonus, qui peregrinatur apud vos. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cū paria feceritis, sicut euomuit gentem quæ fuit ante vos. Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiā, peribit de medio populi sui. Custodite mandata mea, nolite facere quæ fecerunt ij, qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

POSITIS gentium, ad quas migrabant, abominationibus, populum suum ab eis deter-

eis deterret tim[illegible] & pœnæ, quæ eos [illegible] equetur & amore & beneuolentia, qua[illegible] D[illegible] [illegible] excit[illegible]. His [illegible] adibus [illegible] sio[illegible] cedit [illegible] excellsibus retrahit, & a[illegible] Dei [illegible] officio funct[illegible]. Vnde [illegible] ans, aut consi[illegible] ctu[illegible] p[illegible] ad cor reuerte[illegible], tanq[illegible] montium & leg[illegible] in [illegible] nationis [illegible] præmisit [illegible] moti fu[illegible] ad [illegible] in D[illegible] amorem non fuerunt accensi, prostratis id[illegible] eos [illegible] populus Israel in tiomnibus sint. Exod. 13.

C[illegible] quod & [illegible] ex[illegible] & [illegible] in vesperum est, quo Ægypti pugnacitatem & in[illegible] otes [illegible] igni[illegible] vt P[illegible] E[illegible] lium Dominus me[illegible] nem [illegible] rigent [illegible] d[illegible] fructus [illegible] m, & [illegible] n[illegible], vt a[illegible] pestes, & morbos [illegible] amo[illegible] & pœnis [illegible] P[illegible] gentium [illegible] ho mo [illegible] Iohannes tertius li. 4 idem. Gen. 1.

ni, sicut [illegible] homo [illegible] imaginem Dei [illegible] eorum [illegible] tione [illegible] [illegible] B. Paulus, corpus [illegible] 1. Cor. 6.

[illegible] habe[illegible]: hæc scelera [illegible] contaminatæ sunt & terram [illegible] polluerunt, eo quod eas [illegible] in [illegible], vt [illegible] collegerunt: imo terra ipsa, ait, tam [illegible] pondus [illegible] vel uti [illegible] excitand[illegible] quia vanitati [illegible] terra [illegible] ct [illegible] omnia: & quod [illegible] pondus [illegible] ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Et [illegible] quando crimina v[illegible] terra o[illegible], id est, totus populus & regio polluta it, timendum est, ne eat [illegible] ira Dei procedat, vt regnum & pro[illegible] in a[illegible] deleret, & [illegible] ac [illegible] trans[illegible] rat [illegible] Indos & insulas [illegible] Quod beatus Paulus [illegible] monens, Cau[illegible] Rom. 8. Rom. 11.

[illegible] in [illegible] m [illegible] amus [illegible] quod [illegible] tantum esset [illegible] in [illegible] v[illegible] debet. Nam [illegible] C[illegible] occupantes: [illegible] simuliter a [illegible] Do[illegible] Genes. 15.

P[illegible] more & beneuole[illegible] [illegible] Nam qu[illegible] am[illegible] p[illegible] atem explendam homines [illegible] De[illegible] pro [illegible] Et [illegible] petit [illegible] execrationes sunt g[illegible], [illegible] indi[illegible] nam, q[illegible] vocat, quia [illegible] & sicut viat[illegible] m, vt inquit per [illegible]. Quasi dicat [illegible] res [illegible] vobis ex[illegible] quod idem vo[illegible] autem eadem præcepta omn[illegible] [illegible] C[illegible] mea vt [illegible] C[illegible] vi[illegible] in man[illegible] D[illegible] stra[illegible], & [illegible] D[illegible] & [illegible] Quia in Hiere. 14. Exod. 20.

o[illegible] petitione, diuina [illegible] sua [illegible] a [illegible] rit.

CAPUT [illegible]MUMNONUM.

L[illegible] est Dominus ad Moysen, dicens: L[illegible] ad eos: Sancti [illegible]te, quia e[illegible] Deus vester. [illegible] patrem suum & [illegible] suam timeat. [illegible] ba[illegible] Dominus Deus vester. N[illegible] ad idola, [illegible] con[illegible] faciatis vobis. Ego Dominus Deus v[illegible]r. Si immolaueritis [illegible] p[illegible] f[illegible]rum Domino, vt [illegible] placabilis, eo die quo fuerit immolata, comedetis [illegible] d[illegible] autem residuum fuerit [illegible] tertium, [illegible] comburet[illegible] p[illegible] ex [illegible] erit, & [illegible] reus. p[illegible] [illegible]m suam, quia san[illegible]tum Domini polluit, & peri[illegible] de populo [illegible].

C[illegible] & [illegible] [illegible] ad De[illegible] n[illegible] c[illegible] actiones negotia & opera [illegible] h[illegible] n[illegible] id [illegible] Deo consecratus, & dedicatus [illegible] & [illegible]
Aristo. [illegible] Ethic. ce[illegible] D[illegible] De[illegible] fi[illegible] & [illegible] ne[illegible] & [illegible] Vt [illegible] De[illegible] [illegible] pater, & [illegible] D[illegible] le[illegible] hac [illegible]
Actuũ 17. [illegible] Pa[illegible] [illegible], & [illegible] noster & Dominus est. [illegible] [illegible] & [illegible] vitam [illegible] p[illegible]
Gen. 2. n[illegible] & p[illegible] & [illegible] eius [illegible] p[illegible] [illegible] Si [illegible] & [illegible]
1. Cor. 6. c[illegible] esse debet. Nam quæ [illegible] [illegible] & quæ [illegible] Ch[illegible] [illegible] quia [illegible] sum. [illegible]
Psal. 1[illegible] [illegible] & [illegible] Cum [illegible] & cum [illegible]. Nam [illegible] & [illegible] offici[illegible] vitæ [illegible] & [illegible] & [illegible]

[illegible] & [illegible] f[illegible] quippe bonorum operum exercitio & pietatis [illegible], & [illegible] Illud in S[illegible] [illegible] idolorum [illegible] E[illegible], & [illegible] p[illegible] negotia tractentur, quæ vitæ animæ famulatrix [illegible] den[illegible] p[illegible] & negotia non [illegible] n[illegible] animum [illegible] [illegible] At [illegible] o[illegible] carn[illegible] re[illegible]
Galat. 5. [illegible], homicidia, & cætera, quæ refert [illegible] [illegible]

uiat.

uitat. Sed proh dolor, cùm in ruralium & corporalium operum locum, misericordiæ operibus,& Dei atque Ecclesiæ præceptis, penitus animum exercere debuissent, nostris infaustis temporibus corporis voluptates,& deliciæ & quod maximè dolendum est prætextu plerunque religionis, in ludis publicis sunt introductæ sunt: quòd si non idola, saltem eorum imagines est adorare,propria commoda,indulgentiam,& voluntatem semper captando. Vnde aptissime festorum obseruationi, idolorum & conflatilium prohibitio coniuncta est: immanibus enim nostris cogitationibus ionitentes,conflatilia hæc idola fingimus: quemadmodum vitulum conflatilē in Deum paulo ante erexerat Israel. Vnde in significationem huius rei, nempè: quòd qui fi- Exod 32. ctas has idolorum imagines adorant, omnibus animæ diuitiis se spoliant, omni auro & argento se priuantes, id totum in conflationem vituli obtulerunt. Subdit autem Dominus in horum commendationem: Ego Dominus Deus vester: non sanè, vt timorem hic intendat incutere; sed vt ad sui amorem prouocet, memorans sic, quæ pro eis fecit in eorum liberatione ab Ægyptia seruitute: & pollicitationes suas simul, quibus se futurum hominem, fratrem, & vitæ mortalis peregrinum, pro eorum redemptione à diaboli tyrannide, suprà dixit: vt tanti beneficij grati, & immensi huius amoris pignore deuincti, eius voluntatem compleant,& eum,vt totum bonum,& inexhaustum thesaurum redament. in quam rem,toties repetit: Ego Dominus Deus vester: vt nunquam à memoria tantum beneficium excidat, nec ab oculis mentis inconsideratione fugiat.

Prætereà ad finem vitæ & Deum ipsum mente retinendum, cupiditatum cohibitio in sæculi ementita bona, non parum agit, imò apprimè confert, cum legitima & accurata officij occupatione. Ob quod salutaris, seu gratulatorij sacrificij iterùm hic meminit, cuius residuum, die quo fit, aut sequenti comedi iubet, eum qui in tertium diem distulerit profanum, impiumque compellans, & flagellum suum expertum comminans. Equidem tota hæc vita, ex residuo sacrificij sustentanda est: omnis quippe actio, & modus viuendi, quo vnusquisque in sua vocatione legitimè & studiosè vitæ adminicula parat, genus sacrificij est,quo Deus placatur: & gratiarum actione,dum acceptis in ipsius gloriam bene vtitur,propitius redditur. Quare quod quisq; suo labore & industria sic parat, sacrificij gratulatorij, & salutaris residuum, & quod ex eo accrescit,optimo iure dicetur: cuius esum hodie & cras concedit,pro tertio autē die reseruari minimè permittit. In quo duo nobis Dominus cōmendat: alterum est,nostræ cupiditatis,ambitionis,& auaritiæ infrænatio: alterum verò accurata temporis occupatio, & eiusdem lucratio. Tempus siquidem huius vitæ biduo finitur,nam tertius dies resurrectionis vniuersalis est: in cuius testimonium & pignus, tertia die à mortuis Dominus resurrexit. Sancitæ ergò, vt de sic acquisito per hostiam, id est, laborem & industriam, quæ nos Deo offerimus, biduo vescantùm,dicere est; vt quod ad vitæ sustentationem, pro ratione officij vniuscuiusq; sufficit, acquiratur, & eo contentus quisque viuat; nec prætextu status aut officij, mundi fastum quærat, & in tertium diem parare superflua curet, quando ipsis vti non licet: & quorum legitimam rationem reddere nō valet,cùm aliorum vsibus quos non nouit, relicta sint. Præterea limites rationis excedit, in domo Dei, id est, in Ecclesia, locum pro definito officio habere,ob idque designatum stipendium à Deo accipere, & non in officio, sed in mercede, quam prouidere Domini est, oculos fixos habere. Expectetur profectò hic Dominum iratum, dum quæ pro sua liberalitate solitus erat dare,negabit,loco actionis rei,quam iste deperibat. Et iure quidem,cum pretermisso officio quod est gloriam & honorem Dei, pro statu & designatione sua quærere, in mercedem & præmium, quod Domini est elargiri, in ciusdem proprium, curam suam totam posuerit. Etenim quāti quilibet in suo officio honorem Domini duxerit,eum in omni re & actione procurando, quod sibi iniunctū est, tanti Dominus eius auctionē faciet. Et hoc est,quod ante Dominum in collectione mana, populo seruare iussit, Exod. 16. scilicet: Vt colligeret vnusquisq; quantum sufficeret ad vescendū; gomor per singula capita,iuxta numerū animarū,quæ habitabant in tabernaculo. Nobis sufficientem victum expetere & procurare homines,vult Dominus,superfluum autē odit. Quia in præsentē diem oculos positos nos habere vult Dominus, & non in crastinum: crastinus siquidem dies sollicitus erit sibi. Sed vnusquisque vocatione, qua vocatus est, vt in- Matth. 6.

1.Cor.7. quit beatus Paulus, Eadem permaneat: id est, in officio et debito, & exercitio humi-
tis, omnẽ curã suam reponat: cætera quæ homines ambire solent, Domino prouidenda
Psal.79. relinquat, quia Dominus virtutum est, & eius nũquam obliuiscetur. Cuius etiam rei
fidem fecit Sapiens, quando eius nomine, quemq; in loco suo stare admonuit; quòd
Eccl.11. facile sit in oculis Domini honestare pauperem. Quæ omnia Dominus noster Iesus
Christus vno verbo complectens in oratione, panem quotidianũ tantum petere præ-
Matth.5. scripsit. Et sufficere sine dubio deberet, ad præscripta hæc Domini, imo pectore reponenda,
nostramq; cupiditatẽ temperãdam; quia in secus facientes, hic a Domino notæ igno-
miniæ & dedecoris inurũtur: nempe quod profani sint, & impietatis rei, & quod suã
iniquitatem portabunt, quia ad gentium & ethnicorum mores huiusmodi superflua
inquirẽtium, populũ declinare faciunt: & à pietate, & cura religionis, animum in se cõ-
plicando, retrahunt; & demum non sine peccato cõmuniter expetuntur, parantur, &
augentur: neq; sine grauissimo tanquam domesticũ idolum adorantur. Quapropter
portaturos iniquitatem suam, & grauiter puniendos dixit, qui ad corticẽ literæ, & ex-
teriorem sensum tenebantur; si in tertium diem edendũ ex illa hostia quippiam ser-
uarent. Præterea esus hostiæ immolatæ duobus diebus conceditur; tertio verò nega-
tur: quoniam in hac vita ratio merendi & demerendi posita est; vbi pugna, & militia
exercetur, & vincere, aut vinci in vsu est; & qui vincunt, merentur coronam; vt qui
vincuntur, eam perdunt: quorum ratio in mente diuina omnino districta est. At ter-
tio die, præsenti sæculo transacto, triumphandi tempus ob habitas victorias, & patien-
Eccles.9. di supplicia ob male amissas, est: Quare peccator, qui in tertium diem pœnitentiam,
Eccle.17. & esum hostiæ pacificorum reijcit, igne perpetuo in inferno comburetur. Et rursus
confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis
Eccle.17. in miserationibus eius. quippe à mortuo, ait, quasi nihil, perijt confessio. Quamob-
rem quod admonet Sapiens, intentè ob oculos semper versandum est, quando ait:
Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio,
nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quò tu properas.

Cumque metueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges: neque in vineâ tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum, nec mẽtiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Non peierabis in nomine meo, nec polluces nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facies calumniam proximo tuo, neque vi opprimes eum. Nõ morabitur opus mercenarij tui apud te vsq; manè. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum, sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus.

COMPOSITO fine vitæ, reliquum erat præcepta disponere, quibus vita ciuilis,
& in ordine ad proximum per debita media progrediatur, & augeatur; quod ab hoc
loco facit. Principiò igitur sub literæ cortice, & exteriori sensu, quomodo reliquias
messorũ & vindemiatorũ relinquere pauperibus & peregrinis iubet: prædicationem
sui verbi indigẽtibus, verbo & exemplo maioribus sui populi, qui ampliores diuitias
spiritus habere debẽt, iniungit. Etenim vt ex reliquijs, quæ manẽt in fundis, & vineis
domini collectis fructibus, pauperes aluntur & sustẽtantur corporaliter; ita ex fragmẽ-
tis diuini verbi, quæ ore prædicatorũ & iustorũ exemplo populus Dei fide, spe, & cha-
ritate spiritaliter pascitur & sustẽtatur: atq; hac ratione quia thesauri diuinæ sapien-
tiæ per Legẽ & Prophetas, locupletati fuerũt Iudæi; beatissima virgo in cantico illo
Luc.1 suo celebratissimo, eos diuites appellauit, & gẽtes, quòd eo carerẽt, esuriẽtes. Et tamen
de dispensationis verbi diuini modo, quem Dominus præscribit: quoniam non fru-
ctuum copiam impartiri iubet, sed tantùm reliquias, quia pro suggesto & vbicunque
vulgo & communi populo, quæ ex mysterijs fidei, vt appendices resultant, inuulgan-
da, explicanda, & commendanda sunt: vt præcepta decalogi quæ ad mores perti-
nent, atque ad suum cultũ fide, spe, & charitate exhibenda, in sua Scriptura, & Euan-
gelio sacro Dominus exigit. Reconditiores autem sensus, qui intellectu auditores in
disciplinis requirunt, sibi & Ecclesiæ perscrutanda suscipiant. Lacte enim & non
solido

solido cibo nutriebat paruulos beatus Paulus, quòd ea ętate duriorem ferre non pos- 1.Cor.3. sent; & item quoniam diuini huius panis fractor, prius suam animam & mentem ad vitam Christianam debitè agendam, reficere & locupletari debet, vt inde reliquias habeat, quas paruulis frangere possit. alias ineptus accedet. Cui & similibus obijcit Dominus per Prophetam: Paruuli petierunt panem, & non est qui frangeret eis. Thren.4. Pręterea peculiariter, quæ ad religionem & cultum Dei, atque morum fidelium compositionem pertinent, Iudæis præcipiebat Dominus, populum docere & erudire: spiritalē autem sensum tot figuris & tropis contectū, id est, Euangelium sactū & mysteria Ecclesiæ suo tempore eruenda, relinquerent, tantumq; fidem ventuum Christi redemptoris adorarent, religioneq; & moribus ad eum præfinito tempore venientem, suscipiendum se disponerent. Quod ipsemet Dominus explicuit, quando quinque Matth.14. panibus & duobus piscibus (Legē & Prophetas referentibus) refectis 5000. millibus hominum duodecim cophinos fragmentorum mysteria Euangelij referentibus, per duodecim Apostolos inuulganda, colligere præcepit. Vbi vides fragmenta illa ex diuitijs scripturarum, & reliquias remāsisse, quas pauperes, Apostoli nempè, vt spicas ex segetibus, & vt grana aut racemos ex vindemijs, in sui & nostri sustentationem collegerunt. Vnde & suos, pauperes appellat Dominus, dicens: Beati pauperes spiritu. Co- Matth.5. gnouisti diuites & pauperes, & modum diuitias dispensandi: vide iam Scripturā sanctam Deiq; verbum, messes & segetes appellari, vt integrā rationē huius diuinę similitudinis percipias: & similiter vinearū botros, iustos & timoratos viros censeri. Illud enim satis planè probat Dominus quinq; panū nomine, quinq; legis libros intelligendo, effectum pro causa accipiendo: in quo non prætermittam, fidem nempè Euangelij Christi, fide legis erigi & fulciri, quę in ipsum, vt scopum attingendum, tota suis figuris & tropis fuit. ob quod prius illos cibauit, vt fragmēta dehinc Euangelij fideiq; Christianę cōmode acciperēt. In quam etiam rem semper ad Legē & Prophetas, vbi fragmēta hęc cælestia primùm recondita fuerunt, remittit Dominus. Et eius vicarius B. Petrus firmius testimonium ad fidē Iesu Christi esse dicit, propheticū sermonem, 2.Petr.1. quàm quod ipse cum socijs profert de auditione vocis paternæ dicētis: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Verùm apertiùs dignatus est suam cęlestē doctrinā segetum & messiū nomine signare, cùm dixit: Messis quidē multa, operarij autē pauci: Luc.10. rogate dominū messis vt mittat operarios in messem suam: non enim verbū suum Dominus seiunctum per se, sed in homine iam eo in culmū & in spicas per fidem & charitatē crescente, considerat, quando sic loquitur: ideo quos præuidebat fidē accepturos tanquā maturas segetes, quibus falces cōmittātur, hoc loco repręsentat. Et rursus quando ait: Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Iohan.4. Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albę sunt iā ad messem.

Posterius verò, quòd per botros, iusti intelligantur in obsonium mensæ Domini; idem per Prophetam quendam dixit: Vę mihi, quia factus sum, velut homo quęrens Michee 7. racemum tempore vindemiæ, & non est botrus ad comedendum. Vide, quid sentiet pauper, qui per vineas errat, reliquias vindemiæ quærendo, vt famē curet, & nihil inuenit? item perinde queritur Dominus, quādo ita populus a recta via declinat, quòd vix inuenit iustum. Et rursus: Quando vsqueadeò huiusmodi viros, cordi esse dicit, vt se parciturum populo, nec destructurum propter iustos in eo habitantes affirmet. Sic enim ait: Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur, Ne dissipes illud, Esai.65. quoniam benedictio est; sic faciam propter sermones meos, & non disperdam totum. Vbi grana matura, iustos nuncupat inter alia acerba immixta, quæ totum populum, vt grana racemum complent. Subdit autem in fine huius præceptionis; Ego Dominus Deus: se largitorem, datorem, & prouisorem omnium bonorum testando. Hoc enim importat ratio Dei, quoad nos; quòd cum ex se omnia & infinita bona habeat, bonorum nostrorum non indiget, vt explicuit Propheta. Vt quoniam pauperes ino- Psal.15. piæ patientes, & receptores bonorum diuitum, in vtraq; ratione corporalis, & spiritalis cibi constituisset, ne animum afflicti desponderent: & cùm item diuites suorum bonorum dispensatores, & operatores suos designasset, minimè timore egestatis, manum contraherent, & ab officio operandi dispensando desisterent, ad talem prouisorem & gubernatorem oculos attollendo; qui cùm Deus sit, omnium bonorum spiritualium & temporalium ditissimus est, ex se omnia habens, prospicere iubet.

Pietatis germen est iustitia: ideò præscripta lege de subuentione pauperum spiri-
tali, & temporali, quî ad proximum iustè viuatur, disponit. Quoniam autem iu-
stitia vniuersalis virtus ad proximum est, hinc vitium, quod vniuersale nocumen-
tum spiritale, & temporale contra fratrem amplectatur, in capite ilicò vitandum o-
mninò proponit, nempè furtum. Cuius anteambulones, quia mendacium, & dece-
3 Reg. 21. ptio per fraudem & dolum existunt, è vestigio coniungit. Non enim Iezabel occi-
disset Naboth per seniores, lapidibus extra vrbem obruendo, vt vineam, quam ad
suas delicias nolebat vendere, extorqueret, nisi priùs per diabolicos viros mentita es-
set, falsum testimonium illi obijciens, & accusatione falsa sic ad scelus homicidij iu-
2. Reg. 13. dices præuenisset. Nec Amnon Thamar sororem speciosissimam Absalonis corru-
pisset, nisi fraus & dolus, patrem Dauidem decipiendo, antecessisset, fictione infir-
mitatis ab eo petendo, vt in suam salutem permitteret, cibos à sorore sua Thamar
confectos, eosdem etiam de manu eius accipere, vnde incestum commisit. Vide hu-
mani ingenij prauitatem, quòd ad proximo nocendum, in propriæ voluntatis exe-
quutionem, mille mendacijs, & fictionibus prius sibi nocet, priusquam ex semetipso
sanguinem eliciat. Ersi mauis, horribilem impietatem attende. in fratris assecuratio-
nem, cum ad lædendum & nocendum accedit, iuramentum, imò ipsum Deum suæ
malignitatis internuncium ponit. Equidem nō contentus astutijs, & malitijs, quibus
flagitia sua, corruptio humana tegere curat, eò progressa est, vt veritatem ipsam, quan-
tùm in se est, in sui facti mendacis stabilitatem, corrumpat. Ex quo permissione diuina
factum est, vt in tantùm ipsi corrumpantur, crebriora iuramenta, quàm verba inania
ex proprio ore emittentes, vt nullus fons copiosiùs aquá scaturiat, quàm nomen Dei
inaniter sumendo, ij peccata proferant; & peierando suam iniquitatē prodant. Quos
acerbam punitionem non manere, sed instare, & concitato cursu iam appropinquare,
Zachar. 5. spectare per Prophetam suum iubet Dominus; quando volumen volans in domum
furis & iurantis ei ostendit, grauissimi supplicij sententiá in eos continens. quod cùm
Propheta vidisset, explicans quid contineret, dixit ei: Hæc est maledictio quę egredie-
tur super faciem omnis terræ: quia omnis fur sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & o-
mnis iurans ex hoc similiter iudicabitur, siue succidetur, &c. Vbi furtum nomine v-
niuersalis vitij in proximum positum vides: & iuramentum in tegumentum suæ pra-
uitatis ab hominibus cōmuniter vsurpatū, vt suprà explicuimus: & quantùm rursus
hæc mala percrebruerint, quòd super omnē faciem terræ egressuram execrationem,
dicit. Et simul attende, sententiam inaniter iurantibus, & peierantibus, atq; haben-
tibus os iurationi assuefactum, hic intimari: quia eius timorem multò antè incusserat
Eccle. 23. Sapiens, dicēdo: Vir multū iurans replebitur iniquitate, & non discedet a domo eius
plaga. Claudit autem præceptionem hanc dicendo: Ego Dominus, ad pœnitentiam
sane prouocando, quasi diceret: etsi meam indignationem & iram iam præsentē vi-
deatis, tamen considerate, quod Dominus sum, etsi pœniteamini, præsto sum mutare
Hier. 26. sententiam. Quod explicans per Prophetam quendá dixit, cum contra rebelles mit-
tendo: Noli subtrahere verbum, si fortè audiant & conuertantur vnusquisq; à via sua
mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiá studiorum eorum.
Vel dic: Ego sum Dominus, quem nihil latet, vt impunitum quippiam relinquatur,
quantumuis fraudibus, & exquisitis latebris, cælare furta vestra studeatis.

Præterea furti nomine genera varia nocendi proximo narrat, à quibus districtè ab-
stinere præcipit. & primùm lædere proximum per calumniam aut vim vetat: & hæc
peccata coniunxit, quoniam subdola & malitiosa interpretatione legis, sub qua fa-
ctum continetur, quod dicit calumnia, & ex anımo apertè violentiam inferre, in
eandem radicem redeunt, id est, indefinitum animum, fratrem opprimendi: & sub
Gen. 40. nomine furti, ambo continentur: quod Ioseph (qui cùm à fratribus oppressus in Æ-
gyptum venditus esset) furto sublatum fuisse dicit. Deinde opus mercenarij detine-
ri iniquissimum ducit: quapropter tam districtè ab hoc abstinere pręcipit, quòd mer-
cedem debitam opus suum dicit, quoniam eius substantia est, proprio labore par-
ta: atq; non ita diuitis abundantia, cùm vt in plurimum iniquus sit, aut iniqui hæres,
teste Hieronymo. Quare opus suum, seu substantia eius, proprie dicitur, vt hinc gra-
uitatem criminis attendas. Surdo tandem maledicere, & coram cæco offendiculum
ponere prohibet, prætextu, quòd ille non audit, vt vindicet: & ille cadens, in quem
irascatur

irascatur,non videat:nam Dominus audit & videt, nec eius aures & oculos quicquam præterire potest. Quare subdit. Ego sum Dominus.paululùm etiam altiùs mẽtis oculos extendendo,iracundia per maledicẽtiam prodiens,in seruos,aut fratres inobedientes,quos surdi referunt,& peccati scandalum,in ignorantes,qui cæci sunt,apertè etiam prohibentur. Quia Dominus,qui iudex omnium est, cũcta audit,& videt,in quem ea sic delinquendo peccas: sed admonitione,exhortatione, & blandis vtere medicamentis contra duritiem rebellis, & prudentia atque doctrina contra cæcitatem ignorantis. Nam,perinde ac in corporalibus morbis,contraria contrarijs curantur, ita & in spiritalibus. & imitare Dominum, qui per suum Prophetam, surdos & cæcos ad se fontem medicinæ vocabat, dicendo: Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum: quis cæ- Esai 42. cus nisi seruus meus,& surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? nos ergo surdi & cæci sumus,qui verbo Domini, vt audiamus, & lumine eius cogitationis, vt videamus semper indigemus:nos igitur nobis ipsis non probro simus. Hoc etenim aliquãdo Scriptu- 2.Reg.5. ra significans, cæcos & claudos intra Hierusalem,aut Iebus, vt tũc nominabatur, contra Dauid eam oppugnantem, prodidit: nimirũ significãs, Dominum nostrum Iesum Christum, quem Dauid referebat, cæcos,surdos,& claudos eos sanando, expugnaturum fore.

Non facies quod iniquum est,nec iniustè iudicabis, non consideres personam pauperis,nec honores vultum potentis.iustè iudica proximo tuo, nec eris criminator, nec susurro in populis.non stabis contra sanguinem proximi tui.Ego Dominus. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum: ne habeas super illo peccatum. Non quæras vltionem,nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus: leges meas custodite.

INSITVTO homine in vita priuata, reliquum erat, eundem publicam personam agentem instruere,quod hoc loco facit:nõ solùm peccata quæ fugere debeat, indicando;sed & eorum radices aperiendo,vt priuatim siue publicè agat,cautiùs viuat. Principio igitur iudices,cæterosq; inferiores iustitiæ ministros,fugiẽdorum instruit.quos tria vitare specialiter præcipit:iniquitatem,iniustum iudicium,& personarũ acceptionem. Oportet primùm iniquum vitare:quoniam hoc inæqualitatem est in proximis amare, in commerciorum ratione. Antè enim quàm in ratione dati & accepti bonorum cuiusuis generis communicarent,æquales erant,& vnusquilibet sua re contentus, Deum laudabat, & proximum amicitiæ coniunctione, tanquam se alterum amplectebatur. Eandem igitur æqualitatem post commercium, & communicationem cuiuscunque rei, iudex attendere debet, & sic contractum rescindere, aut damnum compensare, æquales litigantes dimittendo:cuius contrarium,iniquum facere est.iniquum quippe, factum respicit extra æquũ positum. Deinde iustum iudicium requirit: iustum equidem ad ius & legem refertur.itaque quando iustè iudicare petit(& rectã intentionem, legis scilicet,cuius finis est bonum publicum promouere,eique in omnibus prospicere: est enim iudex lex viua, quare scriptæ animum induere debet) & rursus opus præscriptum à lege administrari exigit:ne desidia, munerumúe corruptione,aut perturbatione alia affectuum,ius violetur,& iustitia frangatur. Vnde quoniam vt mare vndis continuè agitatur,perinde hominis animus affectibus concutitur, & incolumem se seruare contra tam importunos & domesticos hostes, citra Dei specialissimum auxilium non possit. Ducatum quærere,& iudicẽ fieri,obnixè dissuadebat Sapiens aliquandò,dicens: Eccles. 7. Noli quærere ab homine ducatum,neque à rege cathedram honoris.Et quoniam ambientium asylum,propria iustificatio est,subdit: Non te iustifices ante Deum,quoniam agnitor cordis ipse est;& penes regem noli videri sapiens. & rursus: Noli quærere fieri iudex,nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis,& ponas scandalum in agilitate tua. à quo & ipsa ratio apud gentes retrahebat:nam cùm legum custodiam,boni publici procurationem,virtutis in populo promotionem,hominibus publicis incumbere intelligerent, (ob hæc enim munera custodes, serui publici, & populorum pastores dicebantur) magistratus recusabant: & cum per aliquos necessariò gerendi erant,ne bono publico occupati, re familiari minuerẽtur,quadrimestres, Aristot. 9. & semestres eos habebant. Verùm,vt quidam eorum dicit: Cùm magni honores ipsis lib. Polit.

accesserunt, perinde ac febricitantes aquam, dignitates amplas, & magistratus homines requirunt. Tertiò vt debitè suam functionem administrent, à vitio acceptionis personarum omninò iudices abhorrere vult. Nam quid alienius a negotio excogitari potest, quàm non causam pro causa definiendæ rei accipere? quod faciunt, qui cognationem, amicitiam, fauorem, largitiones, diuitias, honores, & similia mundi blandimenta, in re definienda contemplantur, in hisque oculos mentis defigunt. Profectò huiusmodi (vt quidam sapienter dixit) homines vestitos iudicant, qui detractis his vestibus, vulnera, plagas, cicatrices, dissectiones, & viscera causæ inspicere diligenter debuissent. Attollant igitur hi oculos ad Dominum, qui non vestitos, sed nudos ipsos iudicabit, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia. Quapropter in fine præceptionis subdit: Ego Domin⁹. Sed exteris omissis, lege beatum Iacobum præsentem locũ interpretantem, qui sic ait: Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri gloriæ; Etenim si intrauerit in cõuentũ vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, intrauerit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis; Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Quòd si in communi conuictu tanti facit Dominus crimen acceptionis personarum, quanti faciet diuitias aut honores pro causa accipere, ad definiendam rem, de qua lex & ius peculiariter præscribunt, in qua errando, bonum publicum læditur? Vos, vt inquit Apostolus, iudicate. Et quoniam ex hoc, quod quisq; in particulari non debito officio prosequitur proximum, procedit, vt in publico officio deficiat, hinc siue priuatus, siue publicus agas, iustè, inquit Dominus, iudica proximo tuo. Deinde ad ministros sermonem etiam extendendo, criminatores, susurrones, & homicidij accusatores esse prohibet. Hos enim non obseruatores, sed purgatores criminum esse conuenit, iuxta præscriptum legis, officium suum exequentes, in eos, qui ius violant, virtutem lædunt, & Deum offendunt. Sed proh dolor, tantùm abest hoc ab vsu, vt loco huius officij, cadentium obseruatores existant; & faxit Deus, vt non criminum prouocatores, suis commodis tantùm consulentes: nam culicem excolantes, vt officium agere videantur, camelum degluiunt, & quoduis peccatum magnum, non dicam bene curata crumena. atque hoc, nunc hos accusando, & culpando, qui verè culpa carẽt, & nonnunquam contumeliosè reprehendendo, vt labantur; & fingendo, atque exclamando crimina, quæ in re non sunt in leuibus quæstionibus, vt proximos expilando marsupio prouideant: quæ omnia in criminatoris officio censentur. Nunc verò occultè maledicendo proximum insectantur, odium & dissensiones moliendo, vnde lites oriantur, & contexantur, ex quibus victum & lucrum quærunt: quod susurronum est. Et denique sanguinem homicidij & violentiæ iniuriosæ falsò imponunt, & se defensores & probatores statuunt. Caueant ergo hi, & sibi consulant, de quibus propheta dicit: Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos; quia necessitas punitionis eorum mortem accelerat. & item dies suos, dicit: quoniam dimidium temporis quod ipsi sibi promittunt, non attingent. & alibi: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus; timere ergo Dominum, quia quem abominatur, à se proiectum habet; & nisi pœnitendo redeat, in mortem nunquam finiendam, facilè è medio tollet.

Plato in Gorgia.

Iacob. 2.

Matth. 23.

Psal. 54.

Psal. 5.

Quoniam autem ex corde, tanquam ex perenni fonte hæc mala scaturiunt, tam in vita publica, quàm priuata, id componere demùm curat, vt ex dulcorato fonte dulces riui deducãtur, & ex sanis radicibus arbor sana protectetur, iustos & suaues fructus proferens. Appendit autem hoc institutioni magistratuum: quòd cùm potestate fulgeant, si cor & voluntatem incompositam habeant, quis flagitiorum finis erit? Habent proculdubio iniustitiam armatam, vt eleganter dixit quidam: Quapropter, cùm omnia quę velint, possint, & non nisi malum volunt, ipsa feritate nocẽtiores erunt. imò & hominem prauum absque potestate publica, omnium animalium pessimum idem dixit; quod voluntati deprauatæ, omnia genera armorum, quæ animalibus ad nocendum dispersa sunt, ratio serua, quibus volueris astutijs & machinationibus suppeditet. Primũ ergo odium contra fratrem in corde exterminat. hæc enim prima & vniuersalior radix est nocendi proximo, quoquo modo fieri possit, vsq; ad eius destructionem, nam illius esse horret, atque ita nullum lapidem intactum relinquet, donec voti compos euadat. Cuius peccati tam magni veneratores se præstiterunt Iudæi, vt externum opus odij, quando

Aristot. 1. lib. Polit.

Pietatis germen eſt iuſtitia: ideò præſcripta lege de ſubuentione pauperum ſpirituali, & temporali, qui ad proximum iuſtè viuatur, diſponit. Quoniam autem iuſtitia vniuerſalis virtus ad proximum eſt, hinc vitium, quod vniuerſale nocumentum ſpiritale, & temporale contra fratrem amplectitur, in capite ilicò vitandum omninò proponit, nempè furtum. Cuius anteambulones, quia mendacium, & deceptio 3.Reg.21. per fraudem & dolum exiſtunt, è veſtigio comungit. Non enim Iezabel occidiſſet Naboth per ſeniores, lapidibus extra vrbem obruendo, vt vineam, quam ad ſuas delicias nolebat vendere, extorqueret, niſi prius per diabolicos viros mentita eſſet, falſum teſtimonium illi obijciens, & accuſatione falſa ſic ad ſcelus homicidij iu- 2.Reg.13. dices præueniſſet. Nec Amnon Thamar ſororem ſpecioſiſſimam Abſalonis corrupiſſet, niſi fraus & dolus, patrem Dauidem decipiendo, anteceſſiſſet, fictione infirmitatis ab eo petendo, vt in ſuam ſalutem permitteret, cibos à ſorore ſua Thamar confectos, eoſdem etiam de manu eius accipere, vnde inceſtum commiſit. Vide humani ingenij prauitatem, quòd ad proximo nocendum, in propriæ voluntatis exequutionem, mille mendacijs, & fictionibus prius ſibi nocet, priuſquam ex ſemetipſo ſanguinem elicit. Etſi mauis, horribilem impietatem attende. in fratris aſſecurationem, cùm ad lædendum & nocendum accedit; iuramentum, imò ipſum Deum ſuæ malignitatis internuncium ponit. Equidem nō contentus aſtutijs, & malitijs, quibus flagitia ſua, corruptio humana tegere curat, eò progreſſa eſt, vt veritatem ipſam, quantùm in ſe eſt, in ſui facti mendacis ſtabilitatem, corrumpat. Ex quo permiſſione diuina factum eſt, vt in tantùm ipſi corrumpantur, crebriora iuramenta, quàm verba inania ex proprio ore emittentes, vt nullus fons copioſiùs aquā ſcaturiat, quàm nomen Dei inaniter ſumendo, ij peccata proferant; & peierando ſuam iniquitatē prodant. Quos acerbam punitionem non manere, ſed inſtare, & concitato curſu iam appropinquare, Zachar.5. ſpectare per Prophetam ſuum iubet Dominus; quando volumen volans in domum furis & iurantis ei oſtendit, grauiſſimi ſupplicij ſententiā in eos continens. quod cùm Propheta vidiſſet, explicans quid contineret, dixit ei: Hæc eſt maledictio quę egredietur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur, ſiue ſuccidetur, &c. Vbi furtum nomine vniuerſalis vitij in proximum poſitum vides: & iuramentum in tegumentum ſuæ prauitatis ab hominibus cōmuniter vſurpatū, vt ſuprà explicuimus: & quantùm rurſus hæc mala percrebruerint, quòd ſuper omnē faciem terræ egreſſuram execrationem, dicit. Et ſimul attende, ſententiam inaniter iurantibus, & peierantibus, atq; habentibus os iurationi aſſuefactum, hic intimari: quia eius timorem multò antè incuſſerat Eccle.23. Sapiens, dicēdo: Vir multū iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga. Claudit autem præceptionem hanc dicendo: Ego Dominus, ad pœnitentiam ſanè prouocando, quaſi diceret: etſi meam indignationem & iram iam præſentē videatis, tamen conſiderate, quod Dominus ſum, etſi pœniteamini, præſto ſum mutare Hier.26. ſententiam. Quod explicans per Prophetam quendā dixit, eum contra rebelles mittendo: Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant & conuertantur vnuſquiſq; à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiā ſtudiorum eorum. Vel dic: Ego ſum Dominus, quem nihil latet, vt impunitum quippiam relinquatur, quantumuis fraudibus, & exquiſitis latebris, celare furta veſtra ſtudeatis.

Præterea furti nomine genera varia nocendi proximo narrat, à quibus diſtrictè abſtinere præcipit. & primùm lædere proximum per calumniam aut vim vetat: & hæc peccata coniunxit, quoniam ſubdola & malitioſa interpretatione legis, ſub qua factum continetur, quod dicit calumnia, & ex animo apertè violentiam inferre, in eandem radicem redeunt, id eſt, indefinitum animum, fratrem opprimendi: & ſub Gen. 40. nomine furti, ambo continentur: quod Ioſeph (qui cùm à fratribus oppreſſus in Ægyptum venditus eſſet) furto ſublatum fuiſſe dicit. Deinde opus mercenarij detineri iniquiſſimum ducit: quapropter tam diſtrictè ab hoc abſtinere pręcipit, quòd mercedem debitam opus ſuum dicit, quoniam eius ſubſtantia eſt proprio labore parta: atq; non ita diuitis abundantia, cum vt in plurimum iniquus ſit, aut iniqui hæres, teſte Hieronymo. Quare opus ſuum, ſeu ſubſtantia eius, proprie dicitur, vt hinc grauitatem criminis attendas. Surdo tandem maledicere, & coram cæco offendiculum ponere prohibet, prætextu, quòd ille non audit, vt vindicet: & ille cadens, in quem

irascatur

irascatur, non videat: nam Dominus audit & videt, nec eius aures & oculos quicquam præterire potest. Quare subdit. Ego sum Dominus. paululùm etiam altiùs mẽtis oculos extendendo; iracundia per maledicẽtiam prodiens, in seruos, aut fratres inobedientes, quos surdi referunt, & peccati scandalum, in ignorantes, qui cæci sunt, apertè etiam prohibentur. Quia Dominus, qui iudex omnium est, cũcta audit, & videt, in quem ea sic delinquendo peccas: sed admonitione, exhortatione, & blandis vtere medicamentis contra duritiem rebellis, & prudentia atque doctrina contra cæcitatem ignorantis. Nam, perinde ac in corporalibus morbis, contraria contrarijs curantur, ita & in spiritalibus. & imitare Dominum, qui per suum Prophetam, surdos & cæcos ad se fontem medicinæ vocabat, dicendo: Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum: quis cæcus nisi seruus meus, & surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? nos ergo surdi & cæci sumus, qui verbo Domini, vt audiamus, & lumine eius cogitationis, vt videamus semper indigemus: nos igitur nobis ipsis non probro simus. Hoc etenim aliquãdo Scriptura significans, cæcos & claudos intra Hierusalem, aut Iebus, vt tũc nominabatur, contra Dauid eam oppugnantem, prodidit: nimirũ significãs, Dominum nostrum Iesum Christum, quem Dauid referebat, cæcos, surdos, & claudos eos sanando, expugnaturum fore. [Esai 42.] [2.Reg.5.]

Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis, non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. iustè iudica proximo tuo, nec eris criminator, nec susurro in populis. non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum: ne habeas super illo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus: leges meas custodite.

INSITVTO homine in vita priuata, reliquum erat, eundem publicam personam agentem instruere, quod hoc loco facit: nõ solùm peccata quæ fugere debeat, indicando; sed & eorum radices aperiendo, vt priuatim siue publicè agat, cautiùs viuat. Principio igitur iudices, cæterosq; inferiores iustitiæ ministros, fugiẽdorum instuit. quos tria vitare specialiter præcipit: iniquitatem, iniustum iudicium, & personarũ acceptionem. Oportet primùm iniquum vitare: quoniam hoc inæqualitatem est in proximis amare, in commerciorum ratione. Antè enim quàm in ratione dati & accepti bonorum cuiusuis generis communicarent, æquales erant, & vnusquilibet sua re contentus, Deum laudabat, & proximum amicitiæ coniunctione, tanquam se alterum amplectebatur. Eandem igitur æqualitatem post commercium, & communicationem cuiuscunque rei, iudex attendere debet, & sic contractum rescindere, aut damnum compensare, æquales litigantes dimittendo: cuius contrarium, iniquum facere est. iniquum quippe, factum respicit extra æquũ positum. Deinde iustum iudicium requirit: iustum equidem ad ius & legem refertur. itaque quando iustè iudicare petit (& rectá intentionem, legis scilicet, cuius finis est bonum publicum promouere, eique in omnibus prospicere: est enim iudex lex viua, quare scriptæ animum induere debet) & rursus opus præscriptum à lege administrari exigit: ne desidia, munerumúe corruptione, aut perturbatione alia affectuum, ius violetur, & iustitia frangatur. Vnde quoniam vt mare vndis continuè agitatur, perinde hominis animus affectibus concutitur, & incolumem se seruare contra tam importunos & domesticos hostes, citra Dei specialissimum auxilium non possit. Ducatum quærere, & iudicẽ fieri, obnixè dissuadebat Sapiens aliquandò, dicens: Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris. Et quoniam ambientium asylum, propria iustificatio est, subdit: Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est; & penes regem noli videri sapiens. & rursus: Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. à quo & ipsa ratio apud gentes retrahebat: nam cùm legum custodiam, boni publici procurationem, virtutis in populo promotionem, hominibus publicis incumbere intelligerent, (ob hæc enim munera custodes, serui publici, & populorum pastores dicebantur) magistratus recusabant: & cùm per aliquos necessariò gerendi erant, ne bono publico occupati, re familiari minuerẽtur, quadrimestres, & semestres eos habebant. Verùm, vt quidam eorum dicit: Cùm magni honores ipsis [Ecclesi. 7.] [Aristot. 5. lib. Polit.]

accesserunt, perinde ac febricitantes aquam, dignitates amplas, & magistratus homines requirunt. Tertiò vt debitè suam functionem administrent, à vitio acceptionis personarum omninò iudices abhorrere vult. Nam quid alienius à negotio excogitari potest, quàm non causam pro causa definiendæ rei accipere? quod faciunt, qui cognationem, amicitiam, fauorem, largitiones, diuitias, honores, & similia mundi blandimenta, in re [Plato in Gorgia.] definienda contemplantur, in hisque oculos mentis defigunt. Profectò huiusmodi (vt quidam sapienter dixit) homines vestitos iudicant, qui detractis his vestibus, vulnera, plagas, cicatrices, dissectiones, & viscera causæ inspicere diligenter debuissent. Attollant igitur hi oculos ad Dominum, qui non vestitos, sed nudos ipsos iudicabit, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia. Quapropter in fine præceptionis subdit: Ego Domin'. Sed [Iacob. 2.] cæteris omissis, lege beatum Iacobum præsentem locū interpretantem, qui sic ait: Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri gloriæ; Etenim si intrauerit in cōuentū vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, intrauerit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis; Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Quòd si in communi conuictu tanti facit Dominus crimen acceptionis personarum, quanti faciet diuitias aut honores pro causa accipere, ad definiendam rem, de qua lex & ius peculiariter præscribunt, in qua errando, bonum publicum læditur? Vos, vt inquit Apostolus, iudicate. Et quoniam ex hoc, quod quisq; in particulari non debito officio prosequitur proximum, procedit, vt in publico officio deficiat, hinc siue priuatus, siue publicus agas, iustè, inquit Dominus, iudica proximo tuo. Deinde ad ministros sermonem etiam extendendo, criminatores, susurrones, & homicidij accusatores esse prohibet. Hos enim non obseruatores, sed purgatores criminum esse conuenit, iuxta præscriptum legis, officium suum exequentes, in eos, qui ius violant, virtutem lædunt, & Deum offendunt. Sed proh dolor, tantùm abest hoc ab vsu, vt loco huius officij, cadentium obseruatores existant; & faxit Deus, vt non criminum pro- [Matth. 23.] uocatores, suis commodis tantùm consulentes: nam culicem excolantes, vt officium agere videantur, camelum deglutiunt, & quoduis peccatum magnum, non dicam bene curata crumena. atque hoc, nunc hos accusando, & culpando, qui verè culpa carēt, & nonnunquam contumeliose reprehendendo, vt labantur; & fingendo, atque exclamando crimina, quæ in re non sunt in leuibus quæstionibus, vt proximos expilando marsupio prouideant: quæ omnia in criminatoris officio censentur. Nunc verò occultè maledicendo proximum insectantur, odium & dissensiones moliendo, vnde lites oriantur, & contexantur, ex quibus victum & luctum quærunt: quod susurronum est. Et denique sanguinem homicidij & violentiæ iniuriosæ falsò imponunt, & se defensores & probatores statuunt. Caueant ergo hi, & sibi consulant, de quibus propheta dicit: [Psal. 54.] Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos; quia necessitas punitionis eorum mortem accelerat. & item dies suos, dicit: quoniam dimidium temporis quod ipsi sibi [Psal. 5.] promittunt, non attingent. & alibi: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus; timete ergo Dominum, quia quem abominatur, à se proiectum habet; & nisi pœnitendo redeat, in mortem nunquam finiendam, facilè è medio tollet.

Quoniam autem ex corde, tanquam ex perenni fonte hæc mala scaturiunt, tam in vita publica, quàm priuata, id componere demùm curat, vt ex dulcorato fonte dulces riui deducātur, & ex sanis radicibus arbor sana procrescat, iustos & suaues fructus proferens. Appendit autem hoc institutioni magistratuum: quòd cùm potestate fulgeant, si cor & voluntatem incompositam habeant, quis flagitiorum finis erit? Habent proculdubio iniustitiam armatam, vt eleganter dixit quidam: Quapropter, cùm omnia [Aristot. 1. lib. Polit.] quę velint, possint, & non nisi malum volunt, ipsa feritate nocētiores erunt. imò & hominem prauum absque potestate publica, omnium animalium pessimum idem dixit; quod voluntati deprauatæ, omnia genera armorum, quæ animalibus ad nocendum dispersa sunt, ratio serua, quibus volueris astutijs & machinationibus suppeditet. Primū ergo odium contra fratrem in corde exterminat. hæc enim prima & vniuersalior radix est nocendi proximo, quoquo modo fieri possit, vsq; ad eius destructionem, nam illius esse horret, atque ita nullum lapidem intactum relinquet, donec voti compos euadat. Cuius peccati tam magni veneratores se præstiterunt Iudæi, vt externum opus odij,

quando

quando ad manus vsque non procedebat,peccatú non ducerent. Quos corrigens Dominus, non solum iram quã germilitat odium; sed externam signi ficationem indignationis interiectione,aut vultus auersione, loquelæ negatione: & letitiam item in rebus aduersis proximi,aut in prosperis mœrorem damnat: & denique verba ipsa contumeliosa,& deinde multa inde procedentia,peccata grauissima iudicat. & ordinem vide: qui irascitur fratri suo,reus est iudicio,id est, fractionis huius legis diuinæ, cuius vindicatio penes iudicium vnius est. Nam quia infallibili iudicio fertur,peculiare lex diuina hoc habet,vt iudicium appelletur: vnde leges, & iudicia sæpe coniungit. Eum autem qui per signa exteriora iram aut odium indicauerit, quod est dicere racha, grauius peccare docet, & dignum esse crimen, vt ad concilium, & ad multorum senatorum arbitrium deferatur, qui minus errare in punitione criminis poterunt, quàm vnus iudex, qui pro lege communiter loquitur,& item,quoniam inflexibiliores erunt. Quod si vsque adeò excandescat ira, vt in verba prorúpat vilipendij, quod est dicere fatue,patratoré reum gehennæ declarat,ad se iudicium aduocans. non quòd cognitionem & punitionem iudicibus tollat;sed vt atrocitatem criminis declaret,quam tantam esse dicit, vt gehenna illi definita sit,quòd obduratum animum in odio habeat, à quo difficilè pro humanum more liberabitur. Quoniam qui in latissimo campo conuiciorum, calumniarum, probrorum,imprecationum, & callidarum omnium molitionum in proximum spatiatur, qui vela contrahet? Dictione autem illa,fatue, omnia hæc genera malorum Dominus intelligit. Ne autem veneníum sui animi tantum attendendo, in hoc profundum malorum dilabatur, publicè cum arguere coram iudice consulit; vt eius medio, deprauatum animum deponat, & in eo compensationem accipiat, in quo locus odio datus est, & sic à peccato liberetur. Deinde vltionem, vindictam, & memoriam iniuriæ, quæ vltiones germinat,à suis reijcit,est quidem secunda radix omnium malorum,quę in proximum fiunt.Ea siquidem,propria voluntas viget,quam necare,& vincere hic oportet, vt reportatis victorijs,aliquando in cælo triumphemus: & etiam vt nostram dignitatem seruemus,nec in brutorum furiam labamur,quæ sensu iniuriæ ducta,vique ad nocentis perditionem non quiescunt: & præterea vt dæmoni locum in animam ingrediendi non demus,ianuam nostri cordis seris mansuetudinis & patientiæ semper occludendo. Matth.5. in quam rem consulebat spoliato tunica, dare & pallium, & angariato mille passibus, ire cum impulsore; & alios duos mille. Et B. Paulus, consilium magistri sequendo, ad Ephes.5. morbum hunc curandum clamat,dicendo: Non occidat sol super iracúdiam vestram. & alius Apostolus ad idem hortatur,dicens: Ira viri iustitiam non operatur. quasi dicere Iacob.1. tet: iniuria illata,iustitia Dei vindicanda est,qui dixit: Mihi vindictá,& ego retribuam: Deut.32. quam tu,ad æquum nullatenus, quantumcunq, nerueos extenderis, administrare poteris,& in cassum laborabis. Tandem amicum diligere,sicut seipsum præcipit: quòd inimicitia tertia radix rixarum,litium,homicidiorum, & peccatorum omnium in proximum pullulatrix sit. At animales Iudæi nedum corticem literæ cadentes,odio persequendum esse inimicum,quòd contrarium tantum præciperetur, pueriliter eliciuerút. nam dixerat Dominus antè: Non oderis fratrem. an ii tu.... non erat frater? frater quidem erat, & iure creationis & adoptionis per legem, & nunc per Baptismum etiam est;non ergo odio prosequendus inimicus, quia frater est. Quod Dominus explicuit, Deut.23. quando licentiam fenerandi fratri suo inhibuit,& permisit alieno,per quem gentes intellexit,quas odio habebant Iudæi.& rursus:Non abominaberis Idumęum,quia frater tuus est. Atque ira cùm præcepisset odium omnis fratris deponere:hic strictius fratrem sumit,id est, ex populo Israel tanquam amicum speciali necessitudine coniunctum,diligi præcipit. Itaque notans hoc Dominus & reprehendens, quod legi Dei sua commenta interseruerant, in tertia persona dixit: Audistis,quia dictum est antiquis,&c. & Matth.5. iubet diligere inimicos. & quoniam hoc humanæ menti se condiscenti,voratu difficillimum iudicatur consilium,quo leniretur,adhibuit: orare scilicet pro persecutoribus,& benefacere his, qui nos oderunt:nam ita ab onere odij animus liberatus, satiatur per bona opera erga inimicos: & gratia Domini cor eius præuentum, oratione impetrata emollitur, & vtraque vincitur, & inimicum animum deponit: & tu inimicum vincens,tuam sequens voluntatem,magis accenderis. Quem locum interpretans B. Paulus inquit: Si esurierit inimicus tuus,ciba illum:& si sitit,potum da illi:hoc enim Rom.12. faciens, carbones ignis congeres super caput eius:id est, cum beneficijs cumulaueris, ignes cha-

ignes charitatis erga te in eo accendés. & concludendo subdit: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum: tanta enim est vis amoris, quod inimicos prostrat, & de inimicis amicos facit. Et quod amplius est, testimonium nobis reddit, quòd diligamus Deum, 1. Ioan. 3 dicente beato Ioanne: Scimus, quòd translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. & infra: Qui dicit se Deum diligere, & fratrem suum oderit, mendax 1. Iohan. 4. est. nam si fratrem suum, quem videt, non diligit; Deum quem non videt quomodo potest diligere?

Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non feres diuerso semine. Veste, quæ ex duobus contexta est, non indueris. Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nobilis, sed desponsata viro, & tamen pretio non redêpta, nec libertate donata, vapulabunt ambo; & non morientur: quia non fuit libera. pro delicto autem suo, offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonij arietem, orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius coram Domino, & repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum.

QVONIAM facilis est descensus Auerni, & reuocare gradum, plenum labore opus, hinc positis præceptis vitæ moralis, ne immisso per oculos incautos mortis veneno, quod gentes proijcerent, quibus cum gressum erant, bestiales mores & varias earum superstitiones, apprime fugere iubet; vt tuta & secura maneat virtutis nauigatio: & cæremonialia etiam quædam præcepta miscet, quibus eã promouet. Præsenti ergo textu, fron- Nicolaus de Lyra in hunc locũ te ipsa, coniunctiones diuersorum animalium, quas gentes in coniunctionibus planetarum facere consueuerunt, teste Nicolao, suis nullo modo permittit: neque agrum vario semine seminare: quod gentibus in morem venerat, in spem maxime fertilitatis; sic militiam cæli varijs sideribus proseminati, imitantes, quã à dæmonibus decepti colebant, & adorabant. Neque veste vti ex duobus contexta, vt lino & lana videlicet, ne gentes imitarentur, quæ varij coloris vestibus vtebantur superstitiose, sic prosperam salutem sperantes. & demum neque ancilla abuti; quoniam quòd victis hostibus gentes in ancillas captas hinnire in gratiam primi spolij ducebant. Verùm cùm hæc superius Cap. 18. specialiter fuerint prohibita, nisi in recessu, spiritus latens insinuaretur, superflua videretur horum repetitio. Quapropter altius mentem erigendo, internum & spiritalem sensum attendamus. Districte igitur hic Dominus synceritatem morum & doctrinæ seruare iubet: prius coniunctione iumẽtorum varij generis notando, & varietate seminum in eodem agro, atque vestium diuersorum colorum, aut partium. Iumenta, homines animales & sensibiliter viuentes appellari, Scriptura prodit, cùm dicit: Homo cùm Psal. 48. in honore esset, non intellexit. comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. & rursus. Homines & iumenta sanabis Deus. & meritò, quandoquidẽ ad ima- Psal. 35. ginem Dei creati, quo nihil honoratius excogitari potest, sensibiliter, & more bestiarũ viuere delegerint. & alibi horum in malo obduratam consuetudinem dolens, inquit: Ioelis 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Quando ergo morum puritas & synceritas corrumpitur, siue conuersatione prauorum populi, siue communicatione exterorum, pestem studiis suis morum importantium, iumentum vnum cum alio diuersi generis copulatur. Cuius curatio in separatione & vitatione consuetudinis exteri iumẽti consistit. & in hoc quod sui generis, hoc est, primarios virtutis viros, quos in virtutis, & suæ Cant. 1. voluntatis custodia degere obseruat, imitetur. Quod sponsus sic tenerè suæ sponsæ, id est animæ Christianæ ignoranti se, dicit: Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. Vbi clare vides eum, qui à frugaliori vita, vel voluptatis vitio, vel prauorum cõsortio decidit, a se & consortio tali, admonitione Domini egredi oportere; & sequi pastores illos, qui moribus & doctrina præfecti sunt. Deinde veritas vitæ commaculatur, non seruata concinnitate doctrinæ & operum, & mixtione etiam næuorum, id est, peccatorum cum operibus bonis, quibus praua regere nituntur atque ita conscientiam pacare. quæ variorum seminum in eodem agro proseminationem, & vestis variare distinctionem ... Eorum cogitatuum, verborum, & operum cõcentus, suauissimum melos auribus Domini conficit, & grauissimum è contra, quando horum aliquod dissonat.

sonat. Vnde & exteri philosophi, ingenuos pueros musicam primum discere debere Plato. dictabant, vt vel ea ratione ad dictam vitæ concinnitatem a tenera ipsa ætate præpararentur. Quod ergo primum Dominus exigit, est verborum & operum consonantia, in quouis genere hominum, qui alios docent, aut exhortantur, & præcipue in doctoribus & concionatoribus, qui pastorale officium exercent. Nam ex sementera impura, & ab eo facta, qui mille herbis nouicijs abundat, quos fructus agricola & dominus rei sperare potest? cum similis similem generet? perinde in moribus, ac in natura. Quapropter cum discordantiam hanc præuideret Dominus in Scribis & Pharisæis, & in superioribus aliquibus, deprauata vita Euangelium Dei, eiusq; volútatem docentibus populum suum & Ecclesiam, dixit: Super cathedram Moysi sederunt principes & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, facite, secundum autem opera illorum nolite facere. Quid? contra huiusmodi & ipsa natura reclamat, vt quidá eius expositor dixit: Quando scilicet docentis vita à doctrina discrepat, ludibrio & contemptui eam tradere, cum Aristot. 10 Ethic. omnes obijciant: quæ docet, verba esse tantùm. Quod auté per seminum sparsionem, non solùm verbi Dei prædicationem intelligat, (vt non solum præceptio hæc contra hæreticos, qui veris sua falsa dogmata miscent, sic ab audientibus fidem venando) sed etiam vitam prauam cum veritate verbi mixtam; explicuit Regius vates, cum opera Psal. 125. bona semina vocat, de Dei seruis dicendo. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Præterea qui tanta varietate vitam distinctam gerit, vt cum multis operibus bonis ex genere, & intentione etiam praua, nonnulla aut plura forsan admisceat, vestimento induitur ex diuersis pannis confecto, & præceptionem hanc Domini transgreditur: Etenim quoniam vita studiosi tegitur homo, ornatur, & ab infestantibus defenditur; sicut praua econtra detegitur, dehonestatur, & inimicis omnibus peruius patet, iure rationem vestimenti sibi vendicat. Vnde Psaltes de eo, qui deprauatam diligit vitam, quæ sub maledictione Psal. 108. Dei est, dixit: Induit maledictionem sicut vestimentum. Hac igitur præceptione, vitæ confusionem in moribus, & etiam in animis, in quibus miscellanea hæc ingrata Domino procedit, aperte taxat. oportet enim vitam bono fine definitam esse. nam quæ eo caret, necessariò praua est in malo lapsa, aut vaga modò in bono, modò in malo spatiata campo. & vtramque perhorrescit Dominus: quia vestimentum ex duobus generibus pannorum contexunt. Neque hos solari debet, bonis operibus, mala operiri, nam vita est impura, & inæqualis, lapsus peccatorum, cum alijs beneficentiæ, aut cuiusuis virtutis operibus coniungere: & qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Iacob. 4. Arguuntur etiam hoc præcepto hypocritæ, qui aliud foris promittunt, & aliud pectore recóditum habent, qui veniunt repræsentatione vitę in vestimento ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. quos manifeste notauit Dominus alibi hoc idem præceptum declarando, Matth. 7. Deut. 22. cum dicit: Non indueris vestimento, quod ex lana, linoq; contextum est. Quid enim prodest patientiæ virtutem, candorem castitatis (quæ linum repræsentat) ex vna parte referre si mollibus voluptatibus, earumque blanditijs, quas lana designat, intétus agas? plane hoc vestimento contexto ex varijs materijs indui, est, quod Dominus hic abominatur. & vineam altero semine seminare, quod Dominus etiam prohibuit, superiorem Deut. 22. præceptionem varij sementis, alio loco declarando. Quippe in vinea, id est, in vita, quæ destinata est ad botros Domino suaues ferendos, alterius generis quam vitis, id est, virtutis interserere, causa erit, inquit Dominus, vt quæ vane seminasti, cum fructibus vineæ pariter apud te sanctificentur, quod summum scelus est; Equidem vitium de sede semper cum virtute, vt potest, latebris & fictionibus certat, & illud iam sic, tu in possessione pones. aliqui volunt ironice dictum; id est, ne fruges ex varijs seminibus natæ simul cum fructibus vineæ pereant: quia absque dubio, cú malis simul bona opera peribunt in homine impænitente. Deniq; quoniam mores, doctrinam, & scientiam sequuntur [illegible] vniformes requirens, concinnitaté verborum & operum petijt, & varias doctrinas cum veritate misceri prohibuit, legi quam dat successuram aliam, nempe Euangelium [illegible] fuerit, vt cum fieret nec nouum videretur, nec contra hanc pugnare, quod eius [illegible] complemento & perfectio sit. Hoc autem per coniunctionem viri cum serua & ancilla [illegible] ; quoniam ex matrimonio Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis [illegible] futurum erat, vt supra latius deductum est: & tempore sponsalium de futuro, [illegible] legis: hominem fidelem cum ea dormire, tanquam cum serua & ancilla voluit,

voluit,id est, ei acquiescere tanquam seruæ: quia Domino, donec veniret verbum eius in carne, seruiebat, & ancillabatur. Ob quod non moriebantur lapidibus obruti, vt lex præcipiebat, sed loris bubulis (hoc enim sonat vox Hebræa בקרת biccoreth) vapulabant: quoniam lex vltionum erat, & e vestigio sceleris patratori, flagellum admouebatur: neque interficiebat, donec veniret libera lex Euangelij sufficienter promulgata. Vnde in hoc interim seruare legem & cæremonias suprà dispositas iubebat, offerendo arietem ad ostium tabernaculi testimonij per manus sacerdotis, qui pro ipso & dimissione peccati Dominum oraret. & non dicit, pro ea: quoniam lex peccatum ostendebat, non tamen faciebat. Quod autem ancillæ nomine lex intelligatur, Scriptura indidit, cum ad hanc legem alludendo, alibi disponit: captiuam in bello non posse fieri vxorem capientis Iudæi, nisi prius circumcisis vnguibus, & rasa cæsarie, atque vestibus captiuitatis depositis, certo tempore transacto. Per quam Ethnicorum doctrinam ab erroribus sic expurgatam intelligunt omnes doctores. absque dubio ergo hic per ancillam Iudeam, legem notat. Vnde & nobilem appellat, & pretio non redemptã, nec libertate donatam: quoniam diuina erat, & pretio sanguinis Iesu Christi eius seruitus redimenda, ipsaque per eductionem Euangelij sacri asserenda libertate. Quod & B. Paulus explicuit, quando sub figura duorum filiorum Abrahæ liberi & serui, Euangelium & legem latuisse docet, & ancillationem legis, vi & obligatione per libertatẽ Euangelij cessasse. & quando alibi etiam sub ratione matrimonij legis vim emortuã prædicat, quod morte Christi, suo officio functa fuisset, & mulierem tantùm alligatam esse viro, quandiu vir eius viuit, mortuo autem solutam esse à lege viri. & si hoc loco, virum legem faciat, synagogam verò vxorem: perpetuò tamen matrimonij metaphoram seruans. Ex quo etiam pariter disces, postquam lex peccati, dæmonis, & mundi, mortua fuit per crucem Christi, indignum esse hominem Christianũ ei subijci, eiq; in se dominari permittere. præsertim recolendo, quod ei omninò renunciauit in Baptismo, & iugiter in Sacramento pœnitentiæ eandem fidem & propositum renouat. Quod B. Petrus vecordibus exprobrat, dicendo: Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consumandam, vt non desiderijs hominum, sed volũtati Dei quod reliquum est, viuat temporis.

ad Rom. · *Deut. 21.* · *ad Gal. 4.* · *Rom. 7.* · *1. Petr. 4.*

Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno, comedetis fructus congregantes poma, quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester.

CÆREMONIALE erat hoc præceptum, quod, vt sonat in cortice, Iudęi adimplere tenebantur: sed nunquid eorum gustus curabat Dominus? aut tantæ illi curæ erat eorum salus, vt non nisi salutiferos, & sanos omnes fructus exspectato tempore quatuor annorum, ex plantatis recenter arboribus, edere permitteret? non sane: vnum est, quod problemate ipso indicat, & aliud quod sub eo intra domus penetralia abdidit, ad quod attendere iubebat, & ex ipsa re absque alio monitore aduertere debuissent. hoc autem est, fuga mali, & prosecutio boni: nam semper huc, omnia hic disposita tendunt. Ingressus igitur terrę promissionis, cõuersio peccatoris est: hęc à termino, à quo peccatum incipit, à termino autẽ, ad quẽ virtutẽ ipsam lege præceptam. Arbores verò pomiferæ plantandæ, ipsi Iudæi erant, & peccatores sunt in terram virtutis & gratiæ Dei plantandi, neglecta terra peccati. hominem siquidem, amicitiam Dei semper sibi cõciliantem, lignum plantatum secùs decursus aquarum appellauit Regius Psaltes, & post eũ Hieremias: quorum scriptis alludẽs Dominus Iesus Christus, timore nos ad virtutem præueniens, dixit: Iam securis ad radicem arboris posita est: omnis arbor, quæ non fert fructum, excidetur, & in ignem mittetur. præputia autem germina, seu fructus sunt, qui ex germinibus, tanquam ex capulis proferuntur. Hos ergo fructus priorum trium annorum immundos censet, & vt tales reijcere præcipit, nec manducari permittit. Quarti vero anni, sanctificandi erant, offerendo eos Domino in vsum sacerdotum, vt sic purificati, qui quinto anno accrescerent, in esum omnibus paterent. Vides externum sensum: attende iam intelligibilem & spiritalem, qui per sua incremẽta procedit. & primùm anditas Legis vsque ad Euangelij, & Ecclesiæ tempora significatur. quæ inualida fuit ad

Psal. 1. · *Hier. 17.* · *Matth. 3.*

fuit ad iustificandum, quantumuis operibus extenderetur: quoniam post figurationem mysteriorum Christi, in hoc tota fuit, vt ostenderet peccatum, vt inquit B. Paulus. [Rom. 7.] Itaque tres anni; tempora legis significant, ab ingressu terræ promissionis vsq; ad Dauid, & à Dauid vsq; ad transmigrationem in Babylonem, & à transmigratione vsq; ad aduentum Christi Iesu; qui sua præsentia in carne, vita, prædicatione, & morte, sic opera penitentiæ hominum sanctificauit, vt eis vim cælo inferre possent, & violenter illud rapere, vt inquit sacer Euangelista. [Matth. 11.] Et hoc tempus fuit, quartus annus sanctificationis fructuũ: vt quinto anno à prædicatione Apostolorum vsq, ad finem mundi Christiani homines tanquam arbores à Domino sanctificatæ, dignos pænitentiæ fructus Deo ferrent, vt dixit gloriosus Baptista, ad dictam arboris metaphoram alludens. [Lucæ 3.] Patebunt tunc autem fructus omnibus esibiles, qui pænitentiæ operibus, Domini gratia & beneuolentia, vti spiritali cibo animam nutriunt, & cælum sibi patefaciunt, quando fructus arboris vitæ, id est, ipse Christus Iesus per claram visionem manducabitur, & eius gloriæ fructibus iusti fruentur. Vbi tu Christiane lector sterilitatem, & ariditatem nostrorum operum ex se vides: nam quantumuis homines neruos extenderint, & per tres annos, id est, per totam vitam continuent, (ternarius enim totum & omne dicit, teste Aristotele) [Aristot. 1. de cælo.] sine auxilio Dei, nunquam Dei gratiam consequentur, nec merebuntur: quam tamen totis viribus conantibus, & sibi vim per pænitentiam facientibus, atq; ita quarto anno, liberaliter confert: vt deinceps fructus laudabiles Domino, & amplioris gratiæ & gloriæ meritorios exercere valeat, quod quinti anni tempus erit. Rursus processus conuersiuæ pænitentiæ, cuiuscunque peccatoris describitur. nam tria initio ipso oportet facere: rememorari nempe peccata, quæ ex ipsa anima, tanquam ex domo, in locum immunditiarum reijcienda sunt: eorum contritionem habere, id est, dolore conteri, quod tali, ac tanta sarcina peccatorum Deum offenderit, cõtumeliosè & iniuriose erga illum se habendo: atque tertio satisfactione læsionis, seu damnificationis proximorum, quæ per tres annos inesibilium fructuum significantur. Quarto verò anno his peractis, per sacramentalem confessionem factam perito & electo sacerdoti, qui sciat discernere inter leprã & leprã, facere oportet. per quã fructus diligentiæ præhabitæ sanctificantur hoc quarto anno, quia virtute sacramẽti pænitẽtiæ in voto valuerũt. & præsentes rursus, ita sanctificãtur sacramẽtali gratia, vt deinceps toto sequẽti tẽpore, quod quinti anni & status gratiæ est, esibiles animæ fructus, atq; Dño laudabiles possit exercere, arcis beneuolentiæ Dei, in qua positus est, non immemor. Cæterùm aduertas oportet, omnia hæc à fuga mali initiari: nam qui à malo nõ desistit, quî possibile est ad pænitentiam accingi? Atqui quoniam ad hoc, antiquis habitibus & veteribus consuetudinibus, tibias scindere oportet; & item prauorum conuictum & societatem omninò à se ablegare, hinc pro ingressu terræ promissæ, quæ omni genere peccatorum polluta erat, & cum hostibus congrediẽdum erat, hoc præceptum ponitur. Et prætetea tempus, quo vale dicitur peccatis, trium annorum indicitur, quia hoc tempus requirit, vt perfectè fiat: & tria dicũt omne, & totum, quod ad id sufficiens & necessarium est. & rursus, quia fuga, ab vno in aliud itur. peccator, qui peccati fugam arripit, ad virtutem transmeet necessarium est, quo tempore in ea plantari dicitur, per recogitationem grauis vitæ anteactæ, per considerationem pulchritudinis virtutis, per sollicitam meditationem beneficiorum Dei, quibus non solùm naturalia bona habet, sed cælestem sapientiã per fidem, Sacramenta Ecclesiæ & cætera bona, quibus iter ad cælũ parauit, & cõtinuè parat: vt deinceps altiùs ascendendo, quarto anno in Dei gratificationem, honorẽ, & gloriam sua opera referendo sanctificentur, & laudabilia sint Dei approbatione, quia propter illũ, & nõ humano alio fine fiant. Et quinto anno vlteriùs ascendẽdo, quãdo non solũ virtutis opera sunt, sed ex virtute prõptè & delectabiliter elicita esibiliora fiunt, quia cũ omni suauitate sumũtur, perinde ac epulæ probatiores gratia Domini sic disponente & opitulante, ad suorũ commodum & promotionem. [Aristot. 2. Ethic. cap. quarto.] & ecce etiam hîc progressum generationis virtutis.

Non comedetis carnẽ cũ sanguine, non augurabimini, neq; obseruabitis somnia, neq; in rotundũ attondebitis comã: nec radetis barbã. & super mortuo non incidetis carnes vestras, neq; figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus.

PERSISTIT Dñs in reuocatione suorũ à gentiũ moribus, quos vt cautius fugiant, plures illorũ, & qui caput aliorum essent, memorat. Viuere enim sensuũ cognitionem

ſequendo,beſtiale eſt: & ignominioſum homini, qui ad imaginem Dei creatus eſt, & Deo iniurioſum: qui pro officijs & functionibus,quibus ad ſuos fines tenderent, dignitates,varias naturas,& facultates cunctis creatis cõtulit,quas huiuſmodi homines confundunt.Primũ ergo carnẽ cũ ſanguine comedere vetat: quoniã ſuos cũ delectu operũ agere vult Dñs;bona & ſtudioſa amplectẽtes,ſpretis prauis & malis,quæ ſuffocata animalia ſignificabant: quorũ eſus cõmunis erat gentibus,quia rebus vtebantur, vt manibus obuenirent,quoniã ſenſu & nõ rationis delectu viuerent. Quod abominatur Dñs; per carnẽ enim cũ ſanguine,ſuffocatũ intelligit,& per ſuffocatũ,opus ſenſuale: & iure, quandoquidẽ ſuffocata ratione à ſenſu, tale peccatũ & erratũ ab homine egrediatur. Grauiter etiã offendunt, qui præſcientiæ futurorũ auidi, aues & alia animantia conſulant,eorũ cantus & motus obſeruando: & ſomnia etiam captãdo, ſenſus futurorũ prædices faciunt: & ipſos itẽ dæmones ſic venerantur, qui per ſenſus tẽpori ſomni,quando mens ligata eſt,ſua phantaſmata ingerunt. Etenim dignitati hominũ indecẽs eſt,inferiora ſe conſulere,ſibi detrahendo,& Deo iniuriã inferendo,qui eorum futurorũ tantũ homines cõſcios eſſe voluit,& prædices,quæ ipſe,qui omniũ eſt agnitor & cordiũ ſcrutator,ſicut omniũ eſt cõditor,in ſua ſancta Scriptura reuelauit,quod eſt gloriã & honorẽ tribuere Deo;cõtrariũ aũt dæmonibus. Deinde in rotundũ attondere comã,& radere barbam cũ gentibus,& etiã in mortuis ſe cultris ferire & lacerare diſtrictè prohibet: Illud equidem facientes,Deũ quodãmodo videtur accuſare,cũ nõ cõtenti naturalibus ornamẽtis,artificioſa ſibi alia cõfingunt,quaſi non aptè eos Dñs compoſuerit. Quod & faciunt qui exquiſitis generibus veſtium, mẽbris quæ Deus proportione quadã aptiſſima connexuit,alias formas & figuras excogitant. quod vtinã noſtris tẽporibus non vſq; adeò exorbitaſſet,vt non totius iuris cancellos homines tranſgrederẽtur. Illud verò facere,eorũ eſt,qui alterius vitæ ſpem non habent,vt affirmauit B.Paulus, hunc locũ explicando,dicẽs: ad Theſ.4. Nolumus vos fratres contriſtari in his qui dormierunt, ſicut gẽtes,quæ ſpem non habent. Non enim ſenſum in morte propinqui ,aut proximi negat,cùm contriſtari prohibet,ſed plagas ſibi inferre,more gentium vetat; Baruc 6. quarũ is mos erat,vt ſacerdotes in rotundũ tonſis comis & raſis barbis ſuper mortuos rugirẽt, vt in Scriptura traditur; 3.Reg.18. & item lanceolis proprias carnes cruentare. Itaq; luxum omnẽ veſtium,fucũ & omnem curioſitatẽ habitus,ſenſu interiori hîc taxat,quando vſq; adeò à more gẽtium, attondentium comas in rotundũ exteriori abhorret: & præcipue in maioribus,qui cæteris exẽplo eſſe debẽt. Virilem actionẽ ab omnibus rurſus petit,quando barbam radi, more gẽtium molliũ,& ſenſibus indulgentiũ prohibet. & deniq; ſpẽ æternæ vitæ iubet cõcipere,ad quã perfruendã,deſtructis corporibus;animæ reſtãt, ſi hinc debitè purgatæ per pœnitentiã & Eccleſiæ Sacramẽta diſceſſerint: quia nõ corrũpuntur cũ corporibus, vt exiſtimabant gẽtes,ſe cultris in mortibus propinquorũ corrumpẽtes. Vnde ſomnum Iohan.11. mortẽ nos appellare docuit Dñs,quãdo de morte Lazari dixit: Lazarus amicus noſter, ad Theſ.4. nõ eſt mortuus,ſed dormit. & ab eo edoctus Apoſtolus eius Paulus,mortuos dormientes appellauit,loco citato,& ad Corinthios etiã ſcribens. Pręceptiones aũt has cõcludit, dicendo: Ego Dominus.quaſi dicat, Qui conſulendus ſum,& honorandus,ac præmiorum diues.

Ne proſtituas filiam tuam,ne contaminetur terra,& impleatur piaculo. Sabbatha mea cuſtodite,& ſanctuarium meum metuite. Ego Dominus.

VIDE in quantam cæcitatẽ labantur, qui cum Deo viuere recuſant,poſt ſua deſideria abeuntes: vt filias ſuas idolis proſtituere, rẽ ſanctã & piam credant. Faxit Deus ne diabolus effrænis inuadat,nam pluſquam beſtiales motus & cogitatus exercebit, in his quibus laxis habenis dominabitur. Suadebant enim gentium ſacerdotes plebi idola, pulcherrimas virgines adamare,quas illis proſtituere oportebat,qui gratiores,& liberaliores eos ſentire expetebant : quod cùm nocte facerent, tempore ad id opportuno, eis Ioſeph.lib antiq.20. ſacerdotes abutebantur, deos ſe fingentes: Vnde ſic opprimi,ipſæ rem piam & ſacram exiſtimabant. Atq; in templo Iſidis tempore Tiberij Cæſaris, traditur fœminam quandam,à quodam ementito Deo violatam fuiſſe, corruptis pecunia ſacerdotibus: Quod cùm reſciuit Imperator,& templũ deſtruxit, & internuncios ſacerdotes in crucẽ egit. Vbi vides dæmonum ingenium in obſcœnitatibus tactus ,totum poſitum eſſe. Vnde, quos viderint in hoc vitium propenſiores ,confidenter ſollicitant, nunc apertè , nunc

quæſitis

quæsitis ali[illegible]s coloribus, nunc prætextu religionis, vt eis dominentur tanquam [illegible] in qu[illegible]nd[illegible], hoc [illegible] [illegible]edi [illegible] a D[illegible] [illegible] ha[illegible] suffocar[illegible]t. Omni igitur cura ab [illegible] [illegible]ate, anima [illegible] est: [illegible] viol[illegible]tos [illegible] d[illegible] [illegible]bet. & hoc quidem [illegible], atq[illegible] loco, [illegible] diebus [illegible], quibus [illegible] [illegible]orpori [illegible] hoc p[illegible] est [illegible] bu[illegible] loc[illegible] de[illegible] [illegible] portunita[illegible], diabolus v[illegible]s est ad horribi[illegible] scelera [illegible] in [illegible] Qu[illegible] pter [illegible] prod[illegible] [illegible] custodia [illegible], & [illegible] Domin[illegible] coniunxit. [illegible] post a[illegible]uertentiam, quam [illegible] facit [illegible] n[illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] pec- ca[illegible] Dom[illegible] ab [illegible] & ratio[illegible] adh[illegible] nec [illegible] & [illegible] p[illegible] pu[illegible]. P[illegible] [illegible] [illegible] pol[illegible]tur, [illegible] p[illegible] & macu[illegible] & tot[illegible] [illegible] [illegible] du- tur [illegible], [illegible] peccat: Q[illegible] co- po[illegible]s, & [illegible] peccat. H[illegible]c autem [illegible] pu[illegible]itas & pulchritud[illegible] & si o[illegible] & loco n[illegible] d[illegible] tamen [illegible] anima [illegible]tan- d[illegible]um [illegible], & to[illegible] pere hebet[illegible] at. & Deum a[illegible] sic[illegible] fi[illegible] M[illegible] , se v[illegible] D[illegible] [illegible] orat[illegible] us cor[illegible] or[illegible] ne[illegible] templ[illegible] Dei ten[illegible] Christus [illegible] Euch[illegible], [illegible] , [illegible] sacrum Deum lau[illegible] [illegible] ex[illegible] A[illegible]c enim Patri[illegible], sca- la[illegible] a[illegible] [illegible] mulieres in Eccl[illegible] capite [illegible] & tantam ma[illegible] Ch[illegible] Ec[illegible] [illegible], dix[illegible] D[illegible] Dei [illegible] in lon[illegible] & rursus [illegible] in te[illegible] [illegible] In co[illegible] an- gelorum [illegible] ad [illegible] templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. & d[illegible] hæc a[illegible] in E[illegible] Deo placet. quod e templo Salo- m[illegible] ram horum [illegible] indignatione, flagello [illegible] [illegible], at[illegible] [illegible]hanos e[illegible]t. At [illegible] c[illegible] custodia an[illegible] a profit[illegible] pe[illegible]cat[illegible] [illegible]diam sabbathorum & sanctum sanctitaté com[illegible] & [illegible] F[illegible] Dom[illegible] [illegible]um vltorem se exhibens, in eos qui contra [illegible] [illegible] eiu[illegible] honore pugnant.

[illegible] s ad [illegible] ario[illegible] aliquid [illegible] vt polluam[illegible] [illegible] D[illegible] [illegible] p[illegible] [illegible] t me [illegible] D[illegible] : [illegible] rit a[illegible] na [illegible] v[illegible]stra, [illegible] non [illegible] est inter [illegible] [illegible], & d[illegible] eos qu[illegible] [illegible]osmetipsos. [illegible] & [illegible] [illegible] Dom[illegible]us Deus v[illegible]er.

O[illegible] mo[illegible] derat. [illegible] propter futurorū, quæ longi[illegible] ab homi- num [illegible] m h[illegible] max[illegible] Et [illegible] ei[illegible]s cr[illegible] [illegible] [illegible] sua[illegible] [illegible] ad [illegible], [illegible] at[illegible] pr[illegible] & [illegible]mine c[illegible] [illegible] quod homin[illegible] d[illegible] & [illegible] gre[illegible] est. At [illegible] ar[illegible] ex [illegible] na[illegible] ea[illegible] pr[illegible] Cuius fr[illegible] don[illegible] no[illegible] [illegible] d[illegible] [illegible] f[illegible] crea[illegible] m[illegible] [illegible] vera h[illegible], vt [illegible] [illegible] em[illegible] D[illegible] [illegible] prophetas meos & sacerdotes, qu[illegible] me[illegible] nomine, [illegible] o popule con[illegible]

Luc. 8.
Iohan. 8.
Gen. 28.
1. Cor. 11.
Psal. 137.
Ioan. 2
Aristo. 1. metaph.
Cicero lib. de diuinitate.
Aristote. 6. Ethic.

ſcire & oporteat facere, ex Scriptura & cognitione, q[illegible] ego illis com[illegible],dicent. Con[illegible] & interroga prælat[illegible]s & doctore[illegible], quos e[illegible]o in officio & di[illegible]te docendi, & vos ducendi, in via veritatis præfeci: conſule, dico ip[illegible] [illegible]iam, & [illegible], & ve[illegible]are [illegible]t matrem; ipſa enim a me ed[illegible]cta per Scrip[illegible] ſan[illegible]am, & E[illegible]angelium meum, quod ei credidi, in ſcientia fidei docebit, & in v[illegible] vitæ [illegible]et, & [illegible] vero c[illegible], & r[illegible]one [illegible]. quod nos docen[illegible] maior[illegible] obedien[illegible] & ho[illegible]rem, cum au[illegible]ſpicum vitati[illegible]ne, coniunxit. Duobus autem, ſeniorum [illegible]en[illegible]rat[illegible]one [illegible]: com[illegible]ection[illegible] c[illegible] cano capite, & [illegible] ti[illegible]e [illegible] ſe[illegible] prius d[illegible]et locum dignitatis ita illi cedere, vt ſileatur, quando ille loquitur & cum attentione [illegible], & t[illegible] q[illegible]æ docu[illegible]t, memoriæ mand[illegible]ur [illegible] cano capi[illegible]urgere. illi [illegible]nde[illegible] ex rerum experientia [illegible]culum [illegible]uendam [illegible]mp[illegible]rarunt. Vn[illegible] non

Ariſtot. 7. Ethic.

[illegible], [illegible]ert[illegible]ioni rationi, [illegible] q[illegible], [illegible]. Sed exter[illegible]s omiſ-

Lucæ 6.

[illegible] [illegible]cle[illegible]æ [illegible] auctoritatem quanti æ[illegible]imauit hac in parte [illegible] quanti ſuam [illegible]ita e[illegible] in-q[illegible]it [illegible], me audit: & qui v[illegible] ſpernit, me ſpernit. & S[illegible] antè:

1. Reg. 8.

Non e[illegible] te ſpreuerunt te, ſed me, ne regnem ſuper eos. Poſterius verò obedientiam, ſubiectionem, & etiam ſubiectionem in[illegible]t, quæ ſuperiori[illegible]s debet[illegible]r, vt p[illegible]nerationis naturalis: nam regenerationis ſpiritalis, per diui[illegible] verbi ſubminiſtrat[illegible], & ipſi parentes ex[illegible]unt: vt de ſ[illegible]p[illegible]o[illegible]tus eſt B. Paul[illegible] Corin[illegible]. Per Euan-

1. Cor. 4.

gel[illegible]um ego vos g[illegible]i. Vnde præc[illegible] q[illegible]arto decalo[illegible]e honoratione parentum prælatorum & Eccleſiæ obed[illegible]nt[illegible]a & [illegible]at[illegible], in p[illegible] pr[illegible]pit[illegible]r, ad e[illegible]m per [illegible]tiam p[illegible]re[illegible]tum [illegible] nos [illegible]uens. A[illegible]ne ætate au[illegible] prætextu ſ[illegible]ientiæ a[illegible]us, ſupe[illegible]orem meti[illegible], & te deceptus præcipitat hære[illegible]s [illegible]o. ſapientia C[illegible]a

Sapien. 4.

QVONIAM sacerdotum caput erat pōtifex maximus, ea quæ sacerdotibus prohibuerat, & ipsi item strictiùs tamē: quia pro maiori & absoluta dignitare diligētiùs, imò omni cura absolutū officiū prestare debet. Dignitate ergo eius ob oculos posita, quā sacri olei vnctione, manuū cōsecratione, vestium sacrarū indutione exponit; quia hæc sacerdoti maximo ex priuilegio officij tantùm cōueniebant: morē lugentiū, quo suum sensum super mortuum testabātur, nempè nudare capita, vestes dilacerare, interdicit: domos item mortuorū mœrētes adire, etsi patris, aut matris mortuæ fuerit: & huius officij gratia sanctuarium, aut templum egredi omninò vetat. Quoniam domum mortui ingrediēs, ipso facto pollutus erat, quod à summo sacerdote, qui purum protinus se in omnibus exhibere oportebat, alienum esse cōueniebat. Deinde tertiò, non so-

non solùm meretricem, repudiatam, sed & sordidam ab eius matrimonio excludit: virginem tantùm puellam populi sui, ne vulgo eius cognatio misceatur, permittens. Sub cortice autem huius literæ intelligibilis sensus moralis & spiritalis latebat. Etenim pontificem sic componebat moribus Dominus, vt ab vsibus profanis omninò abstinere vellet. nam sensus mortis non solùm patris, aut matris & propinquorum, sed & ciuis populi, qui vltima coniunctione nos attingit, naturalis est, ipsamq; commouet naturâ, nec resisti potest. Quare nec id vult Deus: sed vt intelligeretur, quàm sequestratum vellet pontificem ab vsu profano sæculi, externum testimonium naturalis sensus, habitu ab istis separat. Vt qui pondus fidei, immortalitatis animarum beatitudinis æternæ, & mortuorum resurrectionis animosè & immobiliter, cum cæteris mysterijs fidei ferre incumbat. Vsqueadeò præterea mundum à peccato optat, quòd ab specie leuissimi peccati, qua populus offendi poterat, omni cura & diligentia illum abstinere præcipit. Quapropter & notam illam leuissimæ pollutionis, quam incurrebat, qui domum cadaueris ingrederetur, fugere districte præcipit: reputans sanè ingressu sanctuarij, aut templi indignum eum, qui gratia visendi talem domum, à sanctis, hoc est, à templo egrederetur. Et causam subijcit: quòd sacræ vnctionis oleum super se habeat, quasi dicens: Supremi officij causa, nec minimis sæculi curis tangi ostendere debet. De his enim primùm intelligitur, quod beatus Paulus Thes.5. dicebat: Ab omni specie mali abstinete vos. Et tandem in his, quorum curam gerit, tantum studium & curam pontificem ponere vult, vt omnem candorem habeat, totiusque virtutis specimen imitandum cæteris præbeat. Cæterùm spiritaliter hæc de Christo Iesu redemptore nostro dicta fuisse, fermè per totã epistolam ad Hebræos explicuit beatus Paulus, quando omnia quæ de pontifice maximo in Lege scripta fuerunt, per ipsum exhibita fuisse declarat. Esto ergo certum in fide argumentum, eum sensum, Spiritum sanctũ sub figura & vmbra intendisse. Accedit prætereà, quòd hoc loco absolutè è sanctis non egredi pontificem iubetur: quod illi adimplere impossibile erat, cùm & vxoratus esset, & familiam haberet, cum qua in templo agere omninò erat prohibitum. Sensus igitur de Christo patens est, qui mente, verbo, & opere, semper in cælestibus egit, nec vllo modo offendere potuit: ob idq; solus ipse à sanctis non est egressus, & singula hìc figurata mirificè compleuit. Etenim caput non discooperuit, quoniam à patre (caput enim Christi Deus, inquit Paulus) postremas sustinens passiones, nunquam separatus est, nec ab eius gloria & honore discessit, quod esset caput detegere. Nec vestimenta scidit, quoniam eius sacratissima caro, nec clibano omnium tribulationum ardens, nec cruci affixa, nec sepulta, se vnquam abscidit: semper enim diuinitas cum ea hypostaticè vnita adfuit, & in æternum aderit. nam quod semel assumpsit nunquam dimisit. Corpus autem vestimentum animæ, frequentissimè in sacris literis appellari, sæpe iam probauimus. Neq; mortui domum Esai.13. ingressus: nam etsi omniũ nostrum peccata portauerit, & cum publicanis & peccatoribus conuersatus fuerit, nunquàm labe peccati pollutus fuit, quia dominum vitæ & mortis, domus contagij neutiquam lædere potuit: sed sanctus semper fuit à sanctis nunquam egrediens. Et virginem denique vxorem duxit, Ecclesiam nempè sanctam, Ephes.5. gloriosam, non habentem rugam neq; maculam, in sacro fonte baptismatis, ipsa niue candida, candidiorem efficiendo: Synagogam, vt meretricem sordidam à patre æterno repudiatam negligens. equidem libellus repudij in figurã huius derelictionis Synagogæ permissus fuit. Hęc autem primùm in capite nempe Christo, secundò autem in pontificibus, id est, Episcopis eius principalibus membris, adumbrata fuerunt. Hi enim nunquam detegere caput debent, hoc est, à mente & intentione pro cura officij sui, Christi honorem & gloriam dimouere, sed se omniaq; sua bona, pro ea tuenda postremis periculis exponere, more serpentium, qui seipsos intorquendo, instante periculo caput intra suos anfractus absconditissime reponit. Vnde Dominus aliquando Matth.10. dicebat: Estote prudentes sicut serpentes: Ecclesię siquidem caput Christus est, vt docet B. Paulus. Nec vestes dilacerare debẽt super mortuũ: quoniam integris virtuti- Ephes.5. bus (quæ vestes vitæ sunt) ornati semper, omnibus conspicui in Ecclesia Dei incedere debent, vt in altissimo mõte positi, nec eas vel in minimo disrũpere. In singulis autem actionibus proprioq; vitæ habitu, sic se debent gerere: quod nec leuem suspicionem peccati generent: tantùm abest, vt illud admittant. Hoc autem admonet Dominus,

quoniam imitatione Christi Iesu, cum peccatoribus, qui in grege suo fuerint, lucrandi eos gratia, conuersari debent: & præsente serpente, & instante, mortium fugere, & pice se obtendente, ab ea non infici, strenuissimi Christi militis est, qualem pontificem quemque desiderat Dominus. Atque hoc est, domum mortui non ingredi, scilicet eius peccatis non contaminari. Et quod amplius est, si peccatum hæresis fuerit, quo fides deperditur: vnde Deus pater omninò, & non solùm per charitatem ejicitur, & mater Ecclesia inobedientia læditur: Huic enim morbo se pontifex opponens (de patre æterno & matre Ecclesia mortuis in animabus illorum intelligens) prius vitam amittat, quàm è sanctis egrediatur, id est, quàm fidei sanctitatem & religionem, tactu illorum contaminatus, relinquat. Demùm iam, quoniam prælatus io omni cura, & studio gregẽ sibi commissum in simplicitate & puritate veræ & catholicæ fidei seruare, & promouere pro officio debet: & quoad fieri possit ad candorem eum vitæ, quem in baptismo promisit, adducere conari, (quæ virginitatis, quam Deus adamat, ornamenta sunt) virginem puellam in vxorem ducere hic præmonebatur. Quod beatus Paulus in propria persona explicans, Corinthios quos illi Domino crediderat, alloquens dicit: Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Vnde hinc dignitates has ambientes, ad quid anhelent discant, & simul qui ipsis præfecti sunt, quanto conatu oneri vehendo, humeros submittere debeant.

Eccle.13.

2.Cor.11.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus, omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in sanctuario, ita duntaxat, vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare quia maculam habet: & contaminare non debet sanctuarium meum: Ego Dominus, qui sanctifico eos. Loquutus est ergo Moyses ad Aaron & filios eius, & ad omnem Israel cuncta, quæ sibi fuerant imperata.

ITA natura comparatum est, vt cùm corpus animæ tabernaculum, receptaculum, ac vas, & instrumentum quoddam sit, pro eius dignitate, pulchritudine, aut deformitate, vti eius procemium & symbolum dispositum, frequentiùs cernatur; homini domus, & arti instrumentum, & domino seruus denique respondens. Vnde omnium opifex Dominus, in homine suam architecturam prospiciens, rudibus & infantilibus pannis agentibus, corporum vitijs, animarum maculas & peccata significabat. Ac proinde diuinæ sapientiæ cognitionem, & omnem vitæ candorem in sacerdotibus populi ducibus, in huius sæculi militia exoptans, defectibus corporis hic enarratis notatos, à dignitate sacerdotali coërcet: & quòd eius item præsentiæ, vt ipsius secretorum creditores, & cultus sui ministri, quotidie comparere debeant, & mundos ac purificatos pœnitẽtiæ cultura velit: & tales denique, quòd nec ipsum ad nauseam, nec populum ad horrorẽ prouocẽt. Primùm ergo, cæcum, lippũ, aut albuginẽ in oculis patientẽ, fungi sacerdotio prohibebat: quoniam legis & integram voluntatis Dei cognitionẽ, quam oculi significaut, amat: & Ecclesiasticæ disciplinæ ignorantiã in sacerdotibus omninò respuit. Ob quod non solùm cæcum, qui obtenebratos penitus habet oculos, sed & lippum aut albugine cæcutientem, qui eos, qui in superficie & sensu externo sapientiæ diuinæ scientiam aut operationem, & vitæ actionem, vt hypocritæ tantùm habeant, à suo ministerio excludit. Etenim oculi perspicui, mentis intelligentiam significant aptissima similitudine: nam vt sol oculus mundi positus, tenebras excutit, & veros colores apparere facit; & corporales hominis oculi obscuritatibus fugatis, rerum differentias, & colores veros discernunt: ita mens intelligentia & rerum cognitione, & errores excutit, & synceram veritatem discussam amplectitur. Vnde & Deum omnipotentem, qui totius sapientiæ fons perennis existit,

Aristot.1. Polit.cap. tertio.

B.Iacobus

B. Iacobus oculum & patrem luminum, id eſt, oculorum mundi, maiorum ſcilicet, ſolis & lunæ appellauit. Iacob. 1. Deinde ad concinnitatem fidei & operum reſpiciens, claudum, & fractum pedem, aut manum habentem reijcit: nam claudi erant qui cum lege errores Baal ſequebantur; & eodem iure, qui Euangeliũ obtendentes, ſuos errores ſequuntur, vt hæretici & Iudæi noſtro æuo. Fractum autẽ habent pedem, qui integram Chriſtianam cognitionem agendorum habentes, ſtudio & affectu ſic operandi carent, à vehementiori ſenſu perturbante fracti: vt fractam manum habentes, qui vt cognoſcunt, atque adeò inſtructi ſunt, non operantur. Eos prætereà qui naſum paruum, grandem, aut tortum, & aduncum haberent, ſuo miniſterio non acceptabat. Equidem vult Dominus ſacerdotem ſagacem, & rerum agendarum diſcretione prudentẽ; & ſic ad ſuum officium & diuinum miniſterium ſe accingentem, vt boni odoris Domino placendo, 2.Cor.2. ſemper eſſe procuret: quorum ſymbolum eſt naſus inter aures & oculos conſtitutus. & ſagacitatem ſignat: quòd vniuſcuiuſq; rei odorẽ ſtatim exploret, & prius ſentiat, quàm inſpexerit. acceptationem verò diuinam, ex ſuauitate qua optimos quoſq; odores amplectitur, notat: vt exaſperationem, graueolẽtium fuga. Sic enim illud Scriptura docet, Gen. 8. de ſacrificio Noë, dicens: Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis: hoc eſt, ſacrificia quæ vir ille ſanctus Deo obtulerat, grata illi fuerunt. Iſtud verò ſanctus Dauid, quòd cũ 2.Reg.22. ſui vindicationem Dominus fecerat, puniendo eos qui ipſum exaſperauerant, his verbis docet: Et aſcendit fumus de naribus eius. Hinc igitur Dominus eos, qui ex diuinis inſtitutis, actiones tantùm, quæ ipſis placent, probant, & quæ ſui intellectus examini cõſentiunt, reliqua negligentes, non acceptat: quoniam paruum naſum habent, vt nec illos qui omnia tam bona, quàm mala, vt ſe offerunt, (quia abſque diſcrimine omnia probant) amplectuntur. Hi quidem magnum naſum habent; vt illi, quibus crimina & peccata tantùm placent, aduncum, & tortum: Quos omnes in ſacerdotium Dominus non admittebat: quia nunquam talium ſacrificia, & Miſſarum celebrationem ex parte offerentium, Deo placere poterunt. Gibbus prætereà à ſacerdotali dignitate reijciebatur: quòd eum ſignificet, qui cùm ſarcina peccatorum oneratus incedat, delicta & peccata, atque errores ſuos non intelligat, vtpote, qui nõ videat, quod ſuæ manticæ in tergo eſt. item gibba, indicium futurorum à ſapientibus mundi portendebat. Vnde Domiciani aruſpices (vt à Pierio in Hieroglyphicis refertur) gibbam per ſomnium ſibi viſam, inter- Pierius lib.27. pretati ſunt, in ſuæ ſententiæ commendationem. Quare cùm prudentia, prouidentia ſit, ſymbolum prudentiæ huius ſæculi ponitur, & aſtutos homines, & negotioſos huius vitæ ſignificat. Vnde clarè vides rationem, qua à ſuo altari, huiuſmodi repellebat. Scabioſos item, & qui impetiginem paterentur, etiam ab altaris miniſterio coërcebat: per quos non ſolùm intelligit eos, qui ſenſu externo literæ contenti, intellectum abſconditum negligebãt, ſed etiam eos, qui cæremonijs omninò intenti, vt hypocritæ, rebus cor & animum non applicant, aliàs cupiditatibus pleni, ob idq; impetiginẽ dicuntur pati, quæ in ſuperficie impetu, à quo habet nomen, pruriens, corpus ſquamoſum reddit, ipſumq; dehoneſtat. & tandem herinoſos homines, qui inteſtina in ſacculum teſticulos ambientem, dilapſa habent, excludit; quia eos ſignificabant, qui omnium obſcœnorum cupiditatibus pleni ſint, & ex ſe omnia ſtercora peccatorum egerãt: qui ſic agentes Dei beneuolentiam nullatenus captare poterunt, quod officij ſacerdotum eſt. Hos tamen omnes veſci panibus oblatis concedit: docens proculdubiò, peculiari inſtitutione eos indigere ſacerdotum, vt à tenebris errorum & lapſibus vitę tam importunis, eorũ diſciplina & exhortatione eruerentur. quod erat panibus oblatis veſci. Vbi planè vides, non hos ob notas corporis à ſuo altari abieciſſe, ſed propter errores mentis, & animæ radicata peccata. Quod & apertiùs docet, cùm dicit: Ego Dominus, qui ſanctifico vos. quaſi dicat: accedentes ad altare meum ſpecialiter ſanctifico, ſanctitatis & gratiæ nouis donis cumulando. Quî ergo id efficiam, & eandem ſanctitatem vos conſequemini eiſdem, peccatis & erroribus pleni, repugnantes? minimè ſanè. & item quando hos quos veſci panibus oblatis concedit, ab ingreſſu ſanctuarij coërcet, rationem ſubijciens; ne ſcilicet ipſum polluant, & contaminent? Quia maculam, inquit, habent. Non autem corporis, ſed animæ macula, ſanctuarium contaminabatur.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

LOquutus quoque eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius, vt caueant ab his, quæ conſecrata ſunt filiorum Iſrael, & non contaminent nomen ſanctificatorum mihi, quæ ipſi offerunt. Ego Dominus. dic ad eos, & ad poſteros eorum: Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. Ego ſum Dominus.

HABITO de dignitate ſacerdotum ſermone, conſequens erat, vt de oblationis eorum vſu etiam haberetur, deq; ratione eorum quæ offerenda erant, quæ hoc capite Dominus diſponit. Lex ergo vſum Domino oblatorum reſpiciens erga ſacerdotes, primùm in genere quamcunque profanam, immundam, & iniuſtam diſtractionem, ſub graui comminatione prohibet, dicens: Ego Dominus. ſcilicet, qui grauiter animaduertero in eos, qui ſecùs fecerint. Deinde in ſpecie omnibus ſacerdotibus ab Aarone vſque ad minimum ſacerdotem per omnem eius poſteritatem præcipit, ne immundi & impuri ſacrificijs veſcantur: comminatione, deterrens aliter facientes, ſublationis e populo. In cuius teſtimoniũ ſubdit: Ego ſum Dominus, ſcilicet fidelis, & verax, qui meas comminationes non fruſtrabo. Priorem partem commendat Dominus, quòd nomen ſanctificatorum, conſecratorum, ea ratione contaminent, & polluant: iniuſta enim attrectatio, & acceptio oblationis, cùm profana ſit, oblationem ipſam ſummopere profanat, cùm iniuſtè & irreuerenter, ac ſi res profana eſſet, eá contrectet. Polluunt ergo hu-
1.Reg.2. iuſmodi nomen ſanctificatorum. Cuius ſceleris pœnam duo filij Heli, Ophni & Phinees ſenſerunt: qui, dum carnes oblatæ coquerentur, mittentes in ollam fuſcinulam tridentem, quantum leuabant, ſacerdoti ſeparabant: imò & inuitis immolantibus, partem carnis crudæ, antequam adoleretur adipes tollebant. ob quod à Philiſtęis mortui ſunt, quando arca Domini capta fuit. Poſteriorem verò, quòd Domino cõſecrata & oblata ſint, veluti cibi & epulæ eius menſæ expoſitæ: quare omni puritate & mundiria nitentes. Qui ergo immunditia & peccato ad eos accederet, ipſiſq; veſceretur, eas & Dominum ſimul negligeret, & parui faceret: Vnde & læſæ maieſtatis reus, pœna capitis iuſtiſſimè plectendus veniebat; quàm, mortem animæ perpetuam in inferno, iam ſignificate, diximus. Ecce legem, vide iam ſpiritum. Latius ſuprà oſtenſum eſt, omnia ſacrificia animalium, ſacrificium Chriſti cruentum in cruce ſignificaſſe: & nuper viſum eſt ſacrificium eiuſdem Domini incruentum in celebratione Miſſæ, panum propoſitionis oblationem figuraſſe, vt oblatio illa Melchiſedec ſacerdotis. Quapropter vſum oblatorum hoc loco ſtatim ſubnectens, proculdubio myſterium ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ad eamq; legitimum acceſſum, hic à longè deſignauit. De qua re duo docet: alterum eſt, myſterium huius ſanctiſſimi Sacramenti, ſacerdotibus tantùm reſeruatum, contra hæreticorum inſaniam, cuilibet è plebe eius adminiſtrationis & tractationis, copiá facientium. Etenim ſi conſecratorum, & ſanctificatorũ Domino, quæ vmbra & figura erant, tractatio & miniſtratio ſolis ſacerdotibus erat demandata; quis ſanæ mentis, veritatem & corpus, vbi tota dignitas & ſanctificatio eſt, profanis committet? nemo profectò niſi
1.Paral.13 hæreticus; qui compulſus eſt negare Scripturam, plectentem Oſiam, quòd laicus & profanus arcæ Domini ruinam minitanti, humeros ſuppoſuiſſet. Eſt ergo officium hoc ſacerdotum munus: quibus præcipitur hoc loco, vt ſanctè & purè res ſacras tractent, & non profanè: ne ex ſuo irreuerenti vſu contaminent & polluant nomen Ieſu Chriſti ibi contenti; & ſcandalo & offendiculo populo ſint ad non timendum Deum. Deinde acceſſus ad hoc ſanctiſſimum Sacramentum, purus & mundus & abſque labe omnis peccati præcipitur, ſub pœna, quòd peribit de populo coram Domino, id eſt, mortem æter-
1 Cor.11. nam incurret; vt interpres Scripturæ B. Paulus dixit: Iudicium ſibi manducabit, & bibet: & rurſus, ob defectum puritatis & mundiciæ, dormiſſe multos, hoc eſt, mortuos eſſe aſſeuerat. Oportet ergo ſe priùs diligenter ſacerdotem probare, quàm ad ſacrum myſterium conficiendum, & ſumendum accedat.

Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egredietur semen quasi coitus, & qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cuius tactus est sordidus, immundus erit vsque ad vesperum, & non vescetur ijs, quæ sanctificata sunt: sed cùm lauerit carnem suam aqua, & occubuerit Sol, tunc mundus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est. Morticinium & captum à bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. custodiant præcepta mea, & non subiaceant peccato, & moriantur in sanctuario cùm polluerint illud. Ego Dominus, qui sanctifico vos.

DISPOSITA debita sacerdotum accessione ad tam mirabile Sacramentum, sub eadem legis pędagogia, totius Ecclesiæ vniuersalis habitum, quo ipsum reuereri, colere, & adorare sumentes debeant, apertè obumbrat. Nam aliàs quorsum tanta cura de munditia & puritate manducantium oblata & sacrificata, quæ cùm corporalia essent, corporis munditiam & dispositionem tantùm requirerent? est ergo hîc sub tegumento manducationis Deo sanctificata, esus sacratissimi corporis Christi Iesu, in Sacramẽto sancto Eucharistiæ reconditus, & adumbratus. Quod & rerum consequentia docet: nam ab oblatione panum propositionis, qui aperte panem cælestẽ sanctissimæ Eucharistiæ significarunt, ad dignum esum immolatorum sermonem transtulit. De ipso igitur disserens, Ecclesiam suam indignæ accessionis ad hoc Sacramentum admonet, peccatorum genera, quę eam commaculant, detestando: vt ad dignam quo ad fieri possit, mediante gratiæ facultate à Deo data, pro humana fragilitate præparentur. Cui rei etiam manifesto argumento suffragatur: quoniam familiam Aaron, ad immolatorum esum instruit, quæ domum & familiam Christi, cuius Aaron personam sustinebat, manifeste significauit. Familia autem Christi & domus eius sponsa sancta & catholica Ecclesia ést. Igitur cùm familia, duobus generibus personarum constet, & filijs ac posteris ex capite domus per propaginẽ descendẽtibus, & ex cæteris, qui ad rẽ eius conficiendā & augendā pertinent; de omnibus disserit. Statuit ergo de prioribus, immolatis aut oblatis vesci nõ posse leprosum, nec seminifluentẽ, donec sanẽtur: deinde immundũ super mortuũ, id est, ex contactu illius qui fuerit immũdus, ex cõtactu mortui: tantũ abest, vt qui tetigerit mortuũ vesci possit, à sanctificatorũ vsu excludit, cũ his, qui patiũtur seminis fluxũ ex coitu: & qui tetigerit reptile, aut aliquid ex cuius tactu, iuxta ea quæ suprà disposita sunt, sordidus & pollutus euaderet: & tãdẽ eos qui cadauer, aut à feris discerptum comederint: nam talium esus necessariò edentes polluebat. Primò ergo eos, qui in manifesto crimine sunt coërcet, & à legitimo accessu ad Eucharistiæ Sacramentum remouet, vt sunt leprosi, id est, qui cooperti peccatis more gentium viuentes, quas per leprosos potissimùm intelligere diximus; & hæretici atque Iudæi, qui apertum bellum cum Christo gerunt, eius fidem negando: & Ecclesiæ iugum illi excutiendo, hi verò oppugnando verbis inanibus propriæ dementiæ & suggestionum antiqui impostoris, animam iuxta eius placita effutiendo: vnde seminiflui appositè nominantur. Horum ergo impudentiam Dominus præuidens, eos donec sanentur, & in saniorem mentem redeant, à sua mensa excludit, recepturum tamen sanos pollicendo. Secundo loco indignos iudicat, qui tactu immunditiam contraxerint, & vaniloquos, assentatores, scurras, qui nemini parcunt, dum lepidè dicant; & vt mundo blandiantur; ex officio Dominum exasperãt, & vt astantium cachinnos excitẽt, se in æternas miserias detrudere non reformidant. Hi omnes, & qui voluptatum tactus, lenocinijs verborum, captatores existunt, ob quod seminis coitus emissores, quandoquidem non alterius rei gratia loquũtur, seminiflui appellantur. Quibus pænitentiam iniungit: quia peccatum in voluntate est, quod pænitentia, & dolore excutiendũ est; & nõ errant in errore intellectus, vt gentes leprosæ Iudæi atq; hęretici fluxum seminis patientes, quos sanari etiá priùs in mente vult, quàm recipiat: & bene nota, quòd de posteris & descendentibus ab Aaron sermonem habens, inter eos gẽtes recenset leprosorum nomine, in amplitudinem sanẽ & maiestatem Ecclesiæ fideiq; Christianæ, docendo quotquot sub cælo agunt nationes, à veritate fidei Dei discessisse. Vt per viam Cain in principio factum est: deinde post dilu-

post diluuium per filios nequam Noë; & post ascensionem Christi ad cælos per Mahumetum: is enim ex matre Christiana, & patre gentili, diabolico impletus spiritu, facilè suasu Sergij hæretici, ex Euangelio & Lege miscellaneam quandam faciens, libertatem carnis sequutus, auctorem se nouæ sectæ religionis fecit. Quem, quos Mauros nunc appellamus, sequuti sunt, & etiam Tartari, & Scythæ contra religionem Christianam insurgentes: Hi quippe cum Mahumetis pacti, vt vnà in Christi Ecclesiam bello irruerent, eandem sectam sunt professi, qui tantùm, ex prædicatione B. Pauli & aliorum Apostolorum, quiq; ipsum comitati sunt, gentiles his orbis partibus remanserunt. Sed ad pænitentes redeundo, tempus pænitentiæ præscribit vsq; ad vesperum & occasum Solis, & aqua lachrymarum, saltem cordis, eius substantiam designat. Quoniam occasus solis, mors scilicet Christi redemptoris nostri, quæ ad vesperum fuit, necessaria semper ad remissionem fuit: Quare pænitentia semper, exspectandus erat & petendus, vt fide Christi passuri, veniam peccatorum consequerentur. & qui ita mundum se præstiterit, sanctificatis, inquit, vescetur, quia panis, aut cibus illius est: Etenim sacrosanctum Ioan. 6. Eucharistiæ Sacramētum, sanctificatis illis figuratum, panis & cibus in vitam spiritalem Christianis absque peccato sumentibus est: dicente ipsomet Domino: Caro mea verè est cibus: & rursus: Ego sum panis, qui de cælo descendi. alijs mors est & venenum: Nā 1. Cor. 11. iudicium sibi manducant & bibunt. Tertio loco indignos tali cibo pronunciat eos, qui morticinum, hoc est, ex se sponte mortuum aut a bestia dilaceratum comedunt: id est, qui non ex fragilitate & contagio prauorum, ignorantes quoquā pacto, & incauti, peccata contrahunt, vt præcedentes, sed scientes, & ex malitia mala perpetrant: Huiusmodi enim, vt qui ex intento & proposito terrenis rebus cor infectum habeant, escis spiritalibus, & supercælestibus, indignos omninò & pollutos se præbuerunt. Quibus non pænitentiam, sed reuerentiam intimat, dicendo: Ego sum Dominus; quasi dicat: qui in escam vobis veram animæ, & cibum, in mysterio Sacramenti altaris, me aliquando futurum polliceor. Quòd si Dominus sum, & sanctus sum: Videte, qua impudentia & irreuerentia, ne dicam vilipendio, obscœnos, turpes, & pollutus vos cognoscentes, me edere præsumatis? Præterea cum posteritate Aaron sermonem finiens, vti ad Moysem eum conuertendo, omnibus enumeratis, desitionem à peccatis initio exigit, fugamque seu definitum propositum in futurum cauendi per custodiam præceptorum decalogi, quibus sua voluntas nobis propalata est: ne subiacentes peccato, moriantur in sanctuario. id est, vitam quærentes, mortem sibi consciscant animarum, pollucentes sanctuariū, id est, altare Domini, in quo ipsamet sanctitas substantialiter existit, vnigenitus nempe, Dei Filius, cum ea maiestate gloriæ, qua ad dexteram Patris resider. Vnde subdit: Ego Dominus, qui sanctifico vos, id est, qui volo vos sanctos esse; & qui mea gratia, & misericordiæ largitate puritatem & sanctitatem vobis præbeo parū est: sed qui homo factus, sapientiam Patris vobis inuulgaui, qui mortuus pro vestra redemptíone, & resurgens pro vestra iustificatione, & gloriosus pro vestra in gratia sustentatione, hic sub specie panis vestram amicitiam semper conciliare decreui: atque hæc omnia ob vestram sanctificationem. Videte, quam exules & à peccato alieni ad me accedere debeatis? Vbi disce & alia mente repone. non puritatem, munditiam, candoris dignitatem ab accedentibus positiuè exaggerando requirere; vt scrupulis sanè obuiaret, qui insurgerēt, animum premendo; scilicet si ad eam dignitatem accessi, si mensuram requisitæ pænitentiæ attigi, & reuerentiæ mensuram æquaui? quæ misertimè animos horum discruciarent: sed negatiuè, vt diligentia pænitentiæ adhibita, absq; conscientia peccati accederent. Equidem peccata sunt, quæ Dominus odit, & quæ importunissimè post primam Adæ præuaricationem, Dei honorem oppugnant. Quod præuidēs Dominus, germina hæc, quæ ex illa prima præuaricatione pullulauerant: & eius grauitatem explicando, terram ani- Genes. 3. mæ, spinas Adamo germinaturam, sub maledictione corporalis terrę indixit: & Sapiens ad hoc alludens dixit, Spinas in manu temulenti nasci, quia omnes eius actiones sceleribus plenæ sunt. Tumulentus autem omnis homo est sibi fidēns, & qui absq; Dei gratia agere præsumit. Verùm, quoniam legis & gratiæ Dei cultura, fructus operum Dei mentæ reddere valeret, quòd hos non proferat, queritur Dominus per suum Prophe- Esai. 5. tam, dicens: Ex cultura vineæ suæ exspectasse vuas fecisse autem labruscas, id est, peccata. Vnde Dominus noster Iesus Christus, qui nostra peccata super caput suum expianda susceperat, sacratissimum suum caput spineā corona confixum habuit. Prima ergo

cura in

cura in hoc ponenda est, vt purgata legitime cõsciẽtia ab omni labe peccati, quod Dei gratiam oppugnet, reuerenter Christianus & cõfidenter ad mensam huius cælestis panis accedat. Sed vrgebis, cur edẽtibus morticinum & captum à bestia, quos ex malitia peccare diximus, non iniungatur pœnitentia, sicut præcedentibus? Procul dubio, vt ab hoc genere peccati homines reuocaret, difficultatem cõsequendi veniam ex parte hominis innuando. Non enim fragilitatem, aut ignorantiam obtendere potest, sed tantùm malitiam, quæ peccatum accusat. Atqui quoniam totum negotium misericordiæ diuinæ est, pœnitentia media, nec pœnitentiæ, nec holocausti pro his in lege meminit: Quod explicans B. Paulus, dixit: Voluntarie peccantibus nõ relinquitur hostia pro peccato, id est, in lege non fuit signata, in huius peccati abominationem. Tertullianus de corona militis Christiani. Hebr. 10.

Omnis alienigena non comedet de sanctificatis. Inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescetur ex eis. Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his, quæ sanctificata sunt, vt de primitiis non vescetur: sin autem vidua, vel repudiata, & absque liberis reuersa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueuerat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem.

DE ea iam parte familiæ differens, quæ rem sacerdotis tractabat, eiq; seruiebat, alienigenam, inquilinum, mercenarium, & filiam eiusdem nuptam viro ex aliena tribu in domo viri manentem, ab esu sanctificatorum coërcet: tantum copia faciens seruo empto proprio sacerdotis ære, & vernaculo nato & enutrito in eius domo, atq; filiæ, quandõ vidua aut repudiata absq; liberis in domum patris redibat. Ii enim omnes, quibus communicatio sanctorum prohibebatur, sui iuris erãt, & præceptis ac legibus sacerdotis minime astricti: quare cum nec doctrinæ sacerdotis, nec institutioni essent subiecti, consequens est vt alieni essent, & ea propter esui sanctificatorũ inepti. Inquilinus quippe, qui completo sexennio exire è domo nolebat, perforata aurè in famulatum manebat, vsque ad annum iubilei, in quo donandus libertate erat. Qui ob rem in spem hanc libertatis, sua omnia dirigens, propriæ vtilitatis causa in domo versabatur, nec si domus peruerteretur, illi curæ erat, tanquam in alieno habitanti, & commoranti. Mercenarius verò lucro & mercede tantùm ductus, qui completo sexennio asserendus erat libertate, sua primùm curabat, per singulos dies migrare sperans: vnde ille inconstantis; ille autem auari personam sustinebat. quapropter alienigenas, & non de domo sacerdotali illos appellat. Filia autem sacerdotis alienæ tribus viro contra legem nupta, erroribus sui viri & moribus peruersa præsumebatur: quapropter quandiu illius erat, esu sanctificatorum indigna iudicabatur, & si vidua cum liberis rediret; quia errorum pignora, nempe filios relinqueret, qui paternos mores ordinariè sequuntur: vt eleganter quidam dixit: Qui viret in folijs, venit à radicibus humor; Et patrum in gnatos veniunt cum semine mores. Seruis autem natis in domo, & qui pretio à sacerdote emptus esset, iuri sacerdoti constrictis, quòd legi doctrinæ eiusdem stabiles, & morum institutione integri essent, ac sic sanctificati, esibus sanctificatorum iure permittebantur. Ecce legem, sub qua postquam peccata explosit Dominus, quibus onusti accedentes ipsum irritarent, habitum degentium in sua Ecclesia, qui præparati & dispositi, & impræparati etiam ad se, in Sacramento altaris accederent, explicat. Alienigenas ergo, & mensæ tanti Sacramenti indignos, ex defectu præparationis censet inquilinum, & mercenarium, hoc est, omnes qui in Ecclesia agentes, de eiusdem obedientia dubitent; & omnes eos, qui lucri tantùm gratia in ea versentur, cum his qui cum errore fidei extraneo in ea degunt, interim quòd eo non viduentur. Etenim Sacramento Baptismi, aditus ad fidem & Ecclesiam præstatur: vnde ianua & Sacramentum fidei appellatur, quia eo Christiani discernitur. At Sacramenti sanctissimi Eucharistiæ sumptione, fides protestatur. Vnde gratiam cõfert, qua eadem stabilitur magis, augetur, & roboratur: vnde & Sacramentum protestationis fidei cõtra pusillanimitatem & timiditatem pusillorum merito dicetur. Quapropter inobedientia sacerdotis, hoc est, Ecclesiæ dubitans, & qui in eius obtemperationem, tanquam in fidei anchoram, non se reiecerit, huius Sacramenti accessu indignus est, & infidelitatis se arguere tenetur. Est quippe Ecclesia catholica cum suo capite Pon- Exod. 21. Boetius:

pite Pon-

pite Pōtifice Romano, domus & schola veritatis, vtpote quæ doctorē veritatis, nempe Spiritū sanctum magistrū habeat, quē Dn̄s Iesus Christus eidē promisit, dicens: [Iohan. 14.] [Actuū 1.] Spiritus sanctus, qui à Patre procedit, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Loquitur autem Apostolis, qui in Ecclesia tunc referebāt. Quod & opere compleuit, cum die Pentecostes linguis igneis super eos apparuit; vt qui per eos veritatem amore diuino succensam, loquuturus erat. Et rursus solitudinem suæ absentiæ corporalis leuans Dominus, Ecclesiæ suæ dixit: Alium paraclitum mittet Pater in no- [Iohan. 14.] mine meo, qui maneat vobiscum in æternum. Nec non & eidem suam assistentiam [Matth. 18.] pollicitus est, dicens. Vbicunque fuerint duo, vel tres vestrum congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et iterum: Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque [Matth. vltimo] ad consummationem sæculi. Vnde B. Paulus columnam, & firmamentum veritatis eam [2. Tim. 3.] appellauit. Quapropter, quibus suggestiones dæmonis, fidei concussionem & turbationem tentarunt, non est aliud consulendum, quàm Ecclesiæ matri se credentes, eius institutis, & doctrinis obtemperando assuefiant, & definito animo, in opposito illius quod diabolus suggerit, mille vitas potius protestando perdere cum Dei adiutorio, quàm ab ea veritate discedere proponant. Et hanc obedientiæ firmitatē docet nos Dominus, inquilinum sacerdotis à sui altaris mensa excludendo. Per mercenarium autem, omnes eos à digna communione reijcit, qui rebus huius sæculi subiecti, non alia quàm terre- [ad Ephes. 5] stria anhelant, quia ea suspiciunt & adorant. Vnde B. Paulus dixit: Hoc autem scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Dei & quoniam auaritia, quæ est cupiditas possidendi infinita, atq; insatiabilis ministra rerum terrestrium, animum in seruitutem redigens, & omnium vitiorum mater: appositissimè per mercenarium (qui non aliud, quam mercedem curat, cuius gratia in seruitutem se subegit) omnes qui ad spiritalia & cælestia animum non erigunt, hic significantur. Animi ergo eleuationem ad cælestia, hoc est, ad Christum in Sacramento sanctæ Eucharistiæ existētem redemptorem & saluatorem omnium, cum animi accensione per charitatē, & eiusdem erectione per spem, ad ipsum accedentibus requirit. Denique eos omnes, qui errore fidei laborauerint, in vniuersum à sua mensa coërcet; hæreticos specialiùs intelligens per filiam sacerdotis nuptam extraneo, scilicet infideli: ij equidem etsi in Ecclesia sint, quia baptizati, & sic sacerdotis filij; tamen qui contra Ecclesiæ præceptum, eiusq; constitutionem & doctrinam, alteri viro, nempe diabolo se tradiderunt, eius errores sequendo. Quod notans Dominus subdit, omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem: nam interim quod memorati in suis erroribus, vt alienigenæ manent, inepti sunt mensæ Do- [1. Cor. 7.] mini, donec viduentur, & ab eis desistant. Atque ad hāc legem alludens B. Paulus, matrimonium cum infideli contractum cum contumelia creatoris dirimit: Secùs autem, si in fidei syncenitate sanctè & castè sinat eam viuere: Nam ita bonæ spei semper erit mulier conuertendi virum infidelem, vt fideliter, sanctè & castè viuendo, amplificetur Ecclesia, quod est finis matrimonij. Exclusis peccatis, & prauis habitibus impedientibus dignam sumptionem, duo exigit Dominus ab ijs, qui dignè ad suam mensam accedere volunt: integritatem fidei in domo sacerdoris, id est, sub obedientia matris Ecclesiæ: & animum definitum, iuxta eius doctrinam, & institutionem viuendi. Prius per emptum, [1. Petr. 1.] ære & pretio sacerdotis ipsius intelligit. Non enim (inquit B. Petrus) corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi immaculati agni Christi. Sacerdos enim maximus in lege Christum referebat, qui suo sanguine nos emptutus erat, & ipsam item Ecclesiam cuius caput existit per synedochen. Posterius verò per vernaculum designat, in domo, id est, in Ecclesia natum, atque eius institutionibus & præceptis enutritum.

Qui comederit de sanctificatis per ignorātiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit sacerdoti in sanctuarium: nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offeruntur Domino, ne fortè sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. Ego Dominus, qui sanctifico eos.

PRÆSVPPONIT Dominus non eousq; impudentiam hominum procedere posse, vt sponte, & conscio animo eius mandata transgrediātur: nam si corporalium parentum vo-

tum voluntatem, homo vſque adeò veneratur, vt ſi ſciens & prudens iuſſa eorum non compleat, diuinæ iræ indignationẽ timeat, & ita non niſi audax & ſtupidus eam intrepidus violęt: quantũ æterni Patris venerari debet voluntatẽ, & nõ niſi perterritus, eius tranſgreſſionis reum ſe inuenire, cùm reſciuerit? ob hãc igitur rem, tranſgreſſionis latarum legum reis ignorantibus, & non ſcientibus medetur. dicit ergo, eos, qui ignorantes ſanctificata comediſſent contra ſanctiones poſitas, teneri tantundem reddere, & vltra quintam eiuſdẽ partem, & offerre ſacerdoti in cultum ſanctuarij: ſecùs autẽ facientes, quòd ſanctificata ederent, quibus Dominus venerabatur, eiusq́ue cultus extollebatur & agebatur, atq; ita polluerent & profanarẽt, peccati impietatis in Deum pœnas ſuſtinerent: Ecce pędagogiam: in myſterio autẽ reconditum erat: neminem ratione naturali ductum, Sacramenti ſancti Euchariſtiæ ſecretũ attingere poſſe, ſed tantũ fide, eius obſequijs, ceruicem ſui intellectus ſubiugando, voluntatemq́; ſubmittendo: & rurſus, diſcretionem huius ſpiritalis & cæleſtis cibi à corporalibus & terrenis. vtrumq; autem indicat reſtitutio fieri iuſſa, in qua vltra integrum conſecratum, ſuperadditam quintam totius partem referri iubetur. Etenim ratio quantumuis miniſterio ſenſuũ ſuos neruos extendat, minimè cognitionem myſterii venabitur: quoniã ſcriptum eſt: aſcendet homo ad cor altũ, ſuam ſcilicet vim maximè iactans, & exaltabitur Deus. Neq; prætérea Psal. 63. ad eam rẽ vllos modos, organa, & inſtrumenta conuenientia habet: ſenſus quippe terreſtres ſunt cæleſtium omninò ignari: neq; enim oculis defigi, neq; auribus ſentiri, neq; odoratu inueſtigari, neq; guſtu diſcerni, neq; tactu palpari Chriſtus Ieſus noſter in Sacramẽto quoquã pacto poteſt. Quapropter neceſſe eſt, qui eũ manducaturus eſt, id eſt, percepturus, & cogniturus, ſuperaddere rationi ſuis ſẽſibus ſubnixæ, quintã partẽ: hoc eſt, credere Dei verbum efficere id, quod ſignificat, cùm ſacerdos dicit: Hoc eſt corpus meum, &c. quorum verborum vi id, quod erat panis, factum eſt corpus Chriſti, vt ipſemet teſtatus eſt, dicendo: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: complens Iohan. 6. quod de ipſo à Iudæis, referente propheta, dictum fuerãt: Mittamus lignum in panem Ierem. 11. eius, &c. præueniendo ea appellatione, id quod futurum erat. Dicitur autem fides ſermoq́; diuinus quinta pars, quoniam toti illi, id eſt, rationem cum quinq; ſenſibus, quod ad cognitionem myſterij nõ valebat, in cognitionis diuinorum miniſterium, loco quinque ſenſuum, diuinitus fides ſuffecta eſt: ob quod numerieorum nomen etiam ſortira. Atqui quoniam diuino hoc baculo & miniſterio, à Chriſto Ieſu ſummo ſacerdote accepto, cognitio tanti myſterij ignoranti homini aduenit, ſua eſt: atque inde ipſi accepta ſemper referenda: ob quod ſummo ſacerdoti in ſanctuarium, id eſt, in ſanctitatis culturam, hîc reddi præcipitur. Docetur prætérea, diſcretio huius cæleſtis cibi ab alijs corporalibus, qua diſcretione ad ipſum accedere oportet, fidei functione ſemper vtendo. Nam ob id à cognitione ſenſibilium, ad ſpiritalium tranſijt, vt in diuinis myſterijs, vtpote iam ſuæ ignorantiæ & imbecillitatis ſenſus, cum ſua ratione conuicti, vocem nõ habeant. Itaque poſthabitis eorum terreſtribus obiectis, cæleſtia tantùm, & quæ nobis fides ſubminiſtrat, contemplemur: nec ſenſus rationi ſuggerens, panem eſſe quod videtur, tangitur, & ſentitur, audiatur; magiſtra cæleſtium fide docente, tantum eſſe apparentiam panis, ſub eaq́ue tanquam diuinis pellibus Chriſtum Ieſum redemptorem noſtrũ, immortalẽ iam & glorioſiſſimum, vti ad dexteram Patris reſidet, contineri. Et quoniam ad panem hunc cæleſtem, à terreſtri diſcernẽdum, fides vice ſenſuum, intellectui hominis deſeruit, hinc numero eorũ nomen accepit, & quinta pars nuncupatur. Quod ſummi regis, ac principis conuiuiũ, Chriſti nẽpe Ieſu, præuidens Sapiens, & ad hũc locũ alludens, aliquãdo dixit: Cũ ſederis, vt comedas cũ principe, diligẽter attende quæ poſita ſunt ante te. Prou. 23. Etenim cũ ipſe Dñs cibus ſit, ſimul & cõuiuans eſt, q ſe manducãtibus dat ſpiritũ cęleſtis pinguedinis. & hoc eſt, quod ſubdit: Ego Dñs ſanctificans eos, id eſt, qui cũ cibus ſim, ſimul ipſemet Dñs & gloriæ princeps accedentes ſanctificans ſum.

Loquutusq́; eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Loquere ad Aaron & filios eius, & ad omnes filios Iſrael, diceſq́; ad eos: Homo de domo Iſrael, & de aduenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem ſuam, vel vota ſoluens, vel ſponte offerẽs, quicquid illud obtulerit in holocauſtum Domini, vt offeratur per vos, maſculus immaculatus erit, ex bobus, ex ouibus, & ex capris. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

OBLATIONES, quæ fontem sanctitatis, imò ipsammet sanctitatē, Christum nempe in Sacramento sancto Eucharistiæ figurabāt, quāta puritate & sanctitate pollere debuissent iam explicat Dominus. Sed quoniam vt supra visum est, mundicia & puritas immolatorum, puritatem & mundiciam offerentiū testabantur: cùm omnium sua vota Domino reddentium, immaculatam vitam exoptet Dominus, potissimum tamen sacerdotum, quorū ministerio adducta, à plebe in Domini obsequium ipsi offerri & sanctificari volebat. Quod expressè hîc Dominus repetit, postquam millies dixerit, ad reprimendam violētiam hæreticorum, cuilibet è populo fungēdi sacerdotis officio, copiam facientium. Volebat ergo quicquid in holocaustum esset adductū ex bobus, ouibus, capris, masculum esse & integrū, non orbatum membro, nec ex redūdantia aliqua materiæ monstruosum. (Hoc enim sonat immaculatum hoc loco,) aliàs oblationi ineptum declarat, quicquid ad soluendum debitū ex voto, quod quisq; promiserat, adduceret: siue sponte & voluntariè iuxta illud Regij vatis: Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: siue ex necessitate, & vrgēte aliqua causa id emisisset. Nam de oblationibus ex debito ciuili factis, solū hîc est sermo: quod ex ratione oblationis, quæ holocaustum est, constat. Hoc enim vitam perfectā eorum, qui totos se Deo consecrarent, quicquid mundi & carnis esset igne charitatis accēdendo, & absumendo, siue ex maioribus populi essent, & operatores virtutum, inter quos primum locum sacerdotes habēt, qui per boues significantur, siue ex ipsa plebe essent, per oues & capras designati: omnium igitur oblationem vult masculam, & integram esse: masculā, quia viriles animos fortes

Prou. 10. & constantes in his requirit, qui sic Dei obsequiis se deuouent, quales optabat Sapiens quando dixit: Virum fidelem quis inueniet? molles enim, effœminatos & more fœminarum instabiles, contemptibiles sunt Domino, cùm pollicitis non perstent. Vnde B.

ad Tim. 2. Paulus Titum, quem in episcopum & sacerdotem euexerat, animabat & confortabat, magni animi semper esse iubendo, quando intimaret populo, quæ facere debuisset, vt sectatores bonorum operū Christi vestigia sequendo se exhiberet. ait enim: Hęc loquere, & exhortare & argue cū omni imperio, nemo te cōtemnat. Integrum deinde animal requirebat: qui ad vitæ integritatem, & virtutem omnem conantes expetebat, qui ex officio se Deo consecrauerant, & cæteros qui diuinæ assistentiæ & præsentiæ, se victuros promiserant; ita vt nec vitijs redundarent: quod mōstrositas ex superfluitate materię significabat: nec ab eo quod officium virtutis exigeret, deficerent: quod per defectū naturalis constitutionis, erat obumbratū. Equidem qui à virtutis mediocritate, vtcunq;

Rom. 2. excedendo, aut deficiendo aberrent, ad pœnitentiam exspectat Dñs, vt docet B. Paulus, dicendo: An ignoras quòd benignitas & longanimitas Dei ad pœnitentiam te adducit? quādo verò obdurati in malo perseuerant, eos itē in vita finit Dñs sæpe, vt in exercitio virtutis bonis totiq; Ecclesiæ famularentur. Vnde & optimè notauit Nicolaus de Lira, licet animal monstrosum offerri in lege non liceret, preciū tamen eius sacerdoti offerre bene; vt eo domus Domini ruinosa repararetur, & quæ decidissent, re erigerentur.

Homo, qui obtulerit victimā pacificorum Domino, vel vota soluens, vel spōte offerens, tam de bobus quā de ouibus, immaculatū offeret, vt acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, aut impetiginem, nō offeretis Domino, nec adolebitis ex eo super altare Domini. Bouē & ouem aure & cauda amputatis voluntariè offerre potes, votum autem ex eis solui non potest. Omne animal, quod vel contritis, vel contusis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, & in terra vestra hoc omninò non faciatis.

ET si tā sacerdotibus quā filijs Israel Dñs loquatur, vt ex initio capitis cōstat, quia de puritate hostiarū disponit, quas populus adducit, & sacerdotes ex officio offerunt: ad sacerdotes tamē ex intento sermo omnis dirigitur, quorū morū candorē, virę syncerit atē & puritatē, per cōditiones, quas in hostijs desiderat, graphicè depingit. Quod ita esse ex eo primū patet, quod inter p̄sentationē, & oblationē, quæ eiusdē fit Dño, per manus sacerdotū distinxit: vt de hoc, postq; latiùs suprà de populi oblatione tradidit, se deserturū insinuaret. tū qa infrà à qbus oblatio accipiēda sit disponit, q̄ sacerdotū munus est: vt quos p̄ oblationū synceritatē instituerat, à quib⁹ deberēt accipere ne cōtaminarētur,

nullatenus

nullatenus præteriret. Atqui ex conditionibus hîc descriptis, nô vi legis quæ iam cessauit, sed constitutione propria, Ecclesia plures obseruat excludendo à sacris ordinibus, mancos, claudos, qui non conuenientes cæremonias Missæ exercere possunt. & qui ita facie maculati sint, continuo morbo vt astantes fastidirent, & orbatos aliquo membro: cùm propter rei quæ exercetur maiestatem, & cultus diuini auctoritatem, qui propter similium nauseam & ineptiam minueretur, atque deuotio populi restingueretur. tum propter integritatem, puritatem, & excellentiam personæ Domini nostri Iesu Christi, quam sacerdos Missam celebrando sustinet. Verùm intellectu & spiritu rem considerando, videamus, quid Dominus Iesus à suis sacerdotibus requirat. Atque inprimis intelligentia diuini officij ad quod sacerdos assumptus est, & mysteriorum item quæ exercet. nam si consuetudini inseruiẽdo tantùm ea faciat, tepidus & negligens corã Deo [Apoc. 3.] semper apparebit: quorum alterũ ex ore suo euomit Dominus: alterũ verò maledictione sua ferit, dicendo: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter: attentionem [Hier. 48.] enim mouet intelligentia virtutis eorum quæ exercentur, qua priuatur ignorantes, qui per cæcũ munus hic intelliguntur. Deinde animositatem ad virtutis exercitium, & ad vias Domini & itinera percurrẽda, promptitudinẽ vult. Vnde Sapiens dicebat: Anima [Prou. 19.] dissoluta esuriet; pacem nempe, & dona spiritus, quę non accipiet, quia non operatur, & alibi: Væ dissolutis corde. [Eccle. 2.] Quos per suum Prophetam erigit Dominus, dicendo: Confortamini manus dissolutæ, &c. [Esai. 35.] Operatores ergo vult Dominus suos sacerdotes, & non fractos manibus aut pedibus, quod per fractũ munus significauit. Item odit Dominus in sacerdotibus cicatricem, pupulas, scabiem, impetiginem: quoniã qui vitijs vsq; adeò sordidus est, vt notatus publicè sit, & quocunq; se vertat, suorum scelerum cicatricem ostẽtet, quî ad altare Domini accedere audet? & temeritate verbum Dei alijs euulgat? sane diabolica. quos certos facit Dominus, se non respecturum vltra ad eorum sacrificium, nec accepturum placabile quid de manu eorum, in quantũ, scilicet, ab ipsis procedit. [Malach. 2.] & per Regium vatem: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum [Psal. 49.] meum per os tuum? Vnde Septuaginta loco cicatricis, abscissam linguam transtulerũt. hoc nimirum significãtes. Præterea detractores, & proximorum insectatores tanquam pestilentes, & contagiosos homines, vt qui pupulis & scabie mordentur, in suo ministerio non vult Dominus, sed reijcit tanquam diuinæ iræ irritatores, qui Dei conciliatores cum populo, existere debuissent. Desiderat ergo Dominus taciturnitatem modestam in sacerdotibus, & odit verbositatem & loquacitatem, quæ sine iniuria proximi exerceri non potest, & est morbus cõtagiosus, populi infectiuus. & à turpitudine libidinis maximè abhorret: vnde fornicatores adulteros respuit, qui impetu cõcupiscẽtiæ, vt equus [Psal. 31.] & mulus quibus non est intellectus, voluptatis stimulis agũtur, vt qui impetiginem patiuntur, ad scalpendum impetuose instigantur. Amat ergo Dominus maximè castitatem in sacerdotibus, & ab omni vitio carnis omninò desiderat esse alienos. Præterea sacerdotes boni auditus, atq; optimæ prouidentiæ, & considerationis requirit Dominus. Ille autem auriũ officio fungitur, qui ea audit, quæ ad suam salutem spiritalem & corporalem conferunt quippe qui contra finem à natura constitutum auribus vtuntur, vt qui verbum Dei non audiunt, nec eius præceptis auditum præbent, sed turpibus atque inanibus eum implent, aures sanè non habent. quod significans, bouem aut ouem sine aure respuebat. Vult præterea eos bene prouidos: & tales se exhibent, qui futura consequentia acutè cernunt, impensiùs considerant: & quæ exigunt, commodè disponunt, ac prouident. In hanc enim functionem, prudẽtiam, & præsensionem quandam futuri, menti hominum inseuit omnium prouisor Deus. futura autem, quæ præsentia, prudentia debet efficere homo, & quasi iam instent ipsis prouidere, sunt: finis huius vitæ, eius residentia à Domino cordium scrutatore reposcenda, inferni carceres, qui impios & peccatores manent, & præmia ac gloriæ deliciæ, quæ bonis & iustis præparauit. Mortem autem reliqua memorata comitantem, cauda quæ finis animalis est, significat. Vnde munus sine cauda, bos esset siue ouis, reijciebat Dñs. Non meminit aũt capræ, quia sacerdotes instituit sub figura munerum, quorum est populũ Dño conciliare: quod nõ benefaciet quis peccator, quẽ capra referebat. Ac proinde etiã huiusmodi animalia orbata, voluntariæ oblationi permittit, solutiuæ autem voti, minimè: peccator enim, vt Dei gratiam & fauorẽ, quo à peccato exeat, & virtuti studeat, oblationibus labiorum, [Oseæ 14.] sacrificijs, & operibus pietatis, ac pœnitẽtiæ, negotiari debet. at qui ex officio, Dei omni-

potentis & populi vt interstes ac conciliator existit,& ad hoc officium vti voto est astrictus;& qui ex votò professionis vitam suam Deo specialiter cōsecrarunt, atq; inde propicium Deum sibi & populo semper conari oblationibus religiosæ vitę debent,qui sine auditu & obedientia diuini verbi,& absque consideratione mortis,(quæ omnes actio- Eccles. 7. nes dirigit & gubernat) debitum officij persoluent? minimè quidem. Vnde Sapiens vitę institutionem memoria mortis anxiè commendabat, dicendo: Memorare nouissima tua,& in ęternum non peccabis. Quod consilium exercitus Dauid sanctus,in omnibus Psal. 118. rebus huius sæculi, quantumuis perfectis & consumatis, finem cōsiderans,latum mandatum Domini amplexus est,ipsiq; sic fideliter seruiuit. Tandem virtutis studiosos ita requirit Dominus suos sacerdotes,vt generationis & propagationis eiusdem in populo, perquàm fœcundissimi sint: tātum abest,vt bonorum operum studiū,ac legitima cura temporis occupandi in ipsis,remittatur. Quę nulla alia re àptius,quàm per generationis carnalis principia designari potuerunt. Ideò animalia oblata,cōtritis, contusis,aut sectis testiculis non suscipit, nec offerri à populo vllo modo permittit. nam is equidem testiculis contritis & contusis agit, qui ita virilium actionum studium remittit, vt pene vir agnusci non possit,paulatim suam virtutem contundendo,ac conterendo tædio ac de- Psal. 34. sidia. Oportet enim sacerdotem ita voluntatis diuinę complendæ studiosum esse,vt cū Dauid sancto semper cōcinat: Anima autem mea exultabit in Domino,& delectabitur in salutari suo: & omnia ossa mea,id est,potentiæ & vires,dicent Domino: Quis similis tibi? Sectus verò testiculis incedit,qui non præmeditatus, sed oblata occasione, à fa- 2. Reg. 11. stigio & dignitate virtutis cadit, & peccatum admitrit; vt Dauid Bersabe inopinatus, non se continuit,sed ilico in amorem illius exarsit.

De manu alienigena non offeretis panes Deo vestro, & quicquid aliud dare voluerit, quia polluta & maculata sunt omnia, non suscipietis ea.

NIHIL tam importunum & molestum Domino; quàm auaritia in sacerdotibus: hæc enim sacra miscet profanis, imò venalia ipsa facit,quod tota impietas est. Auaro si- Eccl. 10. quidem nihil iniquius,ex sententia Sapientis,qui venalem animam habet,& in vita sua proijcit intima sua. Quando autem tali morbo laborat sacerdos, non discernit,si corruptum & infectum sit illud munus, quia rapina aut furto sublatum: aut si vt sacerdotis beneuolentiam captet,ipsum præueniendo,& officiū corrumpendo, vt peccata dissimulet. Nomine ergo alienigenæ,qui tunc gentilis dicebatur,huiusmodi scelerqtū intelligit,à quo non est suscipiendum munus, quia si rapina paratum, id cum suo datore respuit Dominus. quando in huiusmodi receptores,sic inuehitur,dicēs: Qui ędificatis Mich. 3. Sion in sanguinibus,& Hierusalem in iniquitate. Si verò ad scelera cōtegenda,dissimulatio sacerdotis fiat,à rectitudine sui officij deficiētis: corruptionem totius populi hinc emanare testatus est Dominus, cōtaminationem Hierusalem in sacerdotes reijciendo, Esai 1. dicens: Principes tui infideles, socij furū: oēs diligunt munera, sequūtur retributiones.

Loquutusq; est Dominus ad Moysem, dicens: Bos, ouis, & capra cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ: die autem octauo, & deinceps, offerri poterunt duo: siue illa bos, siue ouis, non immolabuntur vna die cum fœtibus suis.

LITERA conspicua est; quæ sub ea lateant,vide: quæ duo sunt: alterum cōsolationem corū,qui sufferendo ærumnas quasq; & labóres,superiùs enarrata,in vita sua seruauerint: alterū obedientiā sanctæ matris Ecclesiæ,sub qua,veluti in tutissima naui feliciter homo nauigabit. Non ergo qui fluctibus huius mūndi propter officiū agitatur, qui laboribus premitur,qui persecutionibus distenditur,qui necessitatibus vbicunque vrgetur,animū despōdeat: si absq; necessitatibus varijs naturæ & mutationibus,se munus iuxta disposita,omninò purū offerre nō posse videat: nā cōditio naturæ est (quæ mater omniū viuentiū existit) dū præsens sæculū durat (quod septē diebus finitur) incessabili rota suos filios nūc sursum,nūc deorsum,& mille necessitatibus cōtinuè premendo versare. Sed septem dierū labor est; quę retributio futuri sæculi,octauo die designati sequetur,nunquā finienda. vbi summa pax,tranquillitas,gaudiū,omniū bonorū affluētia erit: tantū abest,vt necessitate aliquis vrgeatur,aut angustia prematur: tūc omninò perpetuo tenore grata oblatio offerri poterit. Cū ergo quispiā in varias tētationes inciderit Iacob. 1. septem hisce diebus, consideret omne gaudium repositum sibi in octaua die, quando

munus

munus omninò purum, & à fæculi fentinis defæcatum, Deo offeretur, fi prius hîc tunfionibus & neceffitatibus fuerit preparatum, & letabitur fane inæqualitatem commutationis contemplando: nam non funt condignæ paffiones huius fæculi ad futuram Rom. 8. gloriam, quæ reuelabitur in nobis. & rurfus, fi videat fuum caput Chriftum Iefum, poftremis afflictionibus in hoc mortali fæculo iactatum, munus æternum pro dignitate gloriæ fuiffe præparatum, leuem fuam præparationem quisque iudicabit. Vnde beatus Petrus dicebat in hanc rem: Chrifto igitur paffo, vos eadem cogitatione armamini; vt pro noftra fragilitate nos hoftias Deo præparemus: omnes enim Chriftiani in 1. Pet. 2. hoftias Deo acceptabiles nos offerre admonet B. Petrus. Alterum eft, fanctæ matris Ecclefiæ obedientia: quę neceffaria eft ei, qui donum Deo gratum in æternum, & hoftia perennis effe voluerit, abfq; macula omninò & næuo: his enim feptem diebus prefentis fæculi, fe munus indiuiduum fanctæ matri Ecclefiæ præbeat oportet: eius legibus, fanctionibus, & ftatutis, vt indulgentiffimę matris, obediẽdo, vt octauo die munus æternum effe mereatur. Cuius rei nos admonens Sapiẽs dicebat: Fili, audi difciplinam Prouerb. 1. matris tuæ, & ne defpexeris leges matris tuæ. Præterea Dominus conftantiam & fortitudinem, atque lenitatem & manfuetudinem in oblatore defiderabat, vnde has virtutes in hoftia depingebat; feptem enim primis diebus mollis & tener fœtus eft, nec cõtra iniuriam temporis folus fe bene tueri valens; & hominem mollem & effœminatum in munus non acceptat Dominus. Accedente autem octauo die, matrem, cuius cura & paftu pullus alitur, fimul cum ipfo occidere, crudelitatis quoddã genus videbatur, & in more à gentibus pofitum: crudelitatem autem & afperitatem oblationis faftidit Dominus, & inde eam abominatur. Vnde & matrem incubantem pullis in nido fimul Deut. 22. cum pullo rapere prohibebat etiam. Denìq; totum & integrum cor in Chriftiano, qui hoftia & oblatio Domini factus eft, requirit: nec parte, aut medietate eius, ipfius appetitus fatiatus euadit. Quando antè fimul cũ matre, in qua amor naturalis filiorũ magis viget, fœtus occidebatur, aut immolabatur, quid aliud, quã cũ teneritudine & indulgẽtia amoris naturalis parẽtum, hominẽ Chriftianũ in oblationẽ offerri fignificabat? atq; hoc Dominus refpuit, quia animali amore regnante, fpiritalis nullã vim habet, imò nec pannis vagijt. Regnat autem, quãdo fæculi huius rebus homo omninò fubiectus feruit, quod fignificabatur fpatio feptem dierum: nec vires amifit, cũ poft octauum diem fimul cum amore fpiritali Deo offertur. nam ille vt mater valens, hic vt pullus illi fubiectus effertur: quod tantùm abeft vt Domino placeat, quòd amori fuo, terrenũ æquari vehementer abominatur, fe Deum zelotem nominando. Vnde Dominus Iefus Chri- Exod. 20. & ftus fuos Apoftolos docens, dicebat: Non veni pacem mittere in terram, fed gladium. Math. 10. Veni enim feparare hominem aduerfus patrem fuum, & filiam aduerfus matrem fuã, & nurum aduerfus focrum fuã, & inimici hominis domeftici eius: Qui amat patrem, aut matrem plufquàm me non eft me dignus. & rurfus: Si quis venit ad me, & nõ odit Lucæ 14. patrem fuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & forores, adhuc autem & animam fuam, non poteft meus effe difcipulus. Deinum vt elegãter Ifychius exponit, mater Synagoga feptem diebus, id eft, tẽpore Legis offerebat boues, oues, & capras, nõ autem horum facrificiorũ fœtus (qui funt Euangelij myfteria, ipfis figurata) fed referuentur offerendi octauo die noui teftamenti: & tunc non mater cum fœtu, quia Synagoga cum Lege ceffare debuit, vt ceffauit, & omnia facrificia hic defcripta.

Si immolaueritis hoftiam pro gratiarũ actione Domino, vt poffit effe placabilis, eodem die comedetis eam: non remanebit quicquã in mane alterius diei. Ego Dominus: cuftodite mandata mea, & facite ea. Ego Dominus: ne polluatis nomen meum fanctum, vt fanctificer in medio filiorum Ifrael. Ego Dominus, qui fanctifico vos, & eduxi de terra Ægypti, vt effem vobis in Deum. Ego Dominus.

INTER ea quæ hic difponit Dominus, primùm præcipit, vt oblatio quę pro gratiarum actione offerebatur, eodem die comederetur, ita quòd nihil pro manè alterius diei remaneat. Nunquid integritatem, aut præferuationem cibi à corruptione deperibat Dñs? aut falutem corporalẽ hominis fanitate cibi hic requirebat? minimè. noftrarũ animarum falutem defiderabat, & primò facerdotum, quorum inftitutionẽ hoc capite fufcepit. Hos equidem ab omni labe auaritiæ liberos vult: cuius manifefta indicatio ex

cura seruandi cibum in futurum deprehenditur. Hoc autem peccatum, quàm insensibile communiter est, tam graue & Deo infestum existit: quippe cögregator hic, potiùs suæ curæ, quam Dei prouidentiæ confidit. quod summæ impietatis est. in officio siquidem suo perseueranti, Domini curæ incumbit, necessaria prouidere. Vnde eum obiurgans Dominus subdit: Ego Dominus, qui omniũ scilicet prouisor & procurator existo; quid est, quòd tu meam dignitarem & curam præoccupare velis? aut in meam iniuriam Exod. 16. tuis viribus fidens, quod meum est, tibi vsurpare contendas? atque ita, quod antè populo præceperat, ad idem vitium cohibendum; vt per singulos dies, quantum sufficeret, & non amplius de mãna colligeret, hic sacerdotibus qui oblationibus alebantur in primis iubet. Præterea spiritualiùs rem considerando, sacerdos cum populi oblatione, ad gratias Deo agendas ipsique gratificandum, coram Deo præsentatus, Dei oblatio existit, quæ mensæ Domini digna esse debet, vt illi placeat. Igitur vt singulis diebus oblationem, qua alitur, suscipit, nec in alterum diem potest seruare, ita ipse oblatio Dei existens, qua eius gustus dulcoratur, singulis diebus se talem Deo debet offerre, vt illi placeat: nec existimet oblationem & opera, quibus hodie hostia digna præparatur, pro manè & alijs diebus extendere, & sic mensæ Domini debitè prouidere: sed singulis diebus sui oblationem gratam Deo facere nitatur, quia nouis semper & recentibus epulis maximè oblectatur: ob quod & sacerdotis mensam nouis cibis appositam prouidit. Præterea tanta cæcitate, & peccatorum nebula obscuratum hoc sæculum, meritò Eccle 9. nox dicitur; dies autem futurum, quando hæc cessabunt: quod ergo in Dei laudem & gloriam quisque agere possit, instanter agat, nec reseruet in manè, id est, in futurum sæculum, quando non poterit operari. Oblatum ergo munus eodem die sacerdos manducet, hoc est, oblatam occasionem sui officij statim arripiat, & pro eius exigentia operetur, nec procrastinando in futurum sæculum reijciat, quando non est operari, sed operatorum rationem reddere ipsi Domino: Vnde dicit: Ego Dominus, scilicet, qui eam exacturus sum. Et vide, quanti hoc faciat Dominus, quòd vi sua ac virtute, omnia alia præcepta decalogi includere & continere dicit, subijciendo: Custodire omnia præcepta mea & facite ea. Ego Dominus. Non enim sat est scire mandata, sed facere oporAristot. 2. Ethic. tet: non quidem discimus vt intelligamus, sed vt faciamus. Sciẽtia enim propter actionem est; & qui pro oblata occasione in cura & studio est operandi, debitum cuique virtuti semper præstabit, & omnia mãdata cum Dei adiutorio & gratia adimplebit. quorum rationem exacturus est Dominus, transgressorum punitor existens: atq; adeò dicit: Ego Dominus. Et rursus, in eiusdem commendationem subdit: ne polluatis nomen sanctum meum, vt sanctificer in medio filiorum Israel. Vide, & diligenter attende, quàm graue peccatum est coram Domino sacerdotis peccatum, qui in suo officio delinquit, prætermittendo, aut non curando id, quod sibi iniunctum est: nam profanat nomen Domini cultum suum non suspiciendo & venerando; & causa est, vt à populo non sanctificetur, sed vilipendatur, & transgressionibus etiam polluatur. Etenim quando ab ijs, qui ipsi consecrati sunt, Dei maiestas non æstimatur, nec timetur, quid restat, nisi vt ludibrio habeatur, & ab alijs, quorum duces & anteambulones constituti sunt? Præterea non solùm imitatione sacerdotis nomen Dei populus polluet, verùm & ipsos contemnendo & conculcando, qui in pretiosa vasa ad Dei nomen, vt inæstimaMatth. 5. bile balsamum portandum, electa sunt. Vnde salem vitæ eos Dominus constituendo, si euanuerint, vim saporandi populi vitam amittẽdo, ad nil valere vltrà, nisi vt conculcentur ab hominibus, ad hunc locum alludendo, dixit. Deinde si in negligentia præceptorum sui officij, ita sacerdos populum offendit, si corruptã vitã egerit, quo se & illum deiecerit, videat, & quàm grauem manum Domini incurrerit, vt sibi consulat & prouideat. Vbi etiam apertè vides, omnes huius capitis sermones, vt dictum est, ad sacerdotum institutionem susceptos fuisse. Rationem autem subijciens, qua ad complectionem suorum mandatorum, & legum teneri declarat, est: quia ego Dominus, qui sanctifico vos, & eduxi de terra Ægypti, vt essem vobis in Deum. Duplex sanè persuadendi est ratio; vtraque diuina, & imo pectore semper reponenda. prior, quia sanctifico vos: id est, meis legibus, præceptis, & institutionibus ad sanctitatem præparo, & dispono: nam qui studiosus, pius, & sanctus non euaserit, sibi imputet, quòd sibi placere cupiens, sanctis & salubribus institutis repugnet. Etenim manifestatio voluntatis diuinæ, stratio est viæ ad cælum, purgatione nebulæ errorum, quibus mens humana

humana ex se implicata est: cognitio captiuitatis humanæ per peccatum, & eiusdem per vnicum redemptorem Christum Iesum liberatio: quî æstimari dignè poterunt, & cogitatione perpendi, nedùm iustis laudibus celebrari? Hæc autem omnia ad sanctificandum populum suum, nobis Dominus reuelauit. Vide si sanctificat nos? Parui æstimandum est, quòd secreta sua Dominus, homini vili seruo reuelauerit? Dauid sanctus tantam suscipiendo misericordiam dicit: Nō fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nō manifestauit eis. Et si verbum Domini strauerit cæli viam? attende eundem regium vatem dicentem: Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda. Scientia & doctrina hominis curua est, quia omnia ad se dirigit, & cuncta quæ sic agit in se reflectit: tantùm verbum Domini rectum est, quod ad Deum recta via, verba & opera hominis ire docet: atque ita lætificat cor: quoniam centrum & locus naturalis humani cordis Deus est, vbi lætari potest & pacem habere: vt cunctis rebus solùm in suis naturalibus locis quiescere inditum est: quod qui verbis Domini obtemperans est, abundè experitur. Equidem doctrina cælestis in actione posita, sitim rerum huius mundi extinguit, vt Samaritanæ dixit Dominus Iesus Christus: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet iterum. Iam quàm casta & ab erroribus libera sint eloquia Dei, audi sanctum Prophetam: Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum, purgatum septuplum. Et iterum: Lex Domini immaculata, testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis. Et tandem cognitionem peccati primi parentis docet, ex quo tota eius posteritas sub iugo peccati originalis nascitur, & captiua diaboli existit. Et attende Dauid miseriam hanc deplorantem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: & liberationem item illam corporalem ab Ægypto nunquam satis suspiciendam, in signum & pignus liberationis spiritalis à captiuitate diaboli, de qua statim dicitur. Quod & Dominus Iesus Christus proprio ore nobis dignatus est aperire, dicendo: Princeps huius mundi eijcietur foras. Et iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Qua ergo ingratitudinis nota inurendus venit, qui tot ac tantis beneficijs, obedientiæque mandatorum Domini non responderit? indicibilis est. Meritò ergo Dominus ad suæ voluntatis completionem, omnes inuitando ait: Ego Dominus, qui sanctifico vos. Posterior ratio est, quia eduxi vos, ait, de terra Ægypti. Nam quæ verbis Dominus promisit, opere compleuit, & verbum suum quod in lege impignorauit, in Euangelio subsequuta resoluit: & vmbra legis cessauit. Maximum sanè & stupendum opus fuit, mundo reluctante, & tota dæmonum caterua conspirante, ab eorum manibus tot portentis populum suum eripere, eaque ratione se Deum verum solum ostendere: eunctos verò Deos gentium falsos esse, & deceptores dæmones. quod & hîc Dominus insinuat, dum dicit: vt essem vobis in Deum. Tamen quæ his significata & pollicita fuerunt, nempè liberationem generis humani à potestate dæmonis per mortem Iesu Christi vnigeniti filij Dei, & sustētationem populi fidelis, se in viaticum dando in sanctissima institutione Sacramenti Eucharistiæ, iustè celebrare, & celebrando admirari, sanctorum angelorum est, & beatorum in cęlo degentium. Sed hoc & illud in memorato facto designatum, occultius contemplare: Etenim postibus domorum sanguine Paschalis agni delinitis, liberi fuerunt à morte primogeniti Hebræorum, angelo Domini Ægyptiorum primogenita percutiente & occidente. Vides sanguine Iesu Christi fideles liberandos? Vide iam & Christum liberatorem, & nobiscum in viaticum in sancto Sacramento Eucharistiæ habitatorem. Pluturus Dominus de cælo coturnices, quæ carnem Domini nostri Iesu Christi crucifigendam figurarunt: & mána summo manè in cibum, quod Christum viuum panem in altaris Sacramento significauit, die antè per Moysem dicit: Vespere scietis, quòd eduxerit vos Dominus de terra Ægypti, & cras videbitis gloriam eius. Et infrà: Vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus. Atque ita Dominus Iesus noster vtrumque mysterium copulauit: Nam peracta cœna agni Paschalis, qui eius mortem figurauit, statim incutiēdam, cœnam noui Testamenti instituit, suum sacratissimum corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini Apostolis tradendo. Legitimè ergo Dominus suos ad obseruantiam suorum mandatorum, quòd eduxerit eos tùm ab Ægypto corporali, & pollicendo liberationem ab Ægypto spiritali, quam opere iam compleuit, prouocat. Vt opera quæ in Ægypto exercebant, liberati iam horreant, &

Psal. 147.
Psal. 18.
Iohan. 4.
Psal. 11.
Psal. 18.
Psal. 50.
Iohan. 14.
Exod. 11.
Exod. 16.

quæ libertatis sunt, & Dominus præcipit, amplectantur, vt sic noctes Ægypti, in die libertatis Legis cessent: vt luce splendidissima Euangelij, obscuræ & caliginosæ diei Legis opera iudicialia & cæremonialia abolita sunt. Atque ita gratitudinem petendo, concludit dicendo: Ego Dominus, scilicet, qui tantis beneficijs vos deuinxi, & in pollicitis amplius deuincturus sum.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

LOquutus est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbathi requies est, vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo. Sabbathum Domini est in cunctis habitationibus vestris.

APTISSIME sacerdotum officijs descriptis, tempora quibus potissimùm exerceri debuissent, præscribit. Hi autem sunt dies festi cultui diuino, & animarum negotio primum deputati: Etenim cùm duplici parte constet homo, anima videlicet & corpore, vtrique pro tuenda vita functiones & tempora, quibus debite exercerentur, assignare oportuit. Atque ita ferias & dies festos instituit, quibus mysteria & eximiora beneficia populus celebrando, mente & animo ipsis prouocatus in cælestibus cum Deo, eiusque curia habitaret, animarum negotia tractaret, & Deum tractando coleret, claram & beatificam præsentiam deperiret: reliquum autem tempus, corpori curando, eiusque vitæ quærendæ, & prouidendæ reliquit. Igitur quoniam primùm memorabile opus, & ad quod, ipsum esse, quo viuimus, memoriam continue consideratione ducit, creationis beneficium existit. Vnde in eius celebrationem, vnumquemque septimum diem, sanctum facit, id est, sanctificationi deputat, & Sabbathi requiem appellat, hoc est, quietis requiem: quoniam cùm septem diebus mundum Deus omnipotens creasset, septimo ab opere cessauit: ac proinde nos ab exercitio corporalis vitæ, omnique seruili labore cessare vult, & quietem Domini post creationis opus, nostra quiete celebrare. Hoc autem pro illo tempore Legis: Euangelij autem & gratiæ nunc curriculo, in creationis & recreationis spiritalis per resurrectionem ex mortuis Iesu Christi Domini celebritaté, dies Dominicus institutus ab Ecclesia est, & in ipsum, Sabbathum antiquum commutatum: vt in gratiarum actione ob beneficia corporalia creationis, conseruationis, & prouisionis quotidianæ; & item ob beneficia spiritualia, resurrectionem Domini in nostram resurrectionem & iustificationem, cæterorumque donorum spiritalium, totum pietatis operibus, & Dei proximorumque dilectioni impendamus. Et statis etiam horis in templis, sacerdotibus coassistendo, Dei laudes populus celebret: sanctissimumque corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in sacrificio Missæ patri æterno in gratiarum actionem, in eius iræ placationem, in fortitudinis viriumq; spiritualium contra insultus diaboli, mundi, & carnis petitionem offerat. Nam vt sacerdos celebrans, agendo offert, ita & populus audiendo, & attendendo, ac Deum reuerendo: & sicut sacerdos sacramentaliter communicat, ita assistens populus spiritaliter per similis fidei confessionem & adorationem, atq; gratiam item recipiendo, si cum peccatorum cótritione, & pœnitens Missam auditurus conueniat. His igitur actionibus dies Dominicus sanctificatur, ob quod sanctus dicitur; & quia Domini resurrectione sanctificatus est. Verùm cùm tanta dignitate anima corpus excellat, quid est, quòd corporali vitæ sex dies deputentur, spiritali verò vitæ tantùm vnus? Vrgeret sané ratio, si vita corporali, animæ etiam non sustentaretur, & virtutum actionibus non nutriretur: At verò non ita est: actionibus siquidem, quibus corpus vitæ organum, præparatur, & subsidia vitæ corporalis negotiantur, prudentia, temperantia, iustitia, fortitudo, & cæteræ virtutes his subiectæ exercendæ veniunt, quibus semper homo in officio contineatur. Vnde vt corpus, ita, & vita corporalis animæ seruit, spiritalique vitæ ministrat. atque ita tota vita animæ est, & non corporis. Dicitur autem diebus, dominicis & festis, negotia animæ & spiritalis vitæ, peculiariter tunc curanda: quia quæ corporis nullo aut paruo adminiculo egent, tractanda sunt. Qualia sunt pietatis opera, cultus diuini exhibitio specialis interni, & externi: detestationis peccatorum, ora-

rum, orationis, Deiq; & proximi amoris probatio, ac testificatio & similia. Quæ animæ functiones, cùm quasi propriæ sint animæ & spiritalis vitæ, tantùm hisce diebus eorum negotia tractari dicuntur: quibus vt expeditiùs vacet, seruilia corporis opera coërcentur.

Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo quarta decima die mensis ad vesperum Phase Domini est: & quinta decima die mensis huius solennitas azymorũ Domini est. Septẽ diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusq;. Omne opus seruile nõ facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne Domino septẽ diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumq; seruile opus facietis in eo.

INTER ferias & alias anni solennitates, celebratio Phase ponitur, id est, transitus Domini, quando percutiens Ægyptum, domos Hebræorum sanguine agni delinitas pertranseundo incolumes conseruauit: vt suprà Dominus enarrauerat. Exod. 12. Hæc igitur festiuitas primo mense ponitur, nempe Martio, qui apud Iudæos principium anni tenebat, & decima quarta die eiusdem mensis ad vesperum: ad cuius solennitatem pertinebat septem diebus immediatè sequentibus azyma comedere: sacrificium igne combustum, id est, holocaustum singulis diebus offerre: inter quos etsi primus futurus erat sanctus & celeberrimus, septimus tamen sanctior & celebrior esse debebat. Quod autẽ pædagogia hæc absconderit in intellectu atque figura, videndum est. Inprimis ergò transitus ille angeli percutientis, qui vnigeniti filij Dei personam sustinebat, sanguine agni obumbrans, quod Christi Iesu sanguine futurum erat, nempe populum fidelem à morte inferni, & captiuitate spiritali dæmonis liberandum, significauit. Vnde quoniam principium vitæ spiritalis hominum, in fide huius mysterij iactum est, aptissimè in capite omnium solennitatum, post Sabbathum, in primo mense anni, veluti vitæ initio positum est, & rursus eius celebratio ad vesperum, quod finem vnius diei, & principium alterius dicit. Facta enim cœna agni Paschalis, quæ legi finem imposuit, ilico Dominus se in cœnam discipulis tradidit, nouum diem Euangelij eius, sanctissimam mortem, & gloriosissimam resurrectionem præueniendo: atque hinc statim mortis lictores conspirati, in Deum suum insurrexerunt, Iuda proditore & duce primario vsi. Præcipiebatur autem decimaquarta die memorati mensis hæc celebritas; quoniam integritate vitæ, quam quaternarius significat, decẽ Decalogi præcepta obseruãdo, ad eam puri, & peccato mundi accedere debuissent. Verùm quid celebritati tanti mysterij azymorũ vsus per septem sequentes dies à quintadecima iniungebatur, cùm abstinentiæ, ieiunationes, & spiritus præparationes in vigilijs & ante festa aptiùs disponi videantur? magno sanè cum mysterio. Azyma quidem populum comedere, à peccato ieiunare significabat. Natura equidem magistra, fermentum, quòd massam habeat vniuersam corrumpere, peccatum notificat, quòd totum hominem corrumpat, perturbet, & ad se præripiat. Atqui, quoniam memoria tanti beneficij, puros & liberos à peccato, gratos se semper Deo exhibere nitendo, debuisset, azymorum vsus celebritatem sequebatur. Nam præparatio ad eam, in obseruatione præceptorum Dei cum virili fortitudine per decimamquartam diem, insinuata fuit: & apertè edocta, per alia præparamenta, quæ esum agni Paschalis præcedere & comitari, anteà Dominus iussit. Exod. 12. Sed cur septem diebus? septem dierum numero totius vitæ huius curriculum significatur: quòd numerus hic remissionis peccatorum est: quæ tantùm in hoc sæculo fit, cùm in futuro pœnitentia non habeat locũ, sed vbi ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Eccl. 11. Quod & operi creationis consentaneum est: nam cùm sex diebus creatura omnis absoluta sit, totidem eiusdem conseruationi & vitæ respondere debent: quandoquidem principium essendi, progressus vitæ & persistentiæ rerum semper respiciunt, in vnitate prima reuolui cupientes. Septimus autem dies migrationi, discessui, & vltimo vale huius vitæ relinquitur: in quo cùm recapitulatio totius vitæ fieri debeat, totam eam & singulas eius partes, in Deum referendo: harum pœnitendo, illarum gratias agendo, & meritis Domini nostri Iesu Christi fidendo, quæ pœnitentiæ, & quibuscunque alijs bonis operibus dignitatem

nitatem

nitatem & valorem tribuerunt: ille dies sanctior & celebrior à Domino exigitur, quàm primus, in quo inchoatio nouæ vitæ, fidei, mortis, & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi innixæ postulatur. Huic autem principio, vniformis & similis vita Christiani esse hic commendatur: quandoquidem sacrificium igne oblatum siue holocaustum, id est, ignibus charitatis Christianum accensum, in oblationem singulis vitæ diebus ipsi offerri Dominus postulat. Quod testimonium explicans beatus Paulus, vt optimus Scripturæ interpretes, Pascha, id est, transitum Domini à morte ad resurrectionis gloriam celebrans, vitam in azymis absq; fermento peccati, agere petens, ait: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azyma: (1.Cor.5.) quasi dicat, quia hoc est azyma comedere celebrato Phase, quod Dominus præceperat. & subijciens rationem ait: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: ac si diceret, nam Christus redemptor noster agno illo Legis & Phase figuratus, iam mortuus est, & resurrexit figuram adimplens. Adimpleamus ergo & nos nostram. scilicet, vt epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, vt illi scilicet faciebant, quando azyma comedebât, sed in azymis veritatis & synceritatis, quod scilicet manducatione illa azymorum significatum fuit. Atque cùm Pascha, transitum significet, celebratio Paschæ, hoc nos facere admonet, & ad sui debitam celebrationem exigit, scilicet: vt à vita veteri ad nouam transeamus, à peccatis ad pœnitentiam, à vitijs ad virtutem, ab indulgentia corporis ad animæ curam, à sensu ad spiritum, à morte denique ad vitam.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem. Qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabilis sit pro vobis altero die Sabbathi: & sanctificabit illum. Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus, anniculus in holocaustum Domini, & libamenta offerentur coram eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo. In incensum Domini, odoremque suauissimum: liba quoque vini quarta pars hin. Panem & polentam, & pultes non comedetis ex segete vsque ad diem, qua offeratis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum, in generationibus, cunctisque habitaculis vestris.

TERRAM promissionis ingressis, quando serendi & metendi otium esset, primitias segetum, nempè spicarum manipulos, ferre ad sacerdotem iubet, in officium gratitudinis, omnia Deo accepta referendo. qui ad placandum Dominum, ipsi manipulum vnum, aut fasciculum sanctificaret: hac tamen solennitate, quòd simul eodem die offerretur agnus integer & perfectus absq; vitio & macula aliqua, cum duabus decimis similæ versatæ oleo, & mensura certa vini, in incensum & odorem suauissimum Domino, id est, vt grata, & accepta sit oblatio Domino. Deinde prohibet quicquam primi fructus comedi, antequam primitiæ offerantur Domino, neque tostum, assum, siue frixum ex granis, quod per panem & polentam intelligit: neque ex farina granorum recentium, quid factum, fumo, aut foco siccatum, aut molliter præparatum: quod per pultes significat. Legitimè procisa, subacta, & optimè culta terra, magnas segetes, & fructus vberrimos agricola petit: Ac proinde Dominus, renata & innouata Ecclesia morte Domini nostri Iesu Christi, eiusq; gloriosissima resurrectione (quam terra promissionis aptissimè significauit, tùm ob vberes illos fructus, spiritus fructus referentes: tùm ob Dauid regnum, quod regni Christi aperta figura extitit, dicente sacto Euangelista de Christo: & dabit illi Dominus Deus sedem Da- (Lucæ 2.) uid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis) iustos virtutis & pœnitentiæ fructus poscit: quos à messoribus segetum sacti Euangelij, doctrinæque sanctæ, id est, à Christianis Dominus petit, vt mysteria ipsis commissa, quæ tanti eidem steterunt, debitam vsuram reddant. Oportet enim, qui tantis gratijs donati sunt, manipulos bonorum operum Christo summo sacerdoti ferre, vt residens iam ad dextram æterni Patris, vt frater noster, eos ipsi offerat, qui in mortali cor-

tali corpore se agnum anniculum integerrimum,& absq; vllo defectu, eidem in cruce pro nobis se obtulit: quam oblationem depeniendo celebrans sponsa aliquando dicebat: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Cant.1. Et regius Psaltes hunc locum exponens, nostros manipulos ad imitationem capitis præparare, & offerre docuit, dicendo: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient portan- Psal.125. tes manipulos suos. Etenim sic operari septem diebus, id est, tota vita, azyma manducare est, & tantorum mysteriorum gratiam Christi referre. Itaque qui viuunt, vt inquit beatus Paulus, non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. 2. Cor.5. Atque vt veritas figuræ respondeat, attende, segetum maturitatem ita regione illa præueniri, vt festum Phase & azymorum interciperet, cui Pascha resurrectionis Domini nunc correspondet. Vnde cùm de azymorum solennitate ageret, oblationem manipulorum messium postulauit. Altero autem die post delationẽ manipulorum, id est, prima Sabbathorum (quæ nunc dies Dominica,& resurrectionis Domini est) iubet sacerdotem agnum anniculum immaculatum cum cibatijs duarum decimarum similæ oleo conspersæ, & iusta mensura vini, Domino offerre. Quæ planè oblationem Christi Iesu Domini nostri amore & misericordia, (quam olei conspersio notat) nobiscum in Sacramento habitantis sub speciebus panis & vini significarunt. Quippe sacerdotẽ eleuare manipulum, & sanctificare altero die Sabbathi, idem est, quod prima Sabbathorum, vt inquit sacer Euangelista, id est, Dominica resurrectio- Matth.27. nis Domini. Etenim in honorem Sabbathi, quod summa veneratione colebatur, omnes dies septimanæ, tanquam eius vigiliam Sabbatha appellabant. Quod & aper- Lucæ 18. tè Pharisæus se in templo iustificans manifestauit, dicens: Ieiuno bis in Sabbatho, id est, in septimana. Pro eo igitur die sacrosanctum Missæ sacrificium manifestè figuratum est: agnus siquidem anniculus, qui à Iudæis antè occisus fuit, à sacerdote cum manipulo offertur: id est, iã immortalis & gloriosus per victoriam suę sanctę resurrectionis, cum manipulo, siue fasciculo omnium bonorũ cælestium & spiritalium, quæ nobis meruit, offertur. Vnde primitiarum nomine, in omni dono, quod nobis his mysterijs acquisiuit, frequentissimè in Scriptura nuncupatur, vt primitiæ dormientium, primitiæ spiritus &c. Quoniam autem in mysterio reconditissimo sub speciebus panis & vini Christus erat offerendus: cibaria similę oleo cõspersę,& mẽsura vini in hac oblatione, immolationi agni coniunguntur. Vt enim simila, siue farinæ flos & pinguedo, in corde tritici latet, ita & Christus totus sicut est in cælo sub apparentia panis & eiusdem speciebus in Sacramento. Et sicut vinum ex botris exprimitur, ita Num.13. eius sacratissimus sanguis ex ipso in cruce, tanquam ex botro cælesti terræ illius promissionis, indicibilibus tormentis expressus,& diffusus est. De quo vino dixit regius Psal.103. Psaltes: Vinum lætificat cor hominis. Vt de cælesti hoc pane dixit Dominus: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et de vtroque mysterio: Caro mea ve- Iohan.6. rè est cibus,& sanguis meus verè est potus. Cæterùm, quid sibi vult, duarum decimarum similæ oblatio, nec plurium, nec paucior ũ? quoniam vt totus Christus sub speciebus panis, & item sub speciebus vini continetur, ita huius mysterij sapientia sub vtroque Testamento recondita fuit: quorum quodlibet pro suo tempore integritatem & totalitatem suam habuit, quam numerus denarius, qui totus numerus est, dicit. Testamentum enim vetus pædagiæ hominum absolutissimè & perfectissimè inseruiuit: Nouum verò exactissimè hominibus grandioribus iam & viris effectis, omnem exhibuit veritatem, plenissimeq; cælestibus mysterijs eos refecit, vt aptissimè singulum eorum vnius decimæ nomine cẽsearur. Et rursus, quoniam decem præceptorum obseruatoribus mente & opere (vt duæ decimæ sic conficiantur) cognitio sapientiæ diuinæ & supercælestis huius mysterij, à Domino datur. Demum vsus fructus noui, quauis ratione, omnibus inhibetur priusquàm Domino primitias illius offerant. tùm in gratiarum actionem, vt cuncta ab ipso accepta referrẽtur: tùm vt benedictionem à Domino sic res acciperent, vt commodè & proficuè ita in vsum hominum venirent. Vnde beatus Paulus in gratiarum actione vitam agere admonebat, Ephes.5. cunctaque in gloriam Dei facere. 1.Cor.10.

Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsq; ad alteram diem expletionis hebdomadæ septi-

& filio perdito pater ille familias hunc locum explicando vitulum saginatum redeunti occidit. Deinde suo Testamenta, vetus & nouum tanquam duces suæ fidei Ecclesia accepit: per alterum promissa videns, per alterum accipiens. Duos arietes, qui ducatum in pascuis, & in omnibus itineribus, ouibus præbent, absumi etiam in holocaustum petit: & cum libamentis, ceu cibarijs, quæ exercitium virtutum, quas fides sancta præscribit, significabant. Harum enim vsu, animæ cibus positus est, vt corporis in pane. Tantis autem beneficijs susceptis, quæ vita respondere debet? ea scilicet quæ talibus fundamentis digna sit, & ædificium Ecclesiæ in sublime semper erigat, & in latera eius amplificationem cooperando dilatet. Talis autem erit, quæ in pœnitentia peccatorum agetur: vnde hircum (pœnitētium sacrificium) non sacrificare, sed facere iubet Dominus. Deinde, quæ in pace cum omnibus, & sanctimonia simul exercita fuerit, sine qua nemo videbit Deum. pacem enim habere cum omnibus: & deinde actionibus sanctimoniam ita colere, vt proximos in bonum promoueant, & luceat sicut luminaria in mundo, in medio nationis prauæ: ita dilatationem Ecclesiæ hæc iuuabūt, vt in dies nouas gentes ad se venientes, tantùm sanctitatem & virtutem admirando, recipiat: tantùm aberit, vt bellis ciuilibus hæreticorum & Saracenorum, quibus nūc vndiq; premitur, vexetur. quod erit duos agnos anniculos, pro gratiarū actione Domino semper facere. Qui cùm eleuari, siue oblati cum panibus fuerint, cedent, inquit, in vsum sacerdotis: quoniā Christus Iesus summus sacerdos, his virtutibus carūq; exercitio magnopere delectatur. Tanta equidem mysteria, sanctitatē meritò omnē, à cultoribus exigunt. Quapropter hunc diem celeberrimum atq; sanctissimū, vt qui principia sanctitatis, & sanctificationis hominū inchoaret, & tantis signatis Sacramentis contineret, haberi iubet, ab omni opere seruili abstinēdo. Verùm quid est, quòd cùm suā obitura sit mortē cum omnibus legalibus, in cunctis habitaculis & generationibus in sempiternū obseruari iubet? Primum quæ hic spiritaliter latent, in æternum duratura sunt, nec vnquam finem habitura: Quare iusta ratione tantorum mysteriorum celebritas in æternum coli, & venerari iubetur. Secundò attende, sempiternum, aut æternum in legibus circumcisionis, obseruationis Sabbathi, & aliorum legalium in præsenti loco pro legis ætate sumi, & eo temporis curriculò, quo suo officio fungeretur: atque ad tempora Euangelij sic minimè extendi. Phrasis namque Latina est, & Hispana etiam officium, magistratum, dignitatem perpetuam dicere, quando cùm ætate alicuius, semper in eò duratura est: Sic enim dicimus, rectoratus ciuitatis perpetuos, & dignitatem Petri, vel Ioannis perpetuam, & consulatum perpetuum, quòd per ætatem, & totam vitam personæ, de iure administrandus erat. Ad quam phrasim respiciens noster interpres in æternum duraturum transtulit, quod per definitum tempus, & ætatem solùm Legis duraturum erat. Nec phrasis hæc extranea est Hebræis: Sic Leuitarum ministerium à vigesimo quinto vsque ad quinquagesimum præfiniuit Dominus, dicendo: Cumque quinquagesimum ætatis impleuerint, seruire cessabunt. Et tamen Anna mater Samuelis Deo sic dixit: Et adducam eum, & apparebit in conspectu Dei, & morabitur ibi in æternum. Atque ita ætas Samuelis quinquaginta duobus annis finita fuit. Imò sæculum, pro quo æternum sæpe ponitur, tempus antecedens annum iubilei, & pars etiam illius dicitur in Scriptura. Sic ait Dominus de seruo sui domini domum exire renuente: Assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi in æternum. Tamen non erat seruiturus nisi vsq; ad annum iubilei, etsi vnus annus, aut minima pars eius tantùm deficeret. Atq; ideo עלם olam ponitur, vbi æternum vertit noster interpres prædictis locis, & præsenti etiam textu. quæ dictio sæculum apud Hebræos significat; quod erat tempus ab vno iubileo ad alterum, & pars illius etiam. Quod planè alibi legitur, cùm in sæculum noster textus in Exodo habeat, quando seruus nolens exire domum domini sui, vsque ad annum iubilei seruus efficiebatur. Vbi habetur eadem dictio, lolam, quæ alijs in locis in æternum versa est. Quando autem Hebræi tempus æternum, & sine intermissione significare volebant, his dictionibus vtebantur, נצח necach, סלה sela, עד had, quas cùm de laudationibus Dei agitur, & de obsequio quod ei debetur, apposuit Dominus in Scriptura, vt diligenter Galatinus adnotauit. Vnde diuinitus Ecclesia sancta Romana, loco harum dictionum Dei laudationes, & Sacramenta san-

Luc. 15.
Hebr. 12.
Philip. 2.
Num. 8.
1 Reg. 1.
Exod. 21.
Gal. li. 11. cap. 4

menta sancta Ecclesiæ celebrans, æternitatemque Christi Iesu pro nobis in cælo viuentis, & pro nobis interpellantis. Per sæcula sæculorum, durationem nunquam finiendam designauit.

Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester.

APTISSIME post designationem promulgationis Euangelij sacri in spiritu tractatoribus, & prædicatoribus eius, modus & mẽsura intelligẽdi diuina præscribitur, vt
Rom.12. non altum sapiant, sed sapiant ad sobrietatem, vt inquit beatus Paulus. In diuinis
enim mysterijs præsumptuosa inquisitio, mentis obcæcationem parit. Ascendet, in-
Psal.63. quit regius Psaltes, homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Et rursus Sapiens: Qui
Prou.25. scrutator est maiestatis diuinæ, opprimetur à gloria. Etenim, etsi doctores & prædicatores, plebem longo interuallo in particulari cognitione diuinorum, quæ Scriptura sancta offert, excellere debeant, suum terminum, & modum seruare debent, scilicet humilitatem & necessitatem illuminationis diuinę, quę fidei mensura communis existit: quemadmodum & populo suus terminus & certa meta præfixa est, nempe obedientia suorum pastorum, & prælatorum, à quibus cognitionem diuinorum mysteriorum discere & accipere debent. In cuius rei testimonium dans Legem Do-
Exod.19. minus in monte Sinay Moysi & Aaron, radices eiusdem montis terminos constituit, quos transgredi viuens nemo poterat. Hunc igitur intellectum & spiritum Dominus docens, messoribus, hoc est, prædicatoribus Euangelij, vsq; ad solũ segetes secare non permittit, nec ex messione spicas remanẽtes colligere. Sic enim hunc locũ Dominus
Matth.10. interpretatus est per suum Euangelistam dicẽdo: Messis quidem multa est, operatores autẽ pauci: rogate Dñm messis, id est, huius sapientiæ diuinæ inuulgãdæ, vt mittat operarios in messem suam. Sed relinquantur, inquit, pauperibus & peregrinis, hoc est Christo Dei filio vnigenito, q colonus pauper & peregrinus futurus erat in terra,
Hier.14. vt inquit Propheta. Ipsi enim exacta cognitio mysteriorum, quæ nobis reuelata sunt, & aliorum quæ hic nõ sunt reuelata, quia non necessaria, qui omnia nouit, relinquantur; quorum societate in patria præclaram Dei visionem cum ipso replebimur. Poteris præterea dicere, relinquenda esse Sacramẽta diuina peculiariter cognoscẽda pauperibus, & peregrinis, id est, humilibus, quibus Dñs dat gratiam, superbis autẽ resistit,
1.Pet.5. vt inquit B. Petrus. In quibus etiam suos oculos defixos habet, vt per illustrem Pro-
Esai.66. phetam testatur Dominus, dicens: Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & con-
Psal.18. tritum corde, & trementem sermones meos? Item regius Psaltes, Lex Domini immaculata, testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis. Cui etiam regulæ pro ratione illius tẽporis, contenti pædagogia Legis, eam maiores illius populi cum humilitate tractarent, mysteria quæ signabantur, venerantes, & suos intellectus comprimentes: neq; vt scientiam & disciplinam humanã ad vltimas vsq; radices luxuriantes, deducere præsumerent. Quia diuina sapientia hæc est, quæ humilibus tantum suæ cognitionis copiam facit.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur sanctum. Omne opus seruile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino.

QVARTO loco festum tubarum, prima die mensis Septembris solenne constituebatur in memoriam liberationis Isaac per suffectionem arietis loco illius, quando eius mortem pater ipsius Abraham iussu Domini intentauerat: atque hinc cornibus arietum, aliorumq; animalium personando, eum diem celebrabant. Vbi mysteria mortis sanctissimæ, & gloriosissimæ resurrectionis, adorari à longe illis iubebatur: nobis autem vsqueadeò felicis sortis, ijsdem re exhibita, frui & potiri plenissimè concessum est: imò ad diuitias cælestium fructuum comparandas, quotidie ab Ecclesia sancta inuitamur. Quapropter vt nosmetipsos torpentes & vecordes vehemẽtius arguamus, videamus quanta commendatione in figura, hæc fuerint præsignata. Septimo mense, & prima die mensis festum hoc celebrabatur: quoniam in septima & postrema mundi ætate verbum caro factum est, nostramque naturam

Christus

Christus Iesus vnigenitus Dei filius sua sacratissima morte & resurrectione, operatus
est: quo tempore omnipotens Deus ab ira & furore ex peccato dominante, concepto, quieuit (vnde hymnum illum gloriosum in natiuitate Domini angeli cecinerunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis) Luc. 2.
quemadmodum in creatione mundi elapsis sex diebus quieuit ab omni opere quod
patrarat. vnde & nos ad requiem etiam inuitat Dominus, dicendo: Venite ad me Matth. 11.
omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et rursus prima die: quia
initio ipso postremę ætatis in ipsis primordijs, moriente & resurgente Domino, quies
& liberatio à iugo peccati hominibus contigit, dicente beato Ioanne: Filioli nouissi- 1. Iohan. 2.
ma hora est, &c. vnde & Sabbathū, id est, requies hoc festum appellatur. Atque non
simpliciter, vt post septénium quodq; succedentia Sabbatha: sed sanctum, quoniam
eo non ad pædagogiam, & præparationem sanctitatis legalis, sed ad ipsam sanctitatem accipiendam, vita tractandam & perfruendam ex meritis Iesu Christi, ea nostra
faciēdo inuitamur, & vocamur. Rursus memoriale cognominatur: quòd mysterium
significaret nunquam è memoria excisurū. vnde & sanctus Dauid memoriam mortis Iesu Christi, in Sacramento altaris relinquendam, præuidens, dixit: Memoriam Psal. 110.
fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus
se. Et ipsemet Dominus in suæ mortis memoriam sacrificium Missæ instituit, dicendo: Hoc facite in meam commemorationem. Memorialeque item est æterni Patris; Luc. 22.
quia ad mortem sui vnigeniti respiciens, quando eam virtutum exercitio, atque operibus à sancta matre Ecclesia præscriptis, nostram pœnitentes fecerimus, peccata condonat, clangorem tubarum, holocaustum, & cessationem ab omni opere seruili deinde petebat; nōn sensibili sono, qui aures demulceat, delectatur Dominus, sed intelligibili vocum prædicatorum, qui vehementiùs perstreperent, animos hominum occupando: imò, & à veteri vita, à seruitute peccati, à superbia & elatione diaboli eo
homines deciderent: perinde ac septem tubis hoc ideo significantibus, muri Hiericho circumsoniti corruerunt. Atqui, quoniam cælestium harum tubarum concinna- Iosue 6.
tio ad finem vsque mundi perdurabit, ictu oculi, in nouissima tuba beatus Paulus obiturum dixit. Holocaustum deinde petit à fidelibus audientibus: Ignitum est enim 1. Cor. 15.
eloquium Domini; ideo igne charitatis accensos seipsos, suamq; vitam Deo offerant Psal. 118.
efflagitat. Est item vitæ lucerna, pedibus & gressibus hominum in vita: eo igitur duce belli vias, & itinera sequi & frequentare oportet: Nam quis obsecro cæcus visum Psal. 118.
recipiens, lumen non sequeretur, & tenebras fugeret? nemo sanè, vel ea ratione, ne
retenebrari contingeret. Demum ab opere seruili cessare præcipit: per quod non solùm intellige, quod rei familiaris paratio & administratio requirit, (hoc enim seruile dicitur contra animæ spiritale, quod diebus festis, hominem Christianum occupare debet, sic ipsos sanctificando & animæ negotia tractando.) Verùm seruile hic dicitur contra illiberale, & quod cum virtute & ratione pugnet, dominantibus sensibus
primi mancipij & serui, corporis scilicet, fautoribus, & actoribus. Hoc enim Sabbathū & perpetuus dies vltimæ ętatis mundi sanguine Christi consecratus, & gloriosissima eius resurrectione, in pignus nostræ resurrectionis sanctificatus, sancto & Deo
consecrata opera requirit. Præterea ab opere seruili vult Christianos abstinere: id est,
ab operibus, diuitijs, honoribus & vanitatibus huius sæculi subiectis & seruientibus.
Nam horum operum tempus cum Iudæis transijt, qui totos suos conatus, spes & opera in ditionis & ambitionis famulatu constituerunt: quod ipsi mortem Christi appetentes testati sunt, dicentes: Si hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum
nostrū, & gentem nostram. Cum enim Dominus eos, spe regni temporalis, & bonorum præsentium copia, ad spem regni cælestis erigeret, & diuitiarum suppeditatione, ad futura alliceret, caducis rebus consopiti, ad cælestia oculos non aperuerunt.
Atque hinc Dominus dixit: Lex & Prophetæ, qui scilicet bona temporalia proponebant, vt sic populum ad Deum omnium datorem præpararent, & ad cælestia inuitarent, vsque ad Ioannem: quasi diceret: Non iam pomis & ficis vt pueri inuitandus est populus, sed bonorum ipsorum cælestium aperta propositione. Neque
his rebus seruientes Christiani, vt Iudęi viuere debent, sed liberi à seruitute mundi &
corporis. Quapropter eo iure quo Iudæos perfidos abominamur, & eorum opera, indolem omninò perhorrescere constringimur.

Loquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis: & quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus vestris. Sabbathum requietionis est: & affligetis animas vestras. Die nono mensis septimi à vespero vsque ad vesperum celebrabitis Sabbatha vestra.

QVINTO loco decima die eiusdem mensis festum præfigitur, quod expiationum, & propitiationis appellatur: expiationum, quia in memoriam remissionis illius peccati, quando Iudæi Ægyptios imitantes, vitulum sibi fecerunt, quem tanquam Deum suum coluerunt & adorauerunt, institutum est: & propitiationis, quia largissima manu suæ misericordiæ vsus, tantum facinus ipsis pœnitentibus propitiatus est Dominus. nam visa morte, quasi viginti trium millium hominum, & incussis minis, quòd eos non præcederet Dominus, ne totum populum vsqueadeò duræ cer-
Exod.33. uicis vno impetu consumeret, & disperderet in via; afflixerunt se, deponentes ornamenta sua: vnde hoc festum primò indictum est. In memoriam igitur tantæ indulgentiæ, qua expiati fuerunt, vt similia facinora deinceps cauerent, & quæ incurrissent peccata, donaret Dominus, festum hoc expiationum, & propitiationis stabilitum fuit: & bene nota, quòd non expiationis, sed expiationum appellatur, quòd peccatum illud idololatriæ nexus, & complexio omnium fuit. Festi autem huius substantia in propria afflictione & castigatione vniuscuiusque posita erat, quæ vt commodiùs & impensiùs assumeretur, ab omni opere seruili cessare præcipiebatur, sub pœna delectionis à populo, manu Domini intellige, & à populo suorum electorum: & detrusionis in infernum morte plectendo, vt suprà latiùs hoc explicatum est. Qui autem se affligere neglexisset, de populis suis abijciendus, id est, à catalogo ciuium sui populi per rectores & magistratus ei præpositos: quæ grauior punitio est, siquidem viuens inferni mortem iam hic degustans, partem tandem cum
Lucæ 12. infidelibus habiturus eijciebatur. Atque tantam vim pœnitentia continet, quòd iustos & sanctos homines reddit; ob quod & sanctus is dies appellatur: & insuper Sabbathum requietionis, quòd Dominum requiescere faciat a laboribus & tormentis mortis, & passionis, quam peccatum perseuerans & pœnitentia non deletum, quantum ex se est, si abũdãtissime Dominus Iesus Christus pro infinitis mũdis qui essent, non satisfecisset, eandem repetit, & efflagitat. Vt de huiusmodi impœnitentibus
Hebr.6. dixit beatus Paulus: rursus crucifigere filium Dei, ostentui habere curantes. quod & idem Dominus fugam peccatorum commendans, eum seruire fecisse in pecca-
Esai.43. tis nostris queritur. Est præterea nobis Sabbathum requietionis, quia magnam conscientiæ pacem, quietem & tranquillitatem parit, iugo peccatorum excusso. Vn-
Matth.11. de Dominus dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Præterea à seruili amore ad filialem fideles transferre habet, ignemque diuini amoris in corde accendere, vt eo ardens pœnitens, se totamque suam vitam in Dei gloriam conficeret, & reficiat, quod est holocaustum offerre: quod hic petebat in spiritu Dominus. Ad
Eccles.5. hæc æneus murus contra peccatum existit: vnde Sapiens aliquando dixit, De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum. Est enim peccati frænum, quo sublato, peccati campus sine fine & meta excurritur: Quocirca in legitimum sempiternum eam exercere iubet Dominus: & per totum mundi æuum, vt suprà explicatum est. Et rursus in eandem rem à vespere nonæ diei ad vesperum decimæ obseruari, & custodiri iubet, id est, per totam vitam: vesperum enim vitæ, afflictionem & pœnitentiam significat, quam ita Dei, &
Psal 29. indignatio placanda exigit, vt regius vates docuit dicendo: Ad vesperum demorabitur fletus,

tur fletus, & ad matutinum, scilicet futuri sæculi, lætitia [illegible] est, gloriæ omnis gaudij plena, pœnitentibus promissa. At [illegible] hunc denarius [illegible] hoc [illegible] designatum: qui numerus cùm totus sit, totalitatem, integritaté, & absolutionem quandam dicit, vt per totum vitę tempus pœnitentiam amplectendam [illegible]: & item cum absolutione quadam vitę esse peragendum, in despectu quodam rerum huius sæculi, & insuper delectabilium gustus temperantia. Etenim illud per habitum [illegible] & despicabilem traditum est, quando post adorationé vituli, ad veniam impetrandam, Mosis ordine, ornamenta sua populus deposuit. Quod & Christus Iesus redemptor (Exod. 32.) noster explicuit dicendo: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, id est, Christiane viuere. Petit enim Dominus quandam renunciationem vniuersalem externorum bonorum & corporis, qua libero corde his homo vtatur, nulli collum subijciens, ita vt animi magnitudine, omnia venum exposita habeat, ne Deum offendat: tátum aberit, vt in discrimine positus, à fide Iesu Christi, eius adiutorio innixus, declinaret. istud verò, scilicet abstinentiam per virtutem ieiunij vel ipsa latio Legis exponit, cùm dicit: eo die debere vnumquemque affligere animam suam, id est, vitam suam. Quod explicuit beatus Paulus, cum huius diei (Actuú 27.) afflictionis mentionem faciens, socijs suadebat, non esse tutam nauigationem, quod multo tempore peracto, ieiunium scilicet horum dierum quoque præterijsset.

Et loquutus est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, à quinto decimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum [illegible] diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus, atq; sanctissimus. Omne opus seruile nõ facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino. Dies quoque octauus erit celeberrimus, atq; sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino. Est enim cœtus, atque collectæ. Omne opus seruile non facietis in eo.

AMPLIVS ad virtutem pœnitentiæ nos præparans Dominus, festo hoc sexto tabernaculorum (quod in memoriam peregrinationis quadraginta annis in deserto, vbi in tabernaculis Iudæi habitarunt, celebrabatur) nos præsenti vita peregrinos esse (1. Pet. 2.) aduertit. Quo argumento ad eandé rem apertius vsus est B. Petrus explicans quod hic ænigmaticè dicitur, inquiens: Charissimi obsecro vos, tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter gentes habere bonam, vt in eo, quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Tota igitur quæ septem dierum spatio [illegible] pœnitentia, ob oculos semper versanda est, quam amplectentibus, octauus dies coronæ & gloriæ erit. Vnde quindecimo die, qui numerus ex septem & octo constat, festum hoc principium sumebat. His autem octo diebus per singulos holocaustum requirebat, & opus omne seruile vetabat: quòd, vt dictum est, liberum cor à rebus sæculi amet, & [illegible] holocaustum, vt dictum est, pœnitentia oblatum, ipsi gratum & acceptum sit. Primum autem & octauum signanter sanctissimos & celeberrimos haberi volebat: Quoniam dies resurrectionis Domini, qui vitæ Christianæ principium dedit, in virtute [illegible] illa ineffabilia octauæ diei, id est cælestis gloriæ continet, qui illo quindecimo fuit designatus, vnde octauo æquiparari videtur. Cæterùm differentia adhuc signata est: nam primus sanctissimus, inquit, vocabitur: Nõ enim sanctitatem ponit in hoc, quòd sic appelletur, sed in eo, quod cõuocatio totius populi fieri debeat ad ipsum celebrandum, suisq; votis, orationibus, & actionibus [illegible] sanctificandum. Diem autem octauum sanctissimum & celeberrimú vocat, quod talis in se sit, erit in [illegible] quoniam æternum glorię diem designat, qui omnes qui [illegible] sanctificabit, & glorificabit. Præterea octauus concione verbi Dei, ad quá audiendam colligendus erat populus, amplius solennizabatur, in quo designabatur [illegible] sapientię, qua omnes beati in cælo pro singulorum [illegible] perfruuntur. Quod auté hoc significet, quod dicit: Est enim cœtus atq; collectæ. Explicat [illegible] iuncta, [illegible] ob id repetit: Nullú opus facietis in eo. [illegible] habes [illegible] apud Esdrã, quando celebritas huius ritus in reditu populi à captiuitate [illegible] (1. Esdræ 8.) enarratis alijs sic dicitur: Legit auté in libro Legis Dei per singulos dies, à die primo

vsque ad

vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solennitatem septem diebus, & die octauo collectam iuxta ritum.

Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas: offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta, & libamenta iuxta ritum vniuscuiusque diei, exceptis Sabbathis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuitis Domino.

EPILOGANDO quæ dixerat, id exprimit, quo finis & propositum institutionis dierum festorum continetur: quod est cultus & honoris diuini exhibitio, offerendo holocausta, & libamenta, eo modo ait, quo pro singulis festis dispositum est. Etenim Christianus quilibet diebus festis post oblationem Christi Iesu Patri æterno Missam audiendo, vt sancta mater Ecclesia præcipit, gratissimum Deo opus faciet, seipsum in holocaustum & libamenta offerendo: in holocaustum igne amoris Dei, lignis pœnitētiæ & doloris peccatorum accensi, suam voluntatem, omnem vitam Dei gloriæ & honori subijciendo. Quia regi sæculorum immortali soli Deo honor & glo-
1.Tim.1. ria in sæcula sæculorum amen, inquit Paulus: In libamenta verò, opera pietatis, misericordiæ & iustitiæ cum proximo exercendo. Hæ enim cibi & epulæ sunt Dei, & libamenta, seu cibaria quæ in mensa sua militantis Ecclesiæ desiderat: vt idem Domi-
Iohan.6. nus manifestauit dicendo: Operamini non cibum qui perijt, sed qui permanet in vitam æternam. Sic cibatur vniuscuiusque anima, & libamenta Deo apponit. Quod etiam facit homo, quando donaria sua voluntariè offert Domino; & quando sponte, aut ex voto ieiunia, stationes, peregrinationes, statutas orationes promissas, exhibet. Ob quod cum libamentis & holocaustis præfixis hæc coniungit: & etiam obseruationem Sabbathorum, quæ quietem significat. Oportet enim vt memorata opera & si-
Psal 30. milia accepta sint Deo, à peccatis quiescere: vnde regius Psaltes integritatem vitæ definiens ait: Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. Et a-
Esai.1. lius illustris vates ad virtutem fideles præparãdo dicit: Quiescite agere peruersè, discite benefacere: cessationem à peccatis, virtutis initium definiens.

A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die primo & die octauo erit Sabbathum, id est, requies. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frõdium, & salices de torrēte: & lætabimini corã Domino Deo vestro, celebrabitisq; solennitatem eius septem diebus per annum. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis: vt discant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti: Ego Dominus Deus vester. Loquutusque est Moyses super solennitatibus Domini ad filios Israel.

RITVM & ordinem celebrandi festum tabernaculorum iam hîc Dominus enarrat & tempus eius alia periphrasi exornat, nempe quòd sit id, quo fructus a terra colliguntur, primum diem & octauum Sabbathum, id est, requiem constituendo. Deinde commune iubilum fieri præcipiebat, omnibus ramos diuersarum arborum gestantibus, quare lætitiam, & gaudium exultando exprimerent, & festum præfatum, sic per septem dies continuos celebrarēt Domino. Arbores autem nominat oliuam, palmam, myrtum, fraxinum, & similes densarum frondium, atque salices, aliasque nemorosas arbores quæ in torrentibus & decursu aquarum nascantur, & procreentur. Nam per pulcherrimam arborem etsi citrum quidam interpretentur, dicentes: Vocem Hebræam הדר badar, eam arborem significare, mihi autem probatur oliuam
Eccl 17. esse, quod Scriptura plane id asserat, cum sponsa dicit: Ego sicut oliua speciosa in campis. Et rursus Hierusalem obiurgans, quod in peccatis perseuerans, sacrificijs Deum
Hier.11. placare niteretur, ea sibi accepta fore suspicans ait: Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? oliuam vberem, pulchram, fructiferam, spe-
2.Esdr.8. ciosam vocauit Dominus nomen tuum. Sed & Esdras ad hanc solennitatem celebrandam

brandam frondes oliuæ, quam appositiuè pulcherrimam appellat, afferre iubet. quod si nolis appositiuè legere, pulcherrimam hanc arborem: pingue lignum quidam transferunt, per quod alij balsamum, alij pinum, alij cedrum [illegible]ligunt, ex quibus vmbracula, & tabernacula construebant: & frondes item myrti loco arboris densarum frondium, quæ hic legitur; & deniq; arboris nemorosi, loco salicum, quæ hîc nominantur. Demum toto mense Septembri, quo festa tria memorata celebrãtur, in vmbraculis, & tabernaculis habitare iubet omnes indigenas Israel, in memoriam, quòd per desertum eductos ab Ægypto, in tabernaculis eos fecerit habitare, & in huius rei, posterorũ disciplinam, & recogitationem. Primo ergo loco ferias inclusas inter decimum quintum diem, & octauum mensis septimi celebrare iubet, ita quòd dies primus & octauus sint Sabbathum, id est, requies: & festum tunc celebrãdum præscribit, quando colliguntur fructus terræ. Qua repetitione, & collectionis fructuum mentione, fructus Christianæ vitæ in hoc sæculo, quos Dominus requirat: & impensas quas ad eos generandos & nutriendos apponat, & præmium simul, quod cultoribus habet repositum, proponit. Ergo vt dictum est, tota vita præsentis sæculi, quæ septem dierum spatio clauditur, duobus peragenda est, & cessatione operum terrestrium, & bonorum atque cælestium prosequutione: quæ manifestè indicat terrenorũ operum collectio. Nam eo tẽpore, vt quæ ex præterita cura, & impenso labore, iustos fructus reddat, nulla cultura ei adhibetur, donec ratione reddita culturæ acceptæ, & seminis commissi, iterum præparetur, & fœnore accepto rursus fœcundetur, & iustam vsuram debito tempore referat. Quocirca cessatio ab operibus, terræ corporis & sæculi subiectis, quibus peccatum dominatur, aptissimè significatur: vt deinceps, quemadmodum terreni fructus ad vitæ corporalis vsum colliguntur & disponuntur, ita & virtutum opera ad sustentationẽ animæ, eiusq́ vsus colligantur, id est, exerceantur, & cumulentur. Quod Dominus exponens, dixit: Iohan. 6.
Operamini non cibum, qui perit, id est, corpori destinatum, in eo omninò cõsopiti, sed qui permanet, ait, in vitã æternam. Insuper dicẽdo, in primo & octauo die Sabbathum esse & requiẽ, expensas, quas ipse Dominus facit, & præmium, quod laborantibus pollicetur, exponit. nam primo die requies est à peccato, morte Christi deuicto, & festiuitas, operum cælestium inchoatione, pignore resurrectionis Domini accepto. Et quoniã resurgente Christo, thesaurus omnium donorum & gratiarum, quibus labores, studia, & opera Christiana suscipiuntur, exercẽtur & cumulantur, reseratus fuit, hinc memoratus dies quietis est, & maximæ solennitatis, & cælestium expensarum nostræ curæ, in numerato facta receptio. Dies verò octauus idem est: siquidem septem diebus elapsis, idem dominicus dies redit, initiũ septimanæ faciens. quoniam peracta vita hac, quies aliã æternæ gloriæ Christianum accipit, nunquam finiendæ vitæ principium præstans. Quod æternum gloriæ pondus est, omnibus qui acceptorum nũmorum, primo die, legitimæ dispensationis rationem per septem huius sæculi dies reddiderint. Deinde tripudium subijcit, scissis de arboribus ramis solẽnitatem celebrando. Etenim vita Christianè acta, gaudium, pacem, lætitiam comites habet, dicente Apostolo: Non est enim Rom. 14.
regnum Dei esca & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in spiritu sancto. Et ante ipsum Regius vates ad hunc locum alludens: Vox exultationis in tabernaculis iustorum. & Psal. 68.
iterum, ciuium Ecclesiæ vitam qualificando, inquit Sicut lętantium omnium nostrum habitatio est in te. & quid lætitiam hanc pariat? cot profectò in loco suo naturali, nempe Deo reponens, eius gloriam & honorem procurando. Quippe motus timoris, tristitiæ, concupiscentiæ, & cæterorum affectuum, qui perturbant homines, inde proueniunt, quòd cor & desiderium in re aliqua caduca defixum sit, & ipsi subiectum; quæ cum labore intentetur, & acquiratur, & cum timore & sollicitudine possideatur, & cum dolore item relinquatur, vndique motibus perturbatum, animus agitatur, quibus caret, quo in Dei honore ponitur; quia innatum est illi in suo loco naturali conquiescere, quemadmodum cæteris rebus. Vnde Sapiens obnixè petebat, vnumquemque stare in loco suo, dicens: Confide in Deo, & mane in loco tuo, facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem. & rursus cum cor in operibus studiosis, & Dei gloriam quærentibus ponere consuluisset, subdit: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare faciet peccata maxima: id est, si affectus dominandi te inuaserit, stationem tuam, & pristinum statum ne deseras, sed affectum vincere cura; quia qui sedat affectum, maxima vitat peccata. Hinc igitur sumentes &

Eccli. 11. Eccle. 10.

tes & gerentes ramos lætari iubet: quia sumptiones, & gestationes ramorum quos præscribit, omnis generis virtutis opera exercere est. in primis misericordiæ, quę oliuæ rami
Eccles. 9. designant propter alacrem[illegible]fusiuam naturam olei: vt Sapiens hoc explicat, dicēs:
Omni tempore, sint vestimenta tua candida, & oleū de capite tuo non deficiat; & alibi:
Prou. 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti. Deinde opera iustitiæ, & fortitudinis, quæ iniquitatem oppugnat, atque eius victorijs, contra iniquitatē allectus homo, semper ea exercēdo ad victoriā accingitur, & auxilio Christi vincit, quia vincens exiuit,
Apoc. 6. scilicet resurgendo, vt vinceret, nempe in suis, iuxta Apostoli sententiam. Victoriæ autem symbolum palma existit: ob quod suum festū resurrectionis nempe, tota vita celebrantes, palmarum ramos deferre vult, & nouos quosque; sed teneros dicunt Hebræi, qui sunt, quando folia adhuc in surculo delitescunt, & surculus ipse sceptri habet for-
Psal. 91. mam, quod vox Hebræa כפת cappoth significare dicūt. Vnde Regius vates ait: Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus libani multiplicabitur. Tertio loco omnium virtutum confusionem, quā memoratæ virtutes pariunt, & rami arboris densarum frondium, vt myrti, fraxini, & similium significant, desiderat. Myrtus enim boni odoris, & lignum humile, & florentis viriditatis est: quæ genimina studiosæ vitæ esse, planè considerando cernes. Quarto verò loco salicum ramos portantes amat, quia continentes & castiq; pœnitentes & humiles, qui ex se absque Deo nihil boni posse agere, continuè ferunt, maxime Deo placent: quas virtutes salices significant. Sunt enim steriles, & aquam amant, quæ comes est pœnitentium per lachrymas saltem cordis; & nō nisi iuxta riuos, & aquarum decursus plantati viuūt: perinde ac Christianus, nisi aquis sancti Baptismatis renatus, & in Ecclesia plantatus, & aquis deinde verbi Dei vegetatus, & continuis eius auxilijs adiutus, viuere, id est, operum fructus Deo acceptos ferre non potest. Qui enim placere vult Deo in omnibus suis actibus, proprijs viribus diffidat oportet, auxiliorumq; diuinorum petitione suspensum agere, cum captiuis in Babylone, dicendo:
Psal. 130. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion, in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Cùm autem de torrente eos optat, vitam hanc manifestè designat, quę rapido motu instar torrentis transit: & quia hyeme tentationum, & tribulationum semper agitatur: quas Dominus Iesus Christus pro no-
1. Pet. 2. bis ebibens, & nobis relinquens exemplum, in summo cæli fastigio, in quantùm homo,
Psal. 109 exaltari meruit. Quod concinens Dauid, dixit: De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput. Tandem iugis consideratio peregrinationis, & exulationis a patria, tantùm ad virtutis exercitium, & cæli iter nos præparat, quantùm à fusis, & vanitatibus huius sæculi retrahit, ab eiusque habitatione dimouet: quocirca singulis annis vno mense in vmbraculis & tabernaculis factis commorari disposuit. & præterea quòd tabernaculorum habitatio, mortis quædam suscipiendæ meditatio & disciplina existit, defectum continuum huius tabernaculi, nempe corporis, quod anima inhabitat, repræsentans.
2. Cor 5. Sic enim B. Paulus hoc sentiens, dicebat: Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, inge-
Psal. 90. miscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri. & Regius vates: Non
Psal 18. accedat ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et exitus tabernaculi, Psalmus quidam inscriptus est. quibus locis tabernaculum pro corpore accipitur. & exitus tabernaculi idem est, quod discessus à corpore, vt clarius expressit beatus
2. Petr. 1. Petrus, dicendo: Certus sum, quòd velox est depositio tabernaculi mei: ad quem discessum eo Psalmo nos propheta præparat. Iam quantū mortis memoria virtutes pro-
Eccli 7. moueat, vide, cùm dicat Sapiens: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Tali enim cogitatione ad gloriam & honorem Dei bonis operibus quærendam accingimur. & qui sic viuit, gloriam & honorem iuxta iusti iudicis retributionem, sibi cu-
Basilius in Psal. 28 mulat, vt inquit Basilius. Præterea hoc operatur, vt miseram habitationem huius corporis agnoscentes, quòd dum in ea sumus, peregrinemur a Domino, desiderio cæli inflammari eius tabernacula ardeamus, cùm Dauid dicentes: Quam dilecta sunt taber
2. Cor. 5. nacula tua Domine virtutum, cōcupiscit, & deficit anima mea in atria tua. Et bene nota, quòd gerere se peregrinum in vita, Christianorum tantùm est, qui cælestium bonorum, medijs sanctis Ecclesiæ Sacramentis, participes facti sunt, & ineffabilium præmiorum pignora tenent, bene hac vita functi. Exteri autem mundi voluptatibus inclinati, & diaboli visco detenti, vt nunquam migraturi in sæculo degunt, & eius habitationem procurant: vnde hic tantū filios Israel in tabernaculis commorari præcipiebat. Deniq; peregrina-

peregrinationis huius nostræ considerando, liberationem nostram à tyrannide diaboli, à seruitute peccati, & à mortis perpetuæ faucibus, per mortem vnigeniti filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, continuò memorat; quam liberatio Israel, ab Ægyptia potestate sub Pharaone, tanto ante tempore designauit. Atque eductus populus, in tabernaculis per desertum quadraginta annis habitauit; vt peregrinari sanè à promissionis terra, & item omninò pendere à Domino intelligeret, ne in Ægyptum, & amaritudines pristinas relaberentur. Ita & nos Christiani, diuino sanguine, à diabolo, peccato, & morte liberati, peregrinam vitam agamus: vt qui non promissionis terram materialem, sed cælestem habitare, & æternas sedes occupare singulis diebus sperant: & rursus, vt qui tantorum beneficiorum memores, peccati, mortis, & mundi amaritudine nauseantes, gratos Domino, vitæ Christianæ delectu, se exhibere procurant. & hoc est, quod dicit Dominus: vt discant posteri vestri, quòd habitare fecerim filios Israel in tabernaculis, cùm educerem eos de terra Ægypti. Domus ergo desidiosę & morosę habitationis, vulpibus & volucribus relinquantur, & sequamur Dominum, dicentem: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis nõ habet vbi reclinet caput suum. Lucæ 9. æmulemur Rechabitas, qui vsque adeò suspexerunt præceptum patris sui Ionadab filij Rechab, vt in tabernaculis semper habitarent, nec vinum biberent. Perinde igitur nos Domini monita non negligamus, sed à delicijs mundi, & eius lenocinijs dominantes, Hier. 35. ad patriam properemus. Concludit autem, Ego Dominus: quasi dicat, qui mirabilia dicta feci; & figurata completurus sum. Et hæc sunt, quæ de solennitatibus iussu Domini Moyses disposuit.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

ET loquutus est Dominus ad Moysem, dicens: Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum, & lucidum ad concinnandas lucernas iugiter; extra velum testimonij in tabernaculo fœderis ponet eas Aaron à vespere vsque in manè coram Domino cultu rituque perpetuo in generationbus vestris: super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.

SOLENNITATIBVS definitis, quas populus obseruare tenebatur, ministeria sacerdotum, quibus celebrari debebant, sequi, ipsa res deposcebat: hæc erat lucernarum accẽsio, & panum propositionis subministratio, loco, tempore, & ordine in textu præceptis. Quæ quia in litera patent, omissa figura, & cæremoniali, quod re adueniente cessauit, ad intellectum & spiritum transeamus. Tota hæc vita, lumine fidei & diuini verbi priuata, nox est, & nebularum densissima quædam obtenebratio: quod Regius Psal 118. Psaltes docuit, dicendo: Lucerna pedibus meis verbum tuum. & alibi: Exortum est in Psal 111. tenebris lumen rectis corde: misericors & miserator, & iustus Dominus. & illustris propheta Esaias (referente sacro Euangelista) populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lu- Esai. 9. cem magnam, & ambulantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Et quid hic immorandum est: ipsamet veritas dignata est hoc idem manifestare, dicendo: Ambu- Iohan. 12. late, dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Hoc igitur definito, cùm suprà in descriptionibus solennitatum, curriculo septem dierũ huius vitæ, vitam Christianam depinxisset, lucem quam sequeretur, & ex qua depromenda foret, & viaticum, quo sustentanda, proponere supererat: quod hoc loco facit. Igitur promptuarium, ex quo vitæ Christianæ actiones, & cibaria depromenda sunt, fides est; quandoquidem, ad Rom. 1. ex Abacuc 2. iustus, sentẽtia Domini, ex fide viuit, id est, operatur: & dux item, qui eam anteambulando ducet; atque lumen quod tenebras errorum omnis generis excutiat intellectus & morum, verbum Dei existit. Oportet autem his donis, & functionibus potituros, Eccli. 30. Deo placendo, vt inquit Sapiens, animæ suæ misereri. Oportet inquam ad miseriam, quam anima sibi relicta patitur, oculos mentis attollere: & imposito corpori silentio (paupere mendaci, & importuno) voces animæ verè pauperis audire, illi succurrere, atque eleemosynam largiendo, necessaria prouidere: nam eam quæ ad cælum creata est, cælestis doctrinæ indigam videbis: & pabulo quotidiano virtutum deficientem, quæ in via & itinere posita est: & in tenebris agentem, atque oculis caligantem, quæ lux & oculus corporis, designata est. & quis iam illius non commiserescet? insanus profectò.

ita enim

Lucæ 11. ita enim dicit, Dominus Iesus Pharisæos obiurgans, qui neglecta animæ munditia, corporis tantùm curabant: Hypocritæ, qui fecit, quod foris est, nonne fecit, quod intus est? quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. id est, restat ergo Augusti. in Enchirid. (vt eleganter exponit B. Augustinus) eleemosynam, hoc est, misericordiam impendere animæ vestræ; & omnia, tam quæ ad animam, quàm quæ ad corpus spectant, munda erunt vobis: non tamen è contrà. Curam igitur & solicitudinem huius eleemosynæ prouidendæ tanquam oleum requirit Dominus, ad lumen fidei recipiendum; & à fidelibus, ad charitate eos accendendum, & nutriendum. Atque hinc Dominus per Moysem à filijs Israel oleum afferri ad ipsum iubet: quia Moyses Christum Iesum nostrum retulit, vt magistrum, institutorem vitæ, & doctoré pro tépore mortalis vitæ: Aaron autem eundem, vt sacerdotem, & in ara crucis pro peccatis omnium se offerentem. At quia Iohan. 1. Christus lux venit, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: cuius luminis tantùm fit particeps, qui memoratum oleum, eleemosynæ scilicet, suæ animæ affert, hinc ipsum, ad Moysem, omnem populum afferre iubet. Quod clariùs docet, cùm finem explicat: ad concinnandas, inquit, lucernas; id est, suo ordine accendendas, & necessario pabulo nutriendas: vbi animas, lucernas vides, quę primùm ad Ecclesiam venientes, lumine fidei, charitate inflammatę & informatæ accéduntur; & fideles prædicto oleo eleemosynæ quæ pœnitentia potissimùm est, iterum igne charitatis accéduntur, & accensi nutriuntur. Hinc Dominus, cùm abstinentia corporis, lumen fidei, diuiniq; sui verbi intus in animis tanquam in lucernis inclusum, operibus foras exerere & Lucæ 12. manifestare, discipulos vrgebat, dicebat: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. & rursus ab omnibus fidelibus (qui cæli tabernacula reserata sibi desiderant, curam memorati olei commendando, quod operibus misericordiæ notifi-Matth. 25. catur, & augetur) parabola decem virginum petit; quarum quinque fatuę; quia non sumpserunt oleum secum, extinctis lucernis comparentes, ianuam cæli clausam inuenerunt; quia & si fidem haberent, mortuam tamen, sua forma & charitate carentem. Sed mirum est, quòd defectus operum misericordiæ cælum fideli occludat, & vsus aperiat? vt ex hoc loco colligitur, & apertiùs infrà, cùm damnationis causam prauis Dominus reddit, operum misericordię negationem; & bonis aditus cęli rationem, eorundem Matth. 25. operum vsum, dicendo: ite maledicti, &c. Et sanè si attentè rem inspicias, mortale peccatum illis ianuam cæli occludere, & gratiam atque charitatęm his eam aperire videbis. Etenim testimonium diuini amoris, operum misericordiæ exercitium est; quibus homo Christianus testatur, Deum plus diligere, quàm se, cęteraq; omnia ad se attinentia: quandoquidem vt ei placeat, suam voluntaté posthabet; & ea quibus viuit, in eius obsequium elargitur, & erogat. Amor ergo Dei supra omnia, & adimpletio mandatorum decalogi, ratio saluationis bonis redditur: quando operum misericordię adimpletio, causa proponitur: & contra malis, eorum defectus: scilicet non amasse Deum, & fractio præceptorum. Quoniam verò, cura hæc, animæ eleemosynam præbendi, pura esse debet, & non ficta, & opere in testimonium, & exemplum exterius comprobata; oleum purum & lucidum petit. & insuper ex oliuis. quia eleemosyna ex rebus malè acquisitis Deo non placet, vt neque oleum ceti, neque ex fructis alijs, acceptum est Domino, quia adulterinum est. Pręterea lucernarum locum, candelabrum cui superponerentur, tempus ministerij, & ministrum per quem exerceretur, exprimit. Situm, extra velum testimonij in tabernaculo fœderis signat: quoniam in Ecclesia catholica, quæ tabernaculum est fœderis, lumine fidei, & igne charitatis illustrandæ sunt animæ; cùm extra eam nec cælestis doctrina pura, nec salus sit. Et extra velum testimonij dicit, vt Christi commorationem in sua Ecclesia insinuaret: Nam vnigenitus Dei filius, qui è propitiatorio, testimonia sua populo reddebat, factus homo, cælestem doctriná Euangelij sacri, & veritatem prædicauit, vt coram Pontio Pilato idem Dominus testatus est, Iohan. 18. dicendo: In hoc natus sum, & in hoc veni in mundum, vt testimonium perhiberem veritati: nempe Scripturarum, quæ Euangelium continebant. & insuper in eius tuitioné, Matth. 28 suam præsentiam & continuam assistentiam Ecclesiæ promisit, dicendo: Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. In cuius rei figuram, lucernas iuxta propitiatorium, interstite tantú velo collocauit in tabernaculo fœderis; quod intra sancta sanctorum erat in ipso vestibulo. porrò extra corpus, (quod velum animæ est) & in facie ipsius Ecclesiæ, opere & sermone, id est, vita ipsa, Christianos

qui cælum

qui cælum aſcendere velint, teſtari oportet adoptionem filiorum: ſuamq; fidem, operibus pænitentiæ, & Deo acceptis oſtendere: Quoniam iuxta vatis ſententiam, tantùm illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael: id eſt, qui vita & operibus Pſal. 121. gloriam Dei & honorem in Eccleſia teſtati ſunt. Deinde cùm tempore omni ardere debuiſſent, tempus aſcenſionis ſignat, à veſpere vſque ad manè, id eſt, totam noctem: huius curam Aaroni iniungit. Etenim Aaron, vt dictum eſt, Chriſtum Ieſum ſungentem ſacerdotio in cruce retulit: quapropter eiuſdem Domini indeficientem curam, præſignans, ſuæ Eccleſiæ prouidendi, accenſione continua, & nutritione luminis fidei, Chriſtianorũ lãpades charitate accendendo, & maiorẽ ſui cognitionẽ impartiendo, & ita magis ac magis ſpe attollẽdo, & erigẽdo, nocte præſentis vitæ: Aaroni ſummo ſacerdoti accendendi lucernas munus à veſpere vſque ad mane demandauit: atq; innuens item diebus, & clara luce, per alios, & minores ſacerdotes, ordine tamen maioris hoc efficiendum. Itaque Chriſtus redemptor noſter, noctem legis, ſua prædicatione ſacroſancta & Euangelij lumine, illuſtrauit; accenditq; lucernas, nempe Apoſtolos, qui in die & luce iam poſiti, lucernas, & lampades nouas incendentes, totum mundum colluſtrarent. In quam etiam rem lucernæ ſupra candelabrum ponuntur: quod, niſi id myſterium requireret, ſuperflueret. candelabrum enim & luminare maius, ſua doctrina, diuina vita, & cæleſti conuerſatione, totum orbem illuminans, & vitam omnium ſaporans, vt ſal cibos, Chriſtus Ieſus noſter extitit: qui vicarias ſuas vices Apoſtolis demandans, eiſdem dixit: Vos eſtis ſal terræ (à vitæ ſcilicet conuerſatione incipiens) vos eſtis Matth. 5. lux mundi. atque ne ſibi fidentes præſumerent, hunc locum exponens, ſupra candelabrum poſitos, id eſt ſupra ſe, ſuamq; fidem & doctrinam, ſemper aduertere iubet; ne ab eo dimoti in vtroq; errarent.

Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas, quorum ſenos altrinſecùs ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues. & pones ſuper eos thus lucidiſſimum, vt ſit panis in monimẽtum oblationis Domini. per ſingula Sabbatha mutabuntur coram Domino, ſuſcepti à filijs Iſrael fœdere ſempiterno. eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedãt eos in loco ſancto, quia ſanctum ſanctorum eſt de ſacrificijs Domini iure perpetuo.

VIATOR ad ſuum iter perficiendum, & duce, vt rectè gradiatur; & cibo, ad ſuſtendandas & corroborandas vires, ne medio itinere deficiat, indiget. Itaque accingenti ſe ad cælum homini, ductricem lucem ſui verbi ſuprà prouidit: nunc cibum & viaticum tali itineri conueniens, nempe Euchariſtiæ Sacramentum ſuppeditat. quod duodecim panes propoſitionis, ante Dominum conſtituti, apertè ſignificabant. Primùm enim ex ſimila, flore farinæ, & adipe frumenti conſtabant, quam Chriſtum Ieſum in Sacramento altaris figuraſſe, multis in locis ſuprà repetitum eſt. Atqui quoniã corpus Chriſti, non niſi ſartagine crucis priùs frixum, eſui fidelium coaptatum eſt, panes coctos hîc ſibi apponi volebat Dominus. & ex duabus decimis ſimilæ, rurſus coctos, petebat: quia ſub ſpeciebus panis, totum Chriſtum verum Deum & hominem cõtinendum, figurabatur: altera decima diuinitatem, altera humanitatem in vno ſuppoſito diuino, ſignificantibus. Equidem denarius numerus totus eſt, & ita quælibet decima, totam & integram vnam naturam referebat. Præterea ſenos, & altrinſecùs menſæ puriſſimæ ſuperponi iubet, cum thure lucidiſſimo, in monumentum, ait, oblationis Domino. Etenim verbo Domini (quod & panis ſignificat, dicente ipſo, Non in ſolo pane viuit homo, ſed Matth 4. in omni verbo, quod procedit de ore Dei) in hoc myſterio, panis conuertendus erat in corpus Chriſti: & quoniam perfectiſſimè prædicandum vniformiter erat ab Apoſtolis, numero ſenario, qui perfectus eſt, & è regione ſe reſpicientes diſponuntur. & in puriſſima menſa, & cum incenſo: proculdubio puritatem deſignans, qua fideles ad tantum Sacramentum acceſſuri erant; & orationem inſuper, quæ communionem & ſumptionem tanti myſterij comitari debuiſſet. Quippe nullo alio modo impẽſiùs animæ munditia & deuotio ſumpturis commendari potuit, quàm puritate menſæ, & appoſitione thuris lucidiſſimi in eadem: non quidem propter mẽſam ea puritas, & fragrantia thu- 1. Cor. 9. ris requirebatur (non enim de bobus cura eſt Deo) ſed propter acceſſuros ad hanc cæ-

leſtem

lestem Domini mensam, qui conscientia nitidi, & oratione virtutis odorem emittente, & igne charitatis splendescente, Deum laudantes, & gratiam petentes, conuenire debent. Thus quippe Hieroglyphicum, orationis, & Dei laudationis est, dicente propheta: Psal 140. Ascendat oratio mea ad te Domine, sicut incensum in cōspectu tuo. Vt autem planius videas memoratum mysterium, hic Dominum vel digito demonstrasse, attende: in monimentū oblationis, hoc fieri præcepisse. id est, in pignus oblationis illius tā gratæ Domino, qua vnigenitus eius filius in sacrificio sancto Missę offerendus erat æterno Patri, quæ per antonomasiam, oblationis nomine intelligitur: Etenim tanti mysterij & pignus dare, & eius memoriam futuris generationibus commendare oportuit: atque ita tempore accedente rei figuratæ, Luce 22. vt eius promissionis nos Dominus Iesus Christus admoneret, Sacramentum instituens, & primam Missam celebrando, idem in sui commemorationem discipulis præcepit facere. Præterea sanctum sanctorum de sacrificijs Domini appellat: quia ipsa sanctitas est, id est, terminus & scopus, quo omnia sacrificia quæ offerebantur, tendebant. Vt enim sacrificium illud Christi Iesu cruentum in cruce, omnia sacrificia, quę effuso sanguine adolebātur, significabant; ita & sacrificium hoc panis singulis Sabbathis, idem Christi sacrificium, sed incruentum immediatè designauit. Atque hinc, quia panis cremari non poterat, thus tota hebdomada super impositum, accedente Sabbatho, loco illius incendebatur, & adolebatur, vt sic sacrificium fieret. tandem quòd singulis Sabbathis veteres panes, nouis appositis comederentur à filijs Aaron, nempe à sacerdotibus, & in loco sancto, non minùs rem explicat: quoniam & ritum Missæ dignatus est tanto antè tempore designare: scilicet, vt sacerdotes post oblationem hostiæ consecratæ, statim ederent in loco sancto, & Sabbathis insuper, quæ in dominicos dies mutata sunt: quia Dominus à morte iam liber post suam gloriosam resurrectionem, immortalis & gloriosus, & ad dexteram Patris residet in sacrosancto Missæ sacrificio, vt eius sanctissimæ mortis merita fidelibus applicentur, efficitur. Vnde bene nota sacerdotes ex hac Domini dispositione ad minùs diebus dominicis ad celebrandum in figura exhortari, vt nunc in concilio Tridentino diuinitus cautum est. simul etiam, vt dictum est, Scripturam sanctam notabant, quæ mysterium Christi in Sacramēto altaris, vt cætera continet & docet, vt eleganter Origenes explicat. Etenim pane corporali reficitur corpus, verbo autem Dei anima, ac proinde legitimè Amos 8. panis non sine ministratur. Vnde per Amos in punitionē sui populi, verba eius fastidientis, dicebat: Ego mittam in vos famem & sitim, non tamen famem, panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. & iterum per alium Prophetam idem notans: Hierem. Paruuli petierunt panem, & non est qui frangeret eis. Huiusmodi autem panis primò ministratus est, manu maiorum duodecim tribuum, Patriarcharum nempe & Prophetarum; & tandem duodecim Apostolorum, Euangelij sacri tempore; ac proinde duodenario numero panes proponebantur. & in loco sancto, & soli sacerdotes eos manducabant: quoniam in Ecclesia catholica & ministerio sacerdotum, verbum Dei plebi ministrandum est, ex duobus testamentis erutum. Vnde ex duabus decimis, quæ totalitatem & integritatem dicunt, quilibet panis conficiebatur. & duobus senarijs se mutuò respicientibus proponebantur, propter perfectionem doctrinæ, & identitatem, quá singulum eorum continebat, vetus nouo, vt seruus ministrans, nouum verò, vt Dominus à veteri signata mysteria accipiens. Atqui quoniam secretiorum mysteriorum tractatio, & peculiaris cognitio, maioribus Ecclesiæ conuenit, minoribus verò credere & facere, quæ ab ea proponuntur; hinc panes hi à sacerdotibus tantùm manducandi, ex simila, quæ in corde tritici latet, conficiebantur: cæteri verò qui offerebātur, alijs communicandi, ex communi farina tritici constabāt. in quorum figuram Abraham, qui ad secreta & maiora Domini mysteria vocatus fuit, angelos hospitio recipiens, ex simila Gen. 18. & 19. panes confectos præbuit: Loth verò, quia plebem referebat, angelis eisdem ad se diuertentibus, communes panes obtulit.

Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurgatus est in castris cum viro Israelita: cumque blasphemasset nomen Domini, & maledixisset ei, adductus est ad Moysem. Vocabatur autem mater eius Salumith filia Dabri, de tribu Dan. miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid iuberet Dominus: qui loquutus est ad Moysem, dicēs:

Educ

educ blasphemum extra castra, & ponent omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus.

PEREGRINIS, regulis morum, vitæque normis eruditis, & item pabulo necessario, & viatico cumulatis, iurgia & lites componendi, lex supererat, quæ iam traditur. Atqui quoniam superiori libro latiùs de his differuerat, summa & compendio quodam eadem hîc perstringit. Occasio autem epilogationis & repetitionis iudiciariæ legis fuit, quòd dum euulgarentur elogia Dei memorata, quidam nomen Dei tetragrammaton distinctè id proferendo, cum vilipendio omni, & contemptu blasphemauit; vt vel hinc ingenium hominis cognoscas, qui inter ipsa sancta maledicere Deo ausus est. & vide quanta impudentia (conualescente peccato) fecerat, quòd cùm tempore Iob, Deo benedicere, pro ei maledicere vsurparetur; vt quòd mentem humanam id cogitare, nedum proferre, audere impossibile arbitraretur; aperto ore, & publicè, & negligendo data præcepta Dei, in blasphemiam maledicendo Deo prorupit. Is autem ordine iudicij seruato, reclusus in carcere, dum Domini sententia exspectaretur, tandem qui affuerunt, in testimonium, quod blasphemiam audierunt, manus super caput eius imponentes, ab vniuerso populo lapidatur; qui in Deum omnium conditorem & Dominum sic elinguatus extiterat. Vbi eos Dominus notauit, qui cùm Christiani sint & fideles, instituto tamen viuendi mundo famulantur, & omninò subiecti seruiunt, nec Deo, nec proximis, dum sibi blandiantur patcentes, oblata occasione venenum suum effundendi. Volunt quidem ij duobus dominis seruire, Deo & Mamonæ. Quare cùm Mamon, dæmon ille sit, qui mundi fastibus, & diuitijs præsidet, dominetur, vitæque gubernacula teneat, necessum est Deum contemnat, & nescio quomodo non odio habeat: quod & si diu dissimulet, furia tamen suæ voluntatis, vindictam appetente, Deum blasphemando, detegit. Hos autem hîc designatos fuisse, ipsemet Dominus explicat; dum blasphemi huius, Selomith, (quod perfecta & pacifica vertitur) matrem nominat, & filiam Debri, quod est verbum meum, & de tribu Dan, esse dicit, vt integram originem recenseat. Virum autem eius Ægyptium, id est, mundi amaritudine & turbulentia plenum, qui Israeli, & mulieri fideli dominaretur. Faxit Deus, vt confusio, & perturbatio sensuum nunquam menti, tanquam vir Ægyptius mulieri Israeliti, dominetur: nam vsque ad Dei contemptum in vitiorum campo laxatis habenis, bestialis vita nunquam sistet. Faxit Deus, vt homini Christiano lacte matris Ecclesiæ enutrito, vir Ægyptius, id est, mundus non dominetur. nam neque blasphemiæ, neq; hæresi parcet, oblato discrimine, pro sua voluntate & voluptate Deum commutandi: tantùm abest, vt à peccato aliquo & vitio abstineat. Etenim Israelita illa, sanctam matrem Ecclesiam figurauit: & ideò filia Debri nominatur, quia verbo Dei edocta & instituta, filios in sanctitate per Baptismum generat, & per suas ætates verbo Dei nutrit: ac plures à recta indole degenerantes, ex Ægyptio viro, hoc est, ex mundo eius aduersario, cum quo bellum indictum gerit, semetipsos, eá habere faciunt, & sustinere vt filios, atq; verbo Dei alimentare, quia fideles sunt, quod facit, exspectans, si quando ad cor redeuntes, cõuertantur. Synagoga mollis & effœminata fuit; at Ecclesia Dei catholica Romana fortis, constans, & insuperabilis est, vsque adeò, vt Israelita, id est, videns Deum dicatur: & Selomith, hoc est, pacifica & perfecta, quia pacis & virtutis perfecta mater, & schola cælestis in mundo est. quæ etsi insultus patiatur, non solùm ab exteris, Barbaris, Turcis, Ismaelitis, sed à suis per hæreses, & apostasias matri repugnãtibus, atq; Deum blasphemãtibus, Ægyptij viri mores, & errores sequentibus: nunquã tamen deficit, sed neq; ad finẽ sæculi deficere potest. Quocirca eius fortitudinem aliquando Sapiens demiratus dixit: Mulierẽ fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Prou. 31. At prope interitum & finem mundi constituta, hæresiarcha & apostata ille primus, Antichristus nempe, ex ipsa Ecclesia inter omnes prauos insolentissimo scelere notatus egredietur: cuius vitæ finis, & scopus erit nomen Iesu Christi blasphemare, vt beatus Ioannes auctor existit. Atqui cùm omnium scelerum magister aduentabit, vim eam ex origine & radice educet, ex adulterio, scilicet Ismaelitæ cum fœmina Christiana: quod ex hoc loco colligunt doctores. Etenim blasphemus hic (vt asserit Lyranus) filius erat Israelitidis ex Ægyptio adultero, quem Moyses occidit, quod viriũ mulieris oppri-

Iob 1.

Matth. 6.

lieris opprimeret, honorem matrimonij & proprium, cùm factum resciuit, vindicant. qui cùm in deserti peregrinatione, tribui Dan annumerati voluisset, iuxta eam tabernaculum figendo, cum viro eiusdem tribus id defendente, inita concertatione, in blasphemiam nominis tetragrammaton Ihehoua, quod nomen Iesu Christi, tunc non notum, mirabiliter continebat, cùm despectu prorupit. Vnde graphicè descriptus hic Antichristus colligitur: ac proinde hoc denotans mysterium, particula ea, ecce, vsus est legislator.

Et ad filios Israel loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatū suum; & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit, qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

Ex iudicio singularis facti, legem vniuersalem elicuit Dominus in omnes maledicentes Deo, atque nomen Dei blasphemantes: vt illi, peccatum suum portent; id est, puniantur, & pœnas sustineant peccatibus stabilitas: isti, verò lapidibus obruti moriantur; peregrini sint siue ciues. tantū enim ignorantiæ tribuit Dominus, vt qui ignorãtes maledixerint, lenius aliorum peccatorum pœnas subeundo, plectantur: qui verò prudentes & scientes, Deo maledixerint, verbis calumniam intulerint, honorique eius & famæ derogauerint, (hoc enim est blasphemare) morte mulctarentur: quòd scientia donum Dei sit, & in Spiritum sanctum peccarent, qui ea contempta, Deo maledicerent. Sed tu peccati incrementa, simul & Dei misericordiam considera: nam cùm beatus Iob, verbum maledicendi Deo, ore assumere non sit ausus, sed pro eo, contrario
Iob. 1. sit vsus, dicendo: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in corde suo, ob quod singulis diebus oblationes offerebat: iam Deo maledicere, triuiale peccatum effecisset. & cùm postremo supplicio sic delinquentes punire deberet, castigatione communi aliorum peccatorum, compensationem ab ignorantibus accipit. Verùm si ex malitia procederet blasphemia, vt Iudæorum fuit contra scientiam agnitam, Christum iniuriantium, eiusque doctrinæ calumniantium; & eorum qui impio ore nomini sancto Dei derogauerint, è medio tollendi erant, sine acceptatione aliqua personarum: vt perpendant hinc, qui vanè & peierando singulis verbis ex deprauato habitu & consuetudine, nomen Dei assumunt, quam vltionem mereantur.

Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei. fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit iumentum, reddat aliud. Qui percusserit hominem, punietur. æquum iudicium sit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit, quia ego sum Dominus Deus vester. Loquutusque est Moyses ad filios Israel, & eduxerunt eum, qui blasphemauerat extra castra, ac lapidibus oppresserunt. feceruntque filij Israel, sicut præceperat Dominus Moysi.

PECCATVM mortale contra Deum est, aut contra proximum: quare punito eo, quod contra Deum est, delictum, violans iustitiam, quæ proximo debetur, iam animaduertitur.
Exod. 21. Legem igitur talionis, quam supra disposuerat, repetit: vt scilicet, qui damnum in persona propria, aut rebus suis intulerit proximo, simile repatiatur & ipse. Itaq; qui fracturam pedis aut manus fecerit, eandem patiatur; qui oculum excusserit, eruatur ab eo, & qui dentem dente priuetur: & qui occidisset hominem, mortem pateretur; & qui animal occidisset, aliud quod suppleret, vices illius occisi, redderet, vt damnum illatum sic recompensaretur. atq; hoc æquum iudiciū appellat Dominus: quod ita exactè custodiri iubet cū ciuibus, & peregrinis, quòd eius rationē exacturū pollicetur, dicēdo: Ego sum Dn̄s Deus vester. quasi diceret, qui vestra iudicia iudicaturus sum. ad
ad Gal. 5. quod iudicium alludens B. Paulus Galatis dicebat: Qui autem cōturbat vos, portabit iudicium, quicūq; est ille. & deniq;; quoniam occasione blasphemi, huc sermonem diuerterat, exequutionem sententiæ Dn̄i in blasphemum manifestando, caput cōcludit.

Verùm circa iustitiam huius legis, dubium quemlibet vrgere potest; quòd exequutio propriæ iræ, & iniuriæ propriæ vindicta, à qua tantoperè Dominus abhorret, lege hac, & approbetur, & sanctificetur? dixit enim Dominus: Mihi vindictam, & ego retribuam: vnde & Deus vltionum in lege appellabatur. & Dominus Iesus Christus iram in proximum cohibuit, dicendo: Qui irascitur fratri suo, dignus est iudicio. Quod explicans beatus Paulus, dicebat: Non vosmetipsos defendêtes charissimi, sed dantes locum iræ. Si ergo vindicta & iræ exequutio in proximum intrinsecè mala est, qui lege lata bene fieri potest? nam quòd auctoritate legis, & per ministrum eius exequatur, quod ira mea & vltio propria postulat, & iram meam & vltionis appetitum nutrit, & malitiam innatam factum non exuit, sicut nec parricidium, nec matricidium, quia per se malum est; & non malum, quia prohibitum. Præterea magis læditur Respublica, hac lege, plura membra orba faciendo, cuius bonum sua interest procurare: imò & plures vitæ sustentatione, & legitima occupatione in studiosis exercitijs, priuando parentes debitis organis ad quærendam vitam, & in otio nutriret, & Rempublicam pauperem & inopem redderet. quanta autem mala hinc sequantur, tu impensiùs considera. Quapropter permissiuam hanc legem, sicut eam, quæ de dando libello repudij lata fuit, ad vitanda vxoricidia censeo. Equidem gens illa auaritiæ cupiditati subiecta, omni vinculo amicitiæ & charitatis soluto, mutua maleuolentia, vel leuissima causa ambitionis & cupiditatis vexabatur. Quamobrem maiori malo consulens Dominus, ne singulo quoque gradu, pauperes & imbecilliores proprijs bonis & personis læderentur, & crudelitas in maioribus augeretur, lege repassionis hoc malum cohibuit; vt qui optimè nouerat, nulla alia pœna, gentem eam à proximi damno & læsione infræuari posse. Atque adeò hanc legem reuocando, consilium de opposito (cuius tunc capaces non erant) tradidit, dicêdo: Audistis, quia dictum est; Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis, non resistere modò, sed si quis percusserit in dexteram maxillam tuá, præbe illi & alteram. Vbi peccati cæcitatem contemplari licet, quæ legem hanc talionis, in iure naturæ constituere philosophis suasit, vt Ciceroni specialiter suggessit dicere: Nemini noceas, nisi lacessitus iniuria. Cæterùm ad interiora progrediendo, videndum est, quid spiritum & intellectum hac lege Dominus docuerit? & mutuam sanè charitatem petebat. quippe ille percutit hominem, id est, occidit, qui in lubrico eum ponit, vt inde eius anima in mortem peccati dilabatur: & quoniam similiter peccat; occidendus lege veniebat. Qui verò læsionem aliquam intulisset, aut orbum membro aliquem faceret, idem repati statuebatur. quia charitas vera id postulat, vt plagæ auctor, alter patiens, compassione & officij necessarij subministratione, efficiatur. vt Christus Iesus noster, pauperum & indigentium personam indutus, dicebat: Esuriui, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum: nudus fui, & non cooperuistis me: hospes, & non collegistis me. & in idem eius Apostolus Paulus: Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifacerem. Præthereà in vita morali, id proximo restituere teneor, quo eum priuaui: peccato, inductione, aut persuasione mea delinquere faciendo: ob quod in vita claudicat, & mancus incedit; quia subleuationis cura, & opera reo incumbit, & eatenus se fractum & mancum existimare, quousque alter sanetur, aut officium debitum impenderit. Eruisti oculum, scientiam, nempe & studium cauendi peccatum, da illi oculum, id est, veram scientiam, exhortationem, & doctrinam necessariam. Excussisti dentem, hoc est, virtutis & vitæ verbum, redde illi salutis verba: tunc enim & eductionem oculi, & dentis tu repateris. oculum enim pro luce doctrinæ, & dentes pro verbis, quibus debitè pronunciantur, accipi, apertè Scriptura docet. sic enim ait Dominus per Prophetam: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. & ipsemet Christus, Lucerna corporis tui est oculus tuus. & Regius Psaltes: Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ; lingua eorum gladius acutus. Qua lege instimulatus beatus Paulus dicebat: Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? atque quia hoc æqualiter cum doctis & ignorantibus, cum maioribus & minoribus exercendum est, læsionis hominum, & iumentorum, Dominus meminit.

Rom. 12. Eccli 28. Psal 93. Math. 5. Rom. 12. Math. 5. Aristot. 5. Ethic. Cicero lib. 1. offic. Math. 25. 1. Cor. 9. Psal. 118. Lucæ 11. Psal. 56. 1. Cor. 12.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

LOquutus est Dominus ad Moysem in monte Sinay, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego daturus sum vobis, sabbathizetis Sabbathum Domino. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius; septimo autem anno Sabbathum erit requietionis Domini. agrum non seres, & vineam non putabis. quæ spõte gignet humus, non metes: & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam. annus enim requietionis terræ est. Sed erunt vobis in cibum, tibi & seruo tuo, ancillæ tuæ, & mercenario tuo, & aduenæ, qui peregrinatur apud te; iumentis tuis, & pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.

CIVILIS vitæ rationem componit Dominus, & commodè in ea se gerentibus præmia & donaria præparata ostendit. Primùm ergo intellige, non huius terræ materialis quietem, & hominum otiositatem sollicitare Dominum: neque agrorum procisiones, dolores putationis vitium, eum anxium reddere, nec cellaria redundantia ex collectionibus frumenti & vini omnium largitorem curare: sed hominum salutem & felicitatem legitimis laboribus & occupationibus parandam desiderare. Intellectus igitur Iudæis propositus, sub exemplo culturæ terræ sex annis, & requietionis singulicuiusque septimi, fuit; toto & perfecto tempore legis (quod senario numero perfecto signatur) eam complendo, colere, & colendo venerari, donec septimus annus accederet, cessationis eius, & requietionis eorum ab operibus seruilibus, quæ ipsa exigebat. Etenim Lex & Prophetæ, cùm bona terræ, & sæculi huius prosperum iter promitterent, his detenti homines opulentiæ, honori, & placidæ, ac quietæ vitæ, & si æterna, & animæ bona per hæc temporalia designarent, oculos mentis submiserunt, & operibus, voluntati corporis seruientibus, collum omninò subiugarunt. Itaque dum cortici, & sensibili vitæ inseruirent, legi satisfacere, & voluntatem Domini adimplere sunt arbitrati. Vnde seruiles penitus, mancipio corporis subiectos, ac proinde Deo odibiles se exhibuerunt. Proposuerat quidem Dominus illis hæc præsentia bona, vt per ea tanquam pueri allecti & inuitati, pro ingenio puerorum, ad se omnium largitorem, eiusque voluntatem explendam raperet; non in se relabentes sibi seruirent. Solent quippe matres exhibitis pomis, ficis, passis vuis, ad sui amorem pueros allicere, & ne aliò distrahantur, maloque assuescant, ludis honestis, atque probis exercitijs occupare: perinde igitur Dominus bonis temporalibus propositis, rudem illam, ac sensibilem gentem, vt ficis, & pomis, ad suam beneuolentiam attrahere voluit, atque vt in eius voluntatis obsequio contineret, tot præceptorum, ac legum occupationibus exercere. Atqui quoniam pędagogia legis ita detenti, seruilia opera quæ fecissent, & vita tota tractarent, legitima erant, & ad Dei beneplacitum tendẽtia, sex diebus agrum Scripturæ, Legisque veteris colere, se colonos, seminando & metendo, opera legis exhibendo: & eusdem vineæ item cultores præscriptis in lege operibus eam putando; & fructus vuarum, id est, virtutum, & vini, id est, diuini amoris colligendo præcepit. Quibus laboribus, se, suamque familiam alere, atque in virtute sustentare præscripsit, vt accedente septimo die & lege gratiæ, in quo remissio peccatorum sufficientissimè per sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi in cruce sacrificium facienda erat, & seruilium operum legis cessatio intimanda, ea indulgentia, libertate, & quiete fruerentur. Quemadmodum sex annis culturæ agrorum, & vinearum in terra promissionis elapsis, septimo quoq; accedente, agri & vineæ à passiua cultura quiescebant, & item eiusdem actores. Pręterea altiùs ad spiritũ ascendendo, in hac septima die, respectu sex dierum laborum Legis cõstitutos, quæ per alios sex dies, (scilicet totius vitæ, respectu gloriæ in futuro sęculo potiundæ significatur) laborare docet, id est, agrum & vineam sacri Dei Euangelij colere; fidei brachijs eius mysteria amplectendo, charitatis manibus id (iuxta præscriptũ Ecclesiæ) tractãdo, & opere cõplendo; atq; vt quę sic parauerimus in horrea cęlestia, spei sublimi scala subleuare, & ibi reponere, in cibum illius septimi diei diligẽter curemus:

Sic enim

Sic enim ad congregandos, & parandos cibos pro illo septimo die gloriæ nunquam finiendo, nos ad labores prouocabat Regius Psaltes, dicendo: Labores manuum tuarum, quia manducabis. Psal. 127. & ipsemet Dominus Iesus noster: Operamini non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam. Iohan. 6. Etenim, quòd opera, atque merita fidei, spei, & charitatis, quibus cælum conscenditur, visioq; clara Dei (quæ animarum æternus cibus est) paratur, pro illo die nos cibare dicuntur. neque solùm patrem familias, sed omnes, qui quauis ratione Christiana ad ipsum attinere dicuntur: vt serui & ancillæ, id est, omnes, qui eius disciplinatui obtemperantes perinde ac serui se tradiderunt, & eius ducatu laborarunt: omnes item mercenarij, id est, omnes, qui proposita cæli mercede ab eo inuitati operando sudarunt. omnes præterea aduenæ, & peregrini, id est, qui ab infidelitate, & erroribus reuocati, opus & pensum Dei, eum honorando & glorificando perfecerunt. & tandem iumenta omnia, & pecora, siue bestiæ feræ; quarum illa ab stercoribus vitiorum, & peccatorum eiusdem opera reuocata (quæ in stercore suo computruerant, vt inquit Propheta) Ioelis 1. viam Christi Iesu laborantes sequuti sunt: hæ verò mansuefactæ, ceruicibus superbiæ depositis, Deo gratificando, suam vitam manu pœnitentiæ sibi admota, strenuè militauerunt. omnes enim hos propter anteactos labores, terra illa promissionis æternæ, ex his quæ sponte sua fert bona, quia infinita abyssus misericordiæ, & bonitatis Dei est, suprà quàm dici potest, nutriet, & alimentabit: quod non parum in gloriæ & honoris augmentum Iesu Christi, Patris, Domini, ac summi prælati nostri cedet: opera sua quæ tantopere amauerat, secum in æterna gloria videndo. Ad indicibilem autem huius septimi anni quietem perfruendam, hoc septimo anno gratiæ (transactis sex annis laborum legis) per alios sex annos laboris, qui spatium vitæ dicunt, diligenter operari oportet, vt enarratum est. Vbi aduerte, quòd licet annus requietionis sit, in eo laborandum est, esto sponte necessaria præstet, & nihil ad horreum, aut vindemiam congregandum. Primùm ergo laborandum est, quoniam cùm vita hominis militia & tentatio sit super terram, arma induiduа quæ gestare semper conuenit, vt eum in officio virtutis contra hostes teneant, occupatio est, & studium continuum operandi, quæ sua vocatio exigit. Hoc enim, diaboli insidiæ præuentione relegantur, carnis furiæ mitigantur, & mundi blanditiæ contemnuntur: idcirco ergo laborem & occupationem vsque adeò Dominus amat. sed si sponte terra necessaria gignit, quid labore opus est? attende: Verbi diuini incarnationem, prædicationem, mortem, resurrectionem, & cætera mysteria, gratiam & Sacramenta sancta, quæ mater Ecclesia docet, in nostram salutem, nullis hominum operibus emerita fuisse: sed sicut ex ineffabili misericordia, nascente peccato, hominibus promisit, eadem exhibuit, & suam pollicitationem compleuit, & sponte sua tot protulit bona, quibus nos cumulauit. oportet tamen eis vti, & exercitio virtutis, & medicinis Sacramentorum applicitis, tanta bona, & merita nostra facere. atque hic labor, & opus est. Præterea opera, quæ hoc tempore exiguntur, libera sunt, quoniam ad animæ libertatem, contra diaboli tyrannidem, seruitutem peccati, & mortis captiuitatem, extollendam, & promouendam, præscribuntur. quæ verò legis erant, econtrà dictis exactoribus subiecta, quasi seruilia fuerunt, à quibus tempore gratiæ cessatum est: vnde meritò annus requietionis dicitur. Denique quoniam à bonis terrenis, quibus ad cælestia vocabâtur, se illis submittentes, vsq; adeò degenerarunt, vt omnes actus, negotia, & opera ad corporis & carnis voluptatem, quæ seruilia penitus opera sunt; à quibus nō solùm vt intellectuales, sed spirituales homines, Christianos suos Dominus auocat, ab his quiescere iubendo; vt quòd sensibilium bonorum tempus transierit. Vnde terrena bona, siue ex vindemia, siue ex agricultura, nunc suis cumulare prohibet, eisdem bonis more illorum, subiectis: Quòd in libertate, seruituti illorum opposita positi sunt, & liberè his ad virtutis exercitium, & animarum commodum vti oporteat. Vbi confundantur oportet Christiani, qui terræ subiecti, Iudæos toto studio imitantur, quos tantopere horrent; & meritò, quoniam veritatem lege sua promissam, non amplectantur. Equidem sibi hos consulere tempestiuè oportet, ne eorum cæcitatem abominantes, & causam cæcitatis amplectentes, hac vel illa via in barathrum tandem detrudantur.

Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ si-

mul faciunt annos quadraginta nouem, & clanges buccina mense septimo, decima die mensis propitiationis tempore, in vniuersa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim iubileus. reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque; rediet ad familiam pristinam, quia iubileus est, & quinquagesimus annus. non seretis, atque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis ob sanctificationem iubilei: sed statim ablata comedetis. anno iubilei redient omnes ad possessiones suas.

NVLLA alia re, sic nauigantes ad labores maris, & fluctuum impetus sustinendos refocillantur, & animantur, quàm proximi portus & continentis denuntiatione: quòd votorum compotes iam sibi videantur, spesque; suas in tuto positas oculis fermè cernant. Perinde igitur fluctibus huius maris magnitudinis gloriæ agitatos, solùm æternæ felicitatis ob oculos proposito, & tantæ magnitudinis gloriæ (quæ portus humanæ salutis existit) manifestatio, ac manibus oblatio delectat. Quapropter nunc hac, nunc illa pictura eam nobis diuinus spiritus ob oculos ponit, & frequenter inculcat. Paulò ergo antè, anno septimo reposita ostensa fuit, nunc verò quinquagesimo, septem annorum hebdomas, proximè sequenti; qui mense septimo anni quadragesimi noni, & decima die eiusdem mensis, in quo festum propitiationis celebrabatur, clangente tuba euulgabatur. Vnde forsan & iubilei cognomen annus ille accepit: nā Iabel, teste Lyra, buccina, siue tuba vertitur. Etenim quòd numerus impar ad vnitatem magis accedat (quæ Deo attribuitur, qui ordinis & essentiæ rerum principium est, sicut hæc numeri) in genere bonorum à Pythagoreis philosophis ponebatur: par verò, quòd diuisionem dicat, & deflectionem ab vnitate, in genere malorum: hinc in vniuersum numero impari rationem quandam diuinitatis tribuerunt. Quam sententiam ex hoc loco, & innumeris alijs Scripturę proculdubio mutuati sunt. Igitur quoniam annus quinquagesimus, vniuersalem resurrectionem omnium, peracta ætate mundi significabat, (vt singulus quisque septimus annus, peractis iustis laboribus, in vniuscuiusque vita, quietem pacis & gloriæ eiusdem) ex septenario numero septies repetito, vnitate semper addita, quæ Deitatem significat, (qui remissionis peccatorum & resurrectionis animarum numerus est) eius compositio specialiter memoratur. Atque ob eandem rem septimo mense quadragesimi noni anni, eius solennitas tuba euulgabatur; quæ nouissimam illam in septima & vltima ætate mundi, cuius meminit B. Paulus, præfigurabat. & item decimo die, qui dies propitiationum erat, vt suprà visum est: numerus etiā denarius totus numerus est, qui quinquies repetitus quinquagesimum numerum facit, sub quo totalem, & perfectam cessationem à peccatis, & ab omni opere viæ, & præmium his, qui legitimè laborauerint, indicare voluit. Quod restitutio in antiquas possessiones rerum, & reditio hominum ad propriam & legitimam familiam, atque quies ab omni opere, quæ anno iubilei fiebát, planiùs significarunt. in cælesti etenim gloria ad antiquas possessiones virtutum, & gratiarum, quibus in statu innocentię creatus, cum indicibili fœnore homo restitutus est; & in vera omnium bonorum possessione, nempe perpetua, secura, & immutabili, terræ promissionis, scilicet ipsius Dei, intromissus. Magnitudinem autem huius lætitiæ pro modulo nostro explicuit Dominus, per exultationem, qua quis perfunditur restitutus in propriam hæreditatem, & primogenituram, à qua impellentibus necessitatibus, aut contrarijs eijcientibus, vel desidia & incuria vagātibus, deturbatus fuit. Similiter namque, vrgentibus mundi escis, instigantibus dæmonijs & carnis blanditijs, curam officij remittentibus, à possessione iuris cæli & donorū, consentiendo peccato, deturbatus est, & vinculis hostium ligatus, à quibus per labores pænitētiæ absolutus, omninò ab eorum infestationibus liber, & præmio æterno donatus, perpetuò aget. Vnde iure remissionis annus dicitur, in quo à conantium possessionem periculo, homo eripitur; & possessioni ad quam creatus fuit, & quā in semine acceperat, donatur. Deinde etiam aptissimè per hominis in propriā, & antiquā familiam restitutionē eadē gaudiorū, & omniū bonorū possessio figurabatur: Nā, quid magis cordi homini exuli, & à sua patria, cognatione, & familia eiecto, contingere potest, quàm ad suam cognationem, patriam, & societatem antiquam reditio? nihil sanè. Homo autem eiectus fuit à Paradiso propter primum homi-

1. Cor. 15.

mum hominis peccatum, à societate angelorum, quibus cum, tanquam cum propria familia versaturus erat, & à iure cæli, in quod absque morte, permanens in illo statu conscensurus erat: in quæ omnia suprà quàm dici potest, excellentius anno hoc cælestis iubilei reponitur. Et denique per quietem, & cessationem laborandi & operandi, quia horum omnium tempus transiuit, & fruendi tantùm accessit: Nam cùm in ea pace & quiete posse viuere aliquos videmus: qui quòd nullo labore & opere, ad vitam parandam, & transigendam indigeant, felices & beatos appellare solemus.

Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorũ iubilei emes ab eo, & iuxta supputationem frugum, vendet tibi. Quanto plures anni remanserint post iubileum, tanto crescet & pretium: quantò minus temporis numeraueris, tantò minoris & emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat vnusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. Facite præcepta mea, & iudicia custodite, & implete ea, vt habitare possitis in terra absque vllo pauore, & gignet vobis humus fructus suos, quibus vescamini vsque ad saturitatem, nullius impetum formidantes.

ITER ad tantorum bonorum possessionem consequendam, dilectione Dei & proximi paratur. Quapropter, cùm de cultu Dei, & operibus, quibus eius dilectio super omnia probatur, abundè satis dictum sit: de his, quibus proximi dilectio manibus tangitur, hic differit. Est igitur infrænatæ auaritiæ testimonium, & dilectionis proximi manifesta indicatio, emptio & venditio pro vitę vtilitate & indigentia, solùm compacta, & celebrata. Quod Dominus docens, pro tempore maiore, aut minore perfruendarum frugum, cuiusque rei, vsque ad annum iubilei, pretium rerum venalium taxandum præscribit. Itaque rerum venalium mensura, annus iubilei erat, distans, aut propinquus: quod est, necessitas vitæ cuiusque (intellectum literæ attendendo) vt pro longiori vita, maioris fructus, fundus, aut res alia ematur; & pro breuiori, minoris, etiam frugis pro vita illa sufficeret, & ita pretium decresceret. Atque ita cùm simplicior vita inter homines ageretur, vt possessæ rei abundantia, deficientis indigentiam suppleret, commutatione superexcrescentium rerum, duo vel plures homines conueniebant ad mutuas necessitates supplendas. At postquam crescente possidendi cupiditate, emptio, & venditio introducta est, & nummus (qui sine termino appetitur, quia nullo fine vitæ per se est vtilis, quo metiatur) rerum venalium mẽsura positus est, infinita facta est possidendi cupiditas: quam Dominus cohibens, annum iubilei constituit Iudæis; quo contractus omnes rescinderentur, & ad antiquos dominos redirent possessiones: & nomine illius, figuratè nobis ætatem atque indigentiam vitæ. Quibus autem ad auaritiam curandam, nec iubilei annus suffecit, nec necessitas & indigentia vitæ fræno fuit; aperto ore ipsamet veritas Iesus Christus Dominus noster eam cohibuit, dicendo: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, Matth. 6.
vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt & furantur. Prætereo, quòd auaros & infinitè cupientes, hæc mala sequuntur & comitantur: scilicet contra proximorum dilectionem, eos contristare & affligere, res minoris, quàm valent extorquendo, necessitates eorum emendo, imò & tempus; atque mille alijs modis nocumentum illis inferendo: Deinde possessio, cum formidine & pauore eorum, quibus nocuerunt, & eorum causa depauperati sunt; & conscientiæ semper instimulantis & mordentis, & viscera rodentis accusatio, cùm fine fine & vsu virtutis, tot instrumẽta impedita habeat: quod grauius & acerbius est. Et denique, ob hoc homines flagellantur à Domino, sterilitate agrorum: quando prouidet humum procisam, & vltimè cultam, iustos fructus laboribus, & operis impensis non reddere: aut luxuria nocentium herbarum, aut immissione animalculorum segetes & hæreditates vastantium, aut vrentis venti prouisione, tempore gignendorum fructuum, & terræ immissa siccitate, atque alijs infinitis modis: quòd iniustis possessoribus, & acceptis lu-

ceptis luxuriantibus, ampliores non debeantur. Atqui, tanti momenti est, ad vitam in officio virtutis continendam, auaritiæ exulatio, quòd memoratum præceptum commendans, (quia multa virtute includit) subdit: Facite præcepta mea, custodite, & implete ea. Non enim solùm vult Dominus nos facere opus Legis, sed cum cura & obseruatione; atque conari, vt cum propriæ voluntatis contradictione, eius menti & fini nos conformari: ob quod custodiendi & implendi verbis vsus est. Sed altius adhuc ad spiritum ascendendo, communicatio virtutum, quibus ad gaudium cæleste iter agitur, anno iubilei notatum, iuxta superiùs dicta, hic item docetur: quippe vt emptione & venditione, & corporalium commutatione, vita temporalis fulcitur, & sustentarur, perinde virtutis communicatione, vita spiritalis animæ nutritur, & in dies promouetur, donec ad scopum cælestis gloriæ peruenіatur. Quod & beatus
Rom. 15. Paulus docebat, firmiores in virtute ad supplendas infirmorum imbecillitates, & infirmitates exhortando, sic dicens: Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere: vnusquisque vestrum ptoximo suo placeat
Ephes. 4. in bonum, ad ædificationem. et rursus: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ad diffusionem autem virtutum, pro cuiusque exigentia, & necessitate admonet hîc Dominus: quoniam rerum corporalium (quæ virtutis ministræ sunt) possessiones vltra iubileum, id est, ad aliam vitam extendi non possunt: benè autem spiritualiorum donorum, & virtutum possessiones; & non deficiunt vt reliquæ: Quare in his tota mens & animus reponendus est. At quia non omnes eiusdem vocationis sunt, vt cuiuscunque virtutis facultas cuique conueniat, pro computatione annorum iubilei plurium, aut pauciorum; id est, pro possibilitate vniuscuiusque in statu suo, virtus hæc aut illa docenda, exhortanda & commendanda venit, vt expressiùs locis citatis, hoc idem explicuit beatus Apostolus.

Quod si dixeritis, quid comedemus anno septimo, si non seminauerimus, neque collegerimus fruges nostras? dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum; seretisque anno octauo, & comedetis veteres fruges, vsque ad nonum annum: donec noua nascantur, edetis vetera.

POSITIS legibus de cessatione laborum, septimo anno, & de libertate omnium, quę distracta fuerant ante annum iubilei, sermo diuinus noua super eas disponendo, regreditur. Circa priorem ergo soluit antithesim, quæ statim quempiam vrgeret: si anno septimo quiescendum est, quî tribus annis vsque ad annum nonum, quo fruges nouæ reuirent, alendi erant homines, cùm sponte in terra nata non sufficerent? Respondet Dominus: Anno sexto daturum benedictionem suam, quæ fructus faceret trium annorum, donec seminata octauo anno, in aream nono venissent, & consque vetera non deficerent. Proculdubio cum anno iubilei omnium libertatem postfuerit, per vniuersalem omnium resurrectionem, qui homines donum hoc accepturi essent, iam explicat: nempè merito resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quæ
1. Cor. 15. pignus extitit nostræ resurrectionis, dicente beato Paulo: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. In exemplum ergo, producta annona sexti anni pro tribus sequentibus, ex benedictione Domini temporaliter sic prouidentis, ad benedictionem spiritalem migrãdo (transacto tempore operum seruilium Legis) quod genus vitæ & operum amplexuri essent homines, quod seminationis nomine designatur, docet. Etenim sexto anno, quia sexta feria, temporis plenitudine accedente, dedit Dominus benedictionem suam nobis, quando pro salute hominum Christus Iesus mortuus fuit, & fecit fructus trium annorum: quia tertio die resurgens, sementem dedit, suæ nempe sacratissimæ mortis, & gloriosissimæ resurrectionis, quam deinceps seminando fideles, ab octauo die scilicet resurrectionis, fructus vberes, quibus vescerentur, sibi facerent. Itaque vetera comedere, id est, opera Legis seruilis facere vsque ad diem tertium resurrectionis, & donec benedictio hæc Domini sufficienter promulgata fuisset: pòst verò in benedictione Domini seminare debuissent,

debuissent, id est, morti Domini innitendo, & gloriosam eius resurrectionem magnificando, opera pœnitentiæ & lucis Euangelij operari. Quod beatus Apostolus explicans, dixit: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet. 2.Cor.9. Nam qui tempore benedictionum cælestium parcè seminant, hoc est, opera Legis faciunt, illi innitentes, parcè metent, id est, nihil. Octauo ergo die, cognita nempè resurrectione Domini Iesu nostri, vsu Sacramentorum, exercitio operum fidei, charitatis & spei, in benedictionibus operatis à Domino nostro Iesu Christo, seminare oportet, vt sic fructus vberes ad vitam spiritalem animæ colligentes viuant, & tandem ad gloriam resurrectionis, portantes manipulos suos, veniant. Psal.125.

Terra quoque non veniet in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis. Vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.

Circa posteriorem iubilei legem iam disponit, & duo docet: & terram vendi non posse, quòd hæreditas eius sit, nos autem aduenæ & coloni eius: & insuper quòd omnis possessio sub conditione redemptionis vendatur. Et quæ terra est hæc, quam exponere venum non licet? profectò animæ nostræ. Hæ enim ita ad hæreditatem Domini pertinent iure creationis, quòd nulla causa secunda, nec ipsi parentes quoquam pacto ad eius substantiam attingere valent. Effectio enim tantum Domini est, dicente Scriptura: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Genes.2. Vbi ad mysterium positum docendum, post fabricationem corporis, seorsùm animæ creationem fecit, spiritualitatem eius etiam docendo. Et ratione item redemptionis: quòd iure belli diabolum, qui per tyrannidem animas hominum possederat, sua sacratissima morte deuicit, & gloriosissima sua resurrectione ab illius manibus, ipsum spoliando, eripuit. Quod vnigenitus Dei filius explicatiùs docuit, quando in creatione omnium requiescens in hæreditate Domini, id est, in hominibus moraturum, & habitaturum dixit: Præcipuè tamen in populo Iacob & Israel, quia ex eo carnem sumpturus erat. Eccl.24. Hæc autem hæreditas, vinea deinde frequenter appellata est in Scriptura: Facta est, inquit, vinea dilecto meo in cornu filio olei; sed expectata, ait infrà, vt faceret vuas, fecit labruscas. Esai.5. Etenim quia Christus futurus erat rex & sacerdos: qui oleo è cornu effuso vngebantur, cornu nomine significatur, vt planè sic eum appellauit Zacharias, dicendo: Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sed ad rem redeundo, populum illum vineam nuncupauit, quando in parabola cœpit dicere: Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est, &c. Luc.20. Quam coloni, suam prauitatem in Christum eructãtes, cùm ipsum vidissent, dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Vt ergo tempore illo populus Iudæorum hæreditas Domini fuit, ita nunc Ecclesia illi succedens & animas vendere prohibet, quia suæ sunt, & nos coloni eius, qui voluntatem Domini consulentes, & vtilitatem hæreditatis procurantes, eam colere debemus. Ad quod munus debitè exercendum peregrè proficiscens, nempè ad cælum Iesus Christus Dominus noster, in exemplum laboris subeundi, suam sanctissimam vitam, atque diuitias, & merita suæ mortis, in sanitatem morborum animæ & virium corroborationem, per sancta Ecclesiæ Sacramenta, quæ instituit, nobis communicanda, reliquit: & expressionem item suæ voluntatis in Euangelio sacro, dicendo, Negotiamini dum venio. Lucæ 19. At eò impudentia peccati deuenit, vt non quæsitis coloribus, sed prudentes & detecta mali facie, homines pretiosam hanc Domini hæreditatem negligant, & dissipatorum manibus relinquant, imò ipsis venum exponant. Auarus quippe pro lucido quodam terræ, & bene compacto terræ frusto, cœlestem hæreditatem sibi commissam, venalem habet, eius rei gratia, in vitã suã proijciens intima sua: & quod amplius, si pro eo flagitio à Domino puniatur, quæritur absque vllo pretio eum dominum vendidisse. Eccli.10. Et ambitiosus, araneæ more, quæ pro capiendã musca suam substantiam, telam texendo net: pro pomo, quid? pro musca item capienda totus negotiando contabescit: Psal.44. quam veniam exprobrans Dominus, cùm de cælo prospiceret, texere telas araneorum se vidisse dicit. Et denique mollis, pro voluptate, Esai.19.

luptate, & iracundus pro vindicta, animas suas passim cum tam magna Dei iniuria vendunt. Etenim mercatores dæmones, quibus lucrum accrescit: importunare non cessant, & vt diligentes cursores sua interuentione, partes conuenire pro officio assiduè curant, & vt annosi notarij, contractibus peccatorum celebrandis præsunt, pro tempore residentiæ testimonium laturi. Prospiciat ergo sibi vnusquisque ne hæreditatem Domini vendat: videat dæmones in perditione vitæ hominum, vectigalia & tributa posita habere, lenocinando eisdem: videat acerrimos accusatores coram Domino, vt qui bene notata omnia teneant, in fine vitæ futuros. Alterum, quod circa præfatam iubilei legem docet, est: cætera omnia, quæ venalia fuerint, sub conditione redemptionis in anno iubilei, vendi debere. Et quæ sunt hæc? virtutes sanè: quoniam virtus pro vitio vendi non potest, quia res spiritalis est: & pro re temporali distrahi, simoniæ peccatum est: & vltra quod cum ea anima venditur, quæ hæreditas Domini est. Virtus autem pro virtute optimè venditur, & commutatur, vt qui indiget sapientia, à possidente postulet, & alacer ille reddat; nam charitate proximi qua indiget, reficietur: qui liberalitate, emat à benefico, & ille libenter vendat, nam pietate & ipse indiget: & iracundus à mansueto: voluptuosus ab honesto, & qui iniustus est à iusto, vt iustus à iustiore, mansuetus à mitiore, honestus ab honestiori, & liberalis ab eleemosynarum largitore, sapiens à sapientiore, & qui zelator diuini amoris est, à religiosiore: & denique vnusquisque pro officio & vocatione in qua est, pro occasionibus occurrentibus, actus virtutum exerceat, emendo, vendendo, atque communicando cum fratribus. nec animum despondeat, quia omnia studiosa opera, quæ hîc ab oppressoribus, persecutoribus, inuidis & perditis hominibus infestantur, & in seruitutem cum suis auctoribus redigi curantur: anno iubilei à seruitute malorum redimentur, & in libertatem asserentur miseris insectatoribus plorantibus ac dicentibus: Hi sunt, quos habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, & ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiç non est ortus nobis. Sub spe ergo redemptionis & libertatis in anno iubilei, id est, in exitu vitæ, & in iudicio vniuersali Domini, virtus pro vitando vitio emptione & venditione distrahenda est, atque pro ipsamet locupletanda.

Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat: sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit inuenire, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit; & quod reliquum est, reddet emptori: sicque recipiet possessionem suam. Quod si non inuenerit manus eius vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat vsque ad annum iubilei. In ipso enim omnis venditio redit ad dominum & possessorem.

In lege iubilei immoratus Dominus omni modo per singulas circunstantias contractus emptionis & venditionis discurrendo, ab omni labe auaritiæ Iudæos retrahere volebat, & præsenti loco, fratris qui venderet, paupertatem & tenuitatem ob oculos ponendo: quando non solùm cupiditatem emptoris, termino anni iubilei, sed redemptione non solùm propria vendentis quocunque tempore, sed & propinqui eiusdem infrænat. Verùm ad intellectum & spiritum, quem discutere cœpimus, transeundo: dictum est, neque animam, neque virtutem pro vitio amplectendo commutari posse. At si quis fecerit, quid iuris? respondet Dominus, redemptionem quouis tempore locum habere per venditorem, & quemcunque eius propinquum. Vbi per emptorem hominem diabolum intellige, qui quòd inter homines versetur, eisdem insidiando, homo in Scriptura dicitur, vt per hominem iniquum & dolosum, à quo regius Psaltes petebat liberari, docet diuus Augustinus. (Psal. 42.) Frater verò attenuatus & pauper qui vendit, ille est, qui pro cupiditate aliqua & voluptate explenda, pauper & inops factus est, animam suam diabolo tradendo, & virtutem eius veram & propriam possessionem prodigendo. Nulla enim res vsqueadeo nostra est, quàm virtus: à cuius possessione volentes deijci non possumus, bene autem à cæteris externis & corporis bonis,

bonis. Qui ergo eam prodigit & animam suam vendit, & pauper, tenuis, ac inops redditur. Cuius miseriam aliquando regius Psaltes in se sentiens, rogabat Deum, dicens: Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum Psal 85. ego. Et beatus Ioannes Episcopum Laodicen. quòd eam non sentiret, obiurgans ait: Apoc.3. Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Quando ergo frater sic attenuatus fuerit, quòd per peccatum & virium virtutem profuderit, & animam suam diabolo vendiderit (vt facit quando interiùs in prohibito contra Dei præceptum consentit: & non solùm quando exteriùs in opus prorumpendo venditionis prauæ, & perniciosæ contractum cum eo celebrat) exhortatione, admonitione, doctrina & scientia propinquus, qui pretium harum virtutum habet, redimere Eccli 17. animam illius potest, & debet: Etenim vnicuique mandauit de proximo suo. Quod explicans beatus Paulus dicebat: Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo Galat.6. delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Quod si propinquum non habuerit, quia peccatum ignoratur, & ipse valentem mederi non consulit, quia suggerere erubescit, longior & difficilior cura erit: siquidem per se solus non ita facile antidotum, contra astiqui hostis insidias conueniens prouidere, poterit; nec prouisum, ad eius vsum opportune se accinget: Quare credito mihi & non solùm quando peccatum conscientiam vrget, sed quando tentationem aliquam pateris dæmonis, se in angelum lucis trásfigurantis, doctorem adi peritum, confessorem consule, & eidem tua peccata confitere, conscientiam libere aperi, per quem post Sacramenti sancti Pœnitentiæ susceptionem, in quo gratiam dispositus accedens recipies, contra infestationes dæmonis, & prauos habitus contractos, medicinas Dominus impartietur, quibus ab importunis illius laqueis, & offuscationibus animam tuam liberes, & ad calcandum quæ per suos fautores mundum, & carnem suggerit, cum Domini gratia eam corrobores. Sed cùm demisso peccato quoad culpam & reatum pœnæ æternæ, ius maneat emptori ex iustitiæ diuinæ ordine, ad torquendum & affligendum temporaliter, propter deordinationem voluntatis circa bonum commutabile: & rursus, peccatum præsertim continuatum sequatur quædam animi depressio, obnubilatio, & nescio quæ in terrena propensio, quibus laqueos suos continue paratos habet, ob vtraque pretium aliquod illi soluendum est. Equidem vt auersionem peccati à Deo sequitur carentia visionis diuinæ, & reatus pœnæ æternæ in inferno: ita conuersionem ad commutabile bonum & temporale, pœna temporalis, quæ magis aut minùs diuturna est pro maiore aut minore tenacitate & adhęsione voluntatis: & acerbior item & vehementior pro grauitate culpæ: ita enim natura duce prospectum est, vt nulla culpæ deordinatio, ad iustitiæ ordinem reduci possit, nisi per pœnitentiam: sicut nec virium animæ perturbatio componi, nisi per rationis ordinem: neque in caducas res & deficientes voluptates depressio, nisi per sublimium considerationum & permanentium exercitium. Atque de hac pœna peculiariter loquitur beatus Ioannes, cùm Episcopo Apoc.2. Ephesino dicit: Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Et quod beatus Paulus Corinthios docet, cùm ait: Quæ secundùm Deum 2.Cor.7. tristitia est, pœnitentiá in salutẽ stabilẽ operatur. Quæ consona sunt ei, quod dixit B. Ioannes: Agite fructus dignos pœnitentiæ. Et denique definitio est sanctæ matris Luca 3. Ecclesiæ in Concilio Niceno asserentis: Canones pœnitentiales constituros fuisse, non tantùm in disciplinam quasi politicam, sed etiam ad placandum Deum, & satisfaciendum pro peccatis, vt refert beatus Cyprianus. Deinde in Concilio Florentino sic definientis: Si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus, de commissis satisfecerint, eorum animæ pœnis Purgatorij post mortem purgantur. Et dimissis alijs Cócilijs & definitionibus Ecclesiæ, nuper Session. 5. cap.14. in Concilio Tridentino latiùs de satisfactione huius temporalis pœnæ per ieiunia, eleemosynas & orationes constitutum est. De qua re quia præsenti loco specialis mentio fit, longiùs placuit sermonem protrahere in hæreticorú confusionem, negantium Purgatorium, quorum nihil non audet impudica temeritas, & plusquam superba arrogantia. Igitur quò digressi sumus, redeuntes, quándo exactor, priuatus iure puniendi æternaliter, propter dimissum peccatum & amicitiam initam cum Deo, ne iure cruciandi temporaliter in Purgatorio vtatur, satisfactio hic facienda est. Et item ad

redemptio-

redemptionem & liberationem mentis à iugo rerum ſenſibilium, quibus peccando miſer homo ſe ſubmiſit. Hæc autem (quæ pretij nomine ſignificatur) ſiue voluntariè aſſumatur, ſiue arbitrio confeſſoris iniungatur iuxta menſuram finium, qui propoſiti ſunt, venit taxanda. Quod notans Dominus, fructus à tempore venditionis computari iubet, & quod reſtiterit ad pretium receptum, apponendo, ſuam accipere poſſeſſionem. Itaque pœnitentis anni ſupputandi ſunt, quibus vſuras peccati accepit: nempè auaritiæ, gulæ, voluptatis, prauarum cogitationum in anima decumbentium, ac totidem fructus reddat; liberalitatis & eleemoſynæ, ac beneficentiæ in pauperes: & totidem ieiunij, temperantiæ, & cæterarum virtutum, Dominum orationibus pulſando pro earum dono, & pro bonarum cogitationum poſſeſſione, quibus malè diſſipentur, & deſtruantur: itaque debitum temporale ſoluetur, & mens ab oppreſſione affectuũ, quibus diabolus negotiatur, redimetur & liberabitur. Et amplius ait, addet quod reliquum eſt: id eſt, id quod ſibi reliquum eſt; & quo ius vrendi habet, ſe etiam priuare conabitur: vt ſcilicet auarus ad cor iam rediens, non ſolùm de ſuperfluis, ſed & de his, quæ ſibi neceſſaria ſunt, pietatem exercere curet. Guloſus ab his quæ licitè & honeſtè ſumere poteſt: inhoneſtus etiam ab vſu vxoris ex parte ſua, & ſimiliter in alijs. Quod ſi hoc pretio non viderit mentem liberari, & à feritate affectuum eximi; perſeuerans ſileat de eo, patiens, vſque ad annum iubilei, id eſt, donec integram & perfectam pœnitentiam præſtiterit, quæ cum vita finem accipiet. Aliter etiam ad Chriſti Ieſu fidem & charitatem hic inducimur: nam propinqui nomine vnigenitus Dei filius homo factus, qui pretium noſtræ redemptionis Patri æterno ſoluit, vt miſer homo à tyrannide dæmonis exemptus viueret, hoc loco deſignabatur. Hoc enim nomine, in Booz figuratus fuit, quod notauit Spiritus ſanctus per Noëmi, quando Ruth referenti gratiam, quam Booz ei colligenti ſpicas fecerat, (Ruth. 2.) reſpondit: Benedictus ſit à Domino, quoniam eandem gratiam quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis. Rurſumque ait: Propinquus noſter eſt homo: apertè indicans miſericordiam, quæ ex vnigenito Dei filio obuentura erat. Vnde & genea- (Matth. 1.) logia Chriſti per Booz ex Ruth à ſacro Euangeliſta deducitur. Item & eandem cog- (Eſai. 5.) nationis propinquitatem celebrans Propheta dixit: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Myſterium ergo notans ſacer textus ait: Propinquus ſi voluerit, poterit redimere, quia opus puræ miſericordiæ fuit noſtra redemptio per Chriſtum Dominum, ſub nullius merito cadens. Neque cum eo diſſeritur, ſi habuerit pretium, aut potuerit inuenire, quoniam ditiſſimus & perennis fons omnium bonorum exiſtit, ſed tantùm voluntas requiritur. Interim autem quòd carnem non aſſumeret, conſanguinitate propinquus non erat: Quapropter dicit, Si non habuerit propinquum, &c. Quoniam tunc tempore legis exſpectando redemptorem, & fidem illius ad annum iubilei, id eſt, aduentus eius protrahendo, curare oportebat inuenire pretium memoratũ per opera pœnitentiæ. Vnde ſtudium requirendi ipſum commendans dicit: Si potuerit inuenire, &c. deſcribendo modum pœnitentiæ, vt explicatum eſt. Sin minùs inuenerit, ſemper dilatando Dominus aduentum ſui vnigeni- (Galat. 4.) ti, patienter ſuſtineat Dominum vſque ad annum iubilei, id eſt, donec accedat plenitudo temporis, pro quo factæ erant promiſſiones. Simul & nobis perinde laborare, & pretium hoc poſtquam exhibitum eſt, noſtrum facere, commendat per pœnitentiam & alia bona opera. Nam mihi fruſtrà fons aquæ immortalis diſcoopertus eſt, ſi ego illam non bibero; & theſaurus inuẽtus, ſi ego non laboro extrahendo, & eo vtor. Applicatur enim nobis paſſio Chriſti Ieſu Domini noſtri per Sacramẽta; & per bona opera eidem innitendo, eodem ſpiritu gratiæ, quo nobis Chriſtus eam tulit, meremur, vt ad valorem cæli acceptentur à Deo, & ſic fiunt noſtra merita, quæ illius ſunt opera. Atq; hinc cura inueniendi nobis iniungitur hoc ſacrũ pretium, & perſeuerandi in pœnitentia, donec annum iubilei attingamus, id eſt, perfectam peccatorum remiſſionem: & mentem liberemus ab exactoribus diaboli per finem mortalis vitæ.

Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non emerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor poſſidebit eam, & poſteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in iubileo. Si autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum iure,

redime-

redimetur. Si autem redempta non fuerit, in iubil[illegible] reuertetur ad Dominum.

QVOD post agros & possessiones, necessitas compellit vendere, domus est: vnde postquam de venditione & redemptione a[illegible] disposuit, [illegible] qui domos venditas redimerent, terram p[illegible]on[illegible] [illegible]agr[illegible] [illegible] Atque anno euoluto post celebratum venditionis contractum, redemptionem non permittit, neque in annu iubilei contra ius dispositum in alijs possessionibu[illegible] quando esset in vrbe murata; secus si in villa esset, quæ muros non habet: nam tunc ius redemptionis continuum vt in agris erat dispositum, concedebat, & anno iubilei necessario redibat ad pristinum dominum. quæ necessariò venditionem & redemptionem animarum significarunt: quarum salutem procurare, & ad eam homines præparare scopu[illegible] erat Spiritus sancti, lege redemptionis temporalium rerum, qua auaritiam cohibebat, in exemplum lata. Prædicit ergo hic Dominus, Synagogæ & popul[illegible] Iudæorum intern[illegible] in perpetuum, quòd Christum Iesum non receptum erant, animarum diabolo venditarum, vniuersalem redemptorem. Quippe annus ille significatus post venditionem domus immediatè decurrens, annum illum felicissimum aduentus Domini in carne, & sacratissimæ eius mortis significauit: in quo s[illegible] [illegible] [illegible]ssima prædicatione, pretium suæ redemptionis quotidie obtulit: at quia o[illegible]nate [illegible]restiterunt, derelicti sunt. Vnde Dominus dixit: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas *Matt. 23.* eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quorum desertionem, ob obstinatam voluntatem, multo an[illegible], quam Sodomorum per suum Prophetam Dominus prænunciauit, dicendo: Audite verbum Dei principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorræ &c. *E[illegible]* Sicut & annum redemptionis suæ hic significatum, sic per eundem Prophetam ex[illegible]: Spiritus Domini vnxit me, & ad annunciandum captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domini, & diem vltionis Domino. *Esai. 61.* vt [illegible]per vend[illegible] [illegible]m domorum, de qua hoc loco agit[illegible], venditionem animarum, quam diabolo fecissent, ipsis eam fatentibus, & querétibus quòd a domino venditi essent, explic[illegible]t Dominus eisdé respondendo: Quis c[illegible] [illegible] meus, *Esai. 26.* cui vendidi vos? ecce enim in iniquitatibus vestris véditi estis, & in sceleribus vestris di[illegible] matrem vestram. Hinc [illegible]tur vnusquisque in peccatum lapsus, ob id diabolo venditus sibi prospiciat: ne pœnitentiam procra[illegible]inando, & neglectis occasionibus, quas Dominus [illegible] ab eo deseratur, elapso anno redemptionis, id est, prætermissis opportunitatibus pœnitendi, misericordiæ Domini ingratus. In [illegible]ram enim nostri hæc contigerunt & scripta sunt. *Rom. 15.* Redemptioni autem domus, quæ intra muros non continetur, totum tempus interceptum vsque ad iubileum conceditur. & quod si eo non fuerit redempta, anno iubilei more agrorum & aliarum possessionum ad pristinum do[illegible] redeat. quoniam de con[illegible]ione & redemptione gentium [illegible] quæ lege Dei tanquam muro & vallo non continebantur prophetia & prædi[illegible]. His enim habitantibus in des[illegible] inter virgulta, arbusta, densa, & vepres, quia in sceleribus, in impietatibus, in flagitijs, absque Dei doctrina & lege: quotidi[illegible] rede[illegible] venditione, qua diabolo per peccatum traditi sunt, post mortem & crucem Domini nostri Iesu Christi proposita est tanto pretio exhibito. Ad quod speci[illegible] significandú in vepreto, aut in virgulto Sabech vt verterút Septuaginta, quod remissio interpretatur, religatus aries Abrahæ con[illegible]nti sacrificare fi[illegible]um suum, apparuit: quia gentes in deserti[illegible] inter vepres impietatum & pec[illegible]m, [illegible]bustis densissimis religatæ per mortem Christi soluen[illegible], & [illegible]am Dei reuocandæ. Ob quod etiam mysterium domus hæc non intra muros, sed in villa [illegible]ta, anno iubilei redibat necessa[illegible] ad [illegible] d[illegible]m, sicut ag[illegible], & [illegible] pos[illegible]sessiones. Similiter etiam om[illegible]ibus fidelibus, qui licet fidem habeant, extra mu[illegible] gratię tamen & char[illegible] per peccatum agunt, ad red[illegible]ndas [illegible] [illegible] ti pret[illegible] sa[illegible] nempe Domini nostri Iesu Christi, per pœ[illegible], [illegible] tio fit [illegible] d[illegible] Dominus. Ecce sto ad [illegible] [illegible] *p[illegible]* quis mihi aperuerit, intrabo ad [illegible]lum, & cœnabo cum [illegible], & ipse mecum.

Ædes Leuitarum, quæ in vrbibus sunt, semper possunt redi[illegible]: [illegible] pt[illegible] fuer[illegible]t,

ges. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terrá Ægypti, vt darem vobis terram Chanaan, & essem vester Deus.

CHARITAS erga proximos non exigua vitæ pars est, nec leue iustitiæ testimonium: quapropter aptissimè ei interseritur. Hæc autem fratris necessitatem spiritalem, & corporalem subleuare curat, siue infirmus iacuerit, sanitate indigens, & laborare non valens: siue depauperatus tuam operam & opem requisiuerit. Et quoniam aduenis & peregrinis ad labores rei familiaris communiter Iudæi vterentur, prioris exemplum in inquilino ad operas conducto ponit; quem ita suscipere iubet, vt de stipendio & mercede sibi debita, solùm illi numeret quod expendit, & non amplius: nam si indigena fuerit, siue exterus, qui omninò re caruerit, plusquàm saxeum cor illius præsupponit, qui sic indigenti non opitularetur. Cuius rei cotem timorem Domini ponit: qui operibus charitatis & misericordiæ, iudicij processus definiturus est, bonis æternum præmium, malis verò æternam pœnam decernens, vt hinc cautus vnusquisq; sibi consulat. Necessitatem deinde patientem ita amplecti iubet, per mutuum, & liberas largitiones, vt vsuram ex pecunia data, aut mutuata non exigat, nec fructus aliquos redundantes. Hoc enim peccatum graue est, & proprium gẽtium terrena vltimè inhiantium: vnde Agesilaus filius minor Saturni, quòd auaritiæ immodico studio subiaceret, ab opibus quas adorabat, Pluto à Græcis appellatus est. Quod nomen furiæ inferni, ac dæmonis opulentiæ præsidentis, est. vt hinc sciant qui cautè & ad officium virtutis ea non vsi fuerint, quò itinere recto tendant: πλῦτος enim Græcè, opulentia est. Atqui, hunc Dominus vitium hoc auaritiæ, & vsuræ contra iustitiam & charitatem proximi cohibẽs, meminisse aduertit; eduxisse eos de terra Ægypti, vt terrá Chanaan daret, & esset illorum Deus. quasi apertè diceret: ideò eduxi vos de terra Ægypti, vbi hoc vitium & insentina peccatorum in morem habetur: & expulsurus sum nationes de terra Chanaan quam vobis daturus sum, pollicitationes meas adimplens, quæ huic etiam vitio subiectæ sunt, non vt peccetis, & similiter opes colatis, & adoretis, sed me, qui sum Deus vester. Et altiùs deinde spiritum edocendo, subleuationem fratris & peregrini, qui infirmus est, & morbo animæ laborat, commendat per exhortationem, admonitionem, & correptionem; exemplo Apostoli, cùm diceret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego 1.Cor.11. non vror? præceptum Domini adimplentis: Si peccauerit in te frater tuus, corripe Matth.18. eum inter te & ipsum, &c. Rursus ad communicationem doctrinæ sanctę & virtutis, quibus ad vitæ institutionem opus est, omnes hortatur, quando vsuram prohibet, & fructus superexcrescentes fortem negat. Nam diuitias, & opes, spiritalia bona in Scriptura significare, intuenti est planum: siquidem sub eorum figura in tota lege bona cælestia & gratiæ pollicitus est Dominus, vt suprà etiam latiùs diximus. Et B. Paulus 1.Cor.3. & 4. idem docens: Doctrinam sacri Euangelij & Christiana opera, auro, argento, & lapidibus pretiosis comparauit. Et rursus, ad hoc ipsum alludens, pseudoapostolos arguens, quòd doctrinam iactarent, dicit: Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis, &c. Tanti autem hæc charitas à Domino æstimatur, vt dicat beatus Iacob.5. Iacobus: Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suę, saluabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Cæterùm quia peruersi difficilè corriguntur, vt inquit Sapiens, ne quis animum despondeat, & operam perdidisse arbitretur, quòd officio exhibito, fructus speratus nõ sequatur, animat vnumquemque Dominus, aduertens, quòd nec operam perdit, nec deijci debet ad similes eleemosynas faciendas: quoniam fructum quærere, & vsuram requirere, Domini est, Matth.25. qui absc ondentem talentum damnauit, quòd vsuram eum exacturum nouerat, & eam cumulare non curauit. Domini equidem est, quòd semen iniectum terræ fructificet, non hominis, vt dixit beatus Paulus: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus au- 1.Cor.3. tem incrementum dedit. Igitur cùm officium tuum impenderis, reliquum Domino committe, nec sit tibi curæ, vt contristeris si non profeceris, & à simili officio desistas. Quia non tuum est, ait Dominus, charitate impensa fratri, vsuram, & fructus petere, sed meum. Et suscipere charitatem erga te Domini nunquam desistas, qui te huiusmodi opera conantem sic consolari dignatus est.

Eccli 1. (margin, beside "difficilè corriguntur")

V 2 *Si pauper-*

Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit. vſque ad annum iubilei operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum. Mei enim ſerui ſunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti. Non væneant conditione ſeruorum. Ne affligas eum per potentiam, ſed metuito Deum tuum. Seruus & ancilla ſint vobis de nationibus quæ in circuitu veſtro ſunt, & de aduenis; qui peregrinantur apud vos, vel qui ex iis nati ſunt in terra veſtra. Hos habebitis famulos, & hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum. Fratres autem veſtros filios Iſrael ne opprimatis per potentiam.

A politica ad œconomicam gubernationem transfert ſermonem Dominus: & primum familiam ſeruorum componendo, ab his incipit, qui neceſſitate compulſi ſe vendiderũt, quos liberius eſſe tractandos vult, quàm ſerui qui ſub iugo ſeruitutis cõſtituti ſunt. Rationem autem ſeruitutis deſignans, operas illius ementi ſubijcit, perinde ac mercenarij, & coloni: vſque ad annum iubilei, in quo liber cum filijs ad cognationem ſuam, & poſſeſſionem patrum ſuorum egredietur. Cuius rationem ſubdit: quòd eius ſerui ſint, qui de terra Ægypti eos eduxit, quamobrem conditione ſeruorum vendendi non ſunt, nec empti affligendi ſunt per potentiam more aliorum ſeruorum, ſed leniùs timendo Deum: Ecce legem; ſed attende intellectum ad refectionem ſpiritus. Frater tibi venditur, cùm tuæ curæ ſe ſponte tradit, aut confeſſionem, aut conſilium, & vitæ inſtructionem à te petendo, medicinam ſancti Sacramenti pœnitentiæ deſiderás, & virtutis pulchritudinẽ ſuſpirans. Quem tanquá miſſum à Deo ſuſcipiens, doctrina admonitionis, & virtutis exemplo, vt in domo tua recipies, operibus virtutis eum exercendo, donec integram & perfectam pœnitentiam attigerit, quæ annus iubilei, etiam ſuprà nuncupata eſt. Quo tempore liber exiet cum liberis ſuis, id eſt, cùm generatione virtutum, quas comparauerit ad cognationem, & poſſeſſionem patrum ſuorum; hoc eſt, ad eam libertatem vitæ contra ſeruitutem peccati, quam colebat antequam laberetur, & in libertatem contra ſeruitutem ignorantiæ, & in libertatem donorum & gratiarum quas amiſerat, delinquendo. Atque hæc eſt cognatio & poſſeſſio patrum: quia Patris æterni dona, & indulgentię filiorum ſecun-
Galat. 4. dùm quæ adoptati ſumus, & clamamus abba Pater. Ad hanc autem Chriſtianam & liberam curá, duobus prouocat Dominus; & quòd ſerui ſint Domini, qui eduxit eos de Ægypto, & quòd Deus ſit quem timere debeant. Etenim vt redemptione à poteſtate Ægyptia, Dominus Iſraelis conſtitutus eſt, ita & liberatione à poteſtate diaboli per ſuam ſacratiſſimam mortem, ius dominij omnium & ſpecialiter fidelium acqui-
Ariſto. 1. Polit. ſiuit. Quapropter omnes hac ratione ſerui ſumus. At cùm ſeruus non habeat voluntatem propriam, ſequitur huiuſmodi noſtræ curæ ſuſceptos, quandoquidem ſerui domini ſunt, ſecundùm domini voluntatem, & non noſtrã eſſe erudiendos, inſtituen-
ad Gal. 4. dos, & occupádos. Sic enim ſerui Domini facti, filij liberi ſunt, qua libertate Chriſtus nos omnes liberauit. Quod ſi amore, à potentia in eos exercenda, nõ ſe cohibuerint, timore coërcet: metuito, ait, Deum, ne ſcilicet ſimiliter repatiamini, manũ Domini
Matth. 7. grauiorẽ in vobis ipſis experiendo. Nam, qua menſura metiamini, remetietur & vobis. Et deniq; humiliter lapſum fratrẽ ſuſcipere docet, dicendo: Conſidera te ipſum.
Galat. 6. ne & tu ſcilicet, qui aſperè illi exprobras, tẽteris, vt inquit Apoſtolus. Deinde ſub figura ſeruorum, qui ex nationibus, quę in circuitu ſunt, & ex aduenis, qui apud eos peregrinarentur, & eorum filijs aſſumendi erant, & in perpetuam ſeruitutem mancipandi: manifeſtè ad ſpiritum loquitur. Nam qui ager ad antiquos dominos, in anno iubilei rediret, non autẽ ſeruus, qui homo erat, & multò melioris conditionis? Vult ergo ſuorũ curæ eſſe, non ſolùm aduenas, qui apud ipſos peregrinantur, ſed & nationes quæ in circuitu fuerint, ad quas vitæ fidelis & Chriſtianæ, in cæleſtis doctrinæ teſtimonium, extendi & diffundi ſuapte natura habet. Nam hæc eſt via exteras & bar-
Philip. 2. baras gentes conuertendi & attrahendi, vt docet beatus Paulus, dicendo. Omnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus, vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij

ces filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. Et beatus Petrus in eandem rem, emendatam vitam requirebat, dicens: Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. (1.Pet.2.) Et optimo hoc quidem iure, vt qui supernaturalem legem & doctrinam profitentur, & fide tenent, vita etiam supernaturali, & supra communem cursum aliorum, vt fides exigit viuendo, eos vsqueadeò à vera virtute deficientes pudefaciant, & pudefactos ad fidei veritatem attrahant: vt hinc discant, qui nouam conuersionem Iudæorum aut Ismaelitarum exprobrant,& legibus,& statutis vltra iuris dispositionem (quantumuis iam à patribus, Iudæis, aut ethnicis distent, & bonum vitæ odorem diffuderint) à virtutis præmijs arcent, iudicium Domini timeant, atque vt id euadant, pœniteant. Est ergo Christianus quilibet, qui vita & operibus fidem suam splendere facit, Domini seruus: & qui sub specula est illius agit, (vt suæ saluti spirituali consulat) iure disciplinæ etiam eiusdem seruus: & item, qui vitiosus est, in re virtutis discendæ, eius qui eum docendum susceperit. Vnde custos carceris virtutem Domini in beato Paulo & Scyla admirans, & inde fidem iam ardenter amans, dicebat: (Actuū 16.) Domini quid me oportet facere, vt saluus fiam? Atque hinc qui fide carerent, inter nos posse iure belli capi solùm concessit; vt familiaritate vitæ Christianæ & societate ad fidem suscipiendam assuefacti, vita pœnitentium inflammarentur, & in ea erudirentur, & Christo donati in libertate Christiana, diaboli seruitute exuta, in gloriam & honorem Dei venirent. Atque hinc in anno iubilei non liberabantur: quoniam ad infidelitatem & iugum peccati non datur regressus. Et simul docetur, qua charitate serui tractandi sunt,vt in virtutis officio promoueantur: quam charitatem explicans beatus Paulus, tanquam fratrem Onesimum seruum, Philemonem recipere precabatur. (Epistola ad Philem.)

Si inualuerit apud vos manus aduenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuipiam de stirpe eius, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, & patruus & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin autem & ipse potuerit, redimet se supputatis duntaxat annis à tempore venditionis suæ vsq; ad annum iubileum; & pecunia, qua venditus fuerit,iuxta annorum numerum & ratione mercenarij supputata. Si plures fuerint anni, qui remanerent vsque ad iubileum,secundum hos reddet & pretium: si pauci, ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori quod reliquum est annorum,quibus antè seruiuit mercedibus imputatis. Non affliget eum violenter in conspectu tuo. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno iubilei egredietur cum liberis suis. Mei enim sunt serui filij Israel, quos eduxi de terra Ægypti: Ego Dominus Deus vester.

CVM seruitus corporalis seruitutis spiritalis animæ symbolum existat: minimè suos ciues Dominus in seruitutem redigi permittebat, nisi sua sponte ipsi se venderent. Atque tunc longè aliam rationem statuit ab ea quam suprà seruis exteris disposuit: nam redimi poterat per quemuis aliqua ratione ei coniunctum, & item per se ipsum propria adhibita industria, etsi ea reddere iustum pretium non valeret, accedente iubileo, liber cum filijs egrediebatur. Quorum tam minuta repetitio, planè intellectum, & spiritum latentem indicat, cùm remissio ad superiora sufficisset, vbi similia circa agrorum venditionem disposita sunt. Attende ergo spiritum literæ: Equidem tunc frater attenuatus vendidit se potenti aduenæ, quando necessitate aliqua impulsus, diabolo se vendit aduenæ & peregrino in populo Dei: siquidem per sanctum Baptismi Sacramētum à quolibet fideli eiectus est: vt per circumcisionem in lege pro masculis, & signo alio pro fœminis,virtute fidei passione Christi protestatæ. Et bene sub necessitate corporali, hoc significauit diuinus spiritus: nam pluries, & vtinam frequentissimè fœminas abusum sui corporis vendere,

& mares mille flagitiorum generibus se tradere, necessitate instimulante, nō contingeret. Quæ res curæ pastorali prælatorum subiecta est, secundùm eam rationem, qua rebus terrestribus ad redimenda peccata abundat: & præcipuè in fœminis, quæ nunquam sibi solę sufficiunt. Quando igitur locus & occasio ingrediendi diabolo in animam conceditur, valens & potens manus aduenæ & peregrini fit, atque ei, vel alicui suorum se vendit, qui ipsi se ita permittit. Cuius subleuatio correptione, doctrina, exhortatione, & admonitione, prælato, & pastori primùm incumbit, pro ea officij parte, qua cura animarum cōstitutus est: deinde cuilibet Christiano, qui scit [Ezech. 3.] prodesse posse: aliàs sanguinem de manu eius Dominus requiret. Quod significans patruo, patrueli, consanguineo, & affini redemptionis ius demandat: illis enim man- [Eccli 17.] dauit Dominus de proximo suo. Sed quid, si pretio horū non fuerit redemptus? propria opera id conari debet, & summo sudore opus est: quippe qui lapsus est, vt peccatum cognoscat, cognitum odiat, & exosum abhorreat, externa opera indiget doctrinæ, admonitionis, & exhortationis, quæ pretium redemptionis sunt, vt peccatum do- [Psal. 93.] lore, vt crudelē pyratam persequatur, & in amore virtutis delectetur. Sic enim Dauid sanctus dicebat: Secundùm multitudinem dolorū meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Igitur si pecuniam habet, id est, verbi Dei doctrinam & instructionem, quæ medium est, iustum pretium designans, computet annos à venditione, & restantes vsque ad iubileum, id est, donec perfectam attingat pœnitentiam, & secundùm eam rationem pretium præparet. Nam computatio annorum à venditione, cognoscere faciet peccatū, eius grauitatem pensare, & dona quæ amisit æstimare: restantium verò vsq; ad iubileum, qualitatem pretij & eius quantitatem. Nam superbiæ pretium est, obedientia, ambitionis humilitas, iracundię mansuetudo, iniuriarū patientia, vt gulæ ieiunium, & perulantiæ carnalis temperātia, [Iob. 31.] maceratio, & oculorum, vt sub pacto nec virginē aspiciant, vt faciebat B. Iob. Quantitatem autem pretij soluendi, æstimatio annorum vsq; ad iubileum, docet: quippe qui pœnitētiam perfectā quoad culpam & pœnā hic exercere cupit, vt Purgatorij pœnas euadat (nam de integra hac redēptione peccati loquitur Dominus) vt se in eum statum restituat, quo agebat antequam sic peccaret; aut ei qui similiter non peccauit sē æquet, virtutes quas amisit, aut quas videt in fratre, suis peccatis nū lapso, in regulam & normā iudicij sibi proponendo. Atq; hinc computata ratione mercenarij, qui pro tempore, quod restat ad capiēdam mercedem sic laborat, pretium soluere pœnitens [Luc. 19.] curabit: Nam Zachęus, quia in detentione alieni erat, admonitus à Domino, debitū [Matth. 20.] quod contraxerat, in quadruplo reddidit. Vnde meruit audire: Hodie salus huic domui facta est. Et qui hora sexta, & nona, & vndecima vocati in vinea laborauerunt, impensiùs & diligentiùs operas impenderunt; & contemplata ab vnoquoque temporis breuitate, ita industria posita est, vt mercedem integram reportarent. Perinde igitur, qui pecuniam habent, id est, instructionē, & rationem sui debiti, & quibus adminicula suarum gratiarū donauit Dominus, plurima operatione virtutum, quarum debitores sunt, pretium parent: etsi instantiùs iubileus vrserit, & viam operandi, virtutum semitis videant, semper deficere, compendio laboris, animæ pretium deficiens suppleant, dolore vehementi peccatorum, per lachrymas, singultus, suspiria, per cilicia, per macerationes & disciplinas, quibus se continere discit caro. In quem [Ionæ 3.] modum Niniuitæ remissionem integram peccatorum ieiunijs, cilicijs, lachrymarum fontibus, pretio penè iustè exhibito, consequuti sunt, dicente Propheta: Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia quam loquutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Si verò pecunia huiusmodi non suppetierit, quòd ætas, aut alia infirmitas non sufferat, aut liberaliorem Domini manum gratiarum profusione, ad iustè se puniendum non acceperint, segniori cursu pœnitentiæ persistentes, iubileum expectent, id est, tempus, quo integram & perfectam pœnitentiam, non solùm culpæ, sed pœnæ, etiam remissionis attingant. Quod si morte præuenti hic agentes non absoluerint, in Purgatorio patientes interim restabunt: & cùm mortalitatis omninò cōtagia exuerint, tunc annus iubilei ipsis erit; quo liberi cum filijs, id est, cum generationibus virtutum, quas in vita exercuerunt egredientur, cælesti gloria in æternum perfuncturi. Atque de hac perfecta, & integra pœnitentia (quam Deus toto Scripturæ campo petit) loquuntur doctores

sancti,

sancti, quando pœnarum & afflictionum, nempe ieiuniorum, eleemosynarum, quibus peccata redimantur; ciliciorum, castigationum, & cæterarum asperitatum vitæ, atque contradictionum corpori cumulum, ad pœnitentiam aggregant: aspicientes, scilicet, ad plenam peccatorum quoad pœnam etiam remissionem, in satisfactionem, vt iustitiam Domini in Purgatorio euadant, iustam pœnæ solutionem exigentis. de qua perfecta redemptione peccatorum sermo Domini præsens est. Vnde sanctus Baptista dignos fructus pœnitentiæ exigebat: insinuans alios esse fructus virtutum, iustitiæ, bonorum operum, quæ fiunt secundum Domini mandata, qui perpetuò à quibuslibet iustis exiguntur: alios esse fructus pœnitentiæ, vt vitæ asperitates, labores quos sibi pœnitentes imperant, vel imperatos accipiunt ex odio peccati, donec malum, quod ex ipso subsequutum est, fuerit destructum, & pro offensa plenè omninò Deo satisfactum. Vnde B. Augustinus hunc locum tractans, ait: Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus, pœnitentia enim grauiores postulat, & à multis licitis pœnitentem abstinere oportet, qui per arbitrij libertatem pleraq; commisit illicita. & beatus Chrysostomus, quærens, quomodo dignè fructificare poterimus, respondet: Si vtique peccatis aduersa faciamus. aliena rapuisti, incipe iam donare propria: longo tempore es fornicatus, à legitimo vsu suspendere coniugij: delicijs antè, & temulentia affluebas, ieiunio atque aquæ potu vtrumque compensa. & B. Gregorius in eundem locum: aliud est, inquit, dignum fructum facere; aliud, dignum fructum pœnitentiæ facere: nam, quisquis illicita non commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur. at si quis in fornicationis culpam & adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quantò se meminit, & illicita perpetrasse. Quod & B. Paulus primùm eos docuit, dicendo: Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur: cùm iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Est ergo de ratione pœnitentiæ, post odium peccati, per contritionem, aut per Sacramentum pœnitentiæ ea dispositione susceptum, qua Ecclesia sancta præcipit, quo peccatum quo ad culpam, & Dei offensam dimittitur, ad solutionem, operum exercitium pœnalium, quæ aliàs indebita, hoc est, ad quæ alias non obligentur, nec obligantur iusti, sicut nec ad licita alia opera sibi interdicendum, quæ sibi interdicũt pœnitentes. De qua etiam re vide Tertullianum de pœnitentia, & beatum Ambrosium scribentem ad virginem corruptam, qui ait: Tu facti proprij iudex esto erudelior, lugubris tibi accipienda est vestis, mens & membra singula digna castigatione punienda, amputentur crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt, totum corpus iniuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat. Talis actio pœnitentiæ si fuerit perseuerans, audebit sperare, etsi non gloriam, certè pœnæ euacuationem. In quam rem sanctus Dauid olim patratum peccatum post tot tempora, quasi nuper accidisset, lugebat dicens: Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo. Cuius etiam meminit B. Chrysostomus, dicendo: Oportet enim pœnitentem nunquam peccatum obliuioni tradere, sed Deum importunè rogare, ne eius meminerit: nã si nos eius meminerimus, Deus eius obliuiscetur: à nobis ergo vltionem sumamus, nos ipsos accusemus, & ita placabimus iudicem. atque hinc satisfactio pars Sacramenti pœnitentiæ est, & virtute clauium propriè satisfactio est, & inde etiam maioris valoris, quàm si sponte a quolibet assumeretur; quia tunc operatur vis Sacramenti, sicut in contritione quando est in voto. quæ autem voluntaria est, compensatio, redemptio, vel æquiualentis reditio iusto Dei iudicio dicetur, non tamen propriè eius solutio, quod debetur; quoniam virtute clauium per arbitralem confessoris sententiam non est facta commutatio reatus æternæ pœnę in temporalem quę virtus requiritur, vt propriè sit satisfactio. vt sancta Theologia docet. Concludit autem hanc redemptionis peccatorum compensationem, ad pœnæ temporalis etiam remissionem, dicendo: Mei enim sunt serui, filij Israel, quos eduxi de terra Ægypti. In quo duo insinuat Dominus: alterum exauditionem nostræ redemptionis per opera afflictiua, & pœnalia descripta, vt filios Israel ad se clamantes audiuit. Quod notificauit propheta, dicendo: Ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus, & audiuit gemitum eorum, & recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. alterum est: Christum Iesum ab Ægypto diaboli, sua sacratissima morte nos liberando, meruisse nobis spiritum suum, & quòd nostra opera, per ipsum sint satisfactoria. ita quòd Christus est, qui per nos & in nobis per suum spiritum satisfacit.

Lucæ 3.

Lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 15.

Chrysost. homil. 10. in Matth.

1.Cor.11.

Tertullian. Ambrosius

Psal. 6.

Chrysost. homil. 4. de pœnit.

Ruard. Tap. per. 1 par. summ. fu. per art. 6.

Exod. 2.

facit.atq; ita perfecta est Christi redemptio & satisfactio pro omni culpa, omniq; pœna totius mundi temporali, quantùm ad pretij magnitudinem & sufficientiam; efficacitet autem medijs Sacramentis, quibus applicatur, & medijs nostris operibus extra rationem Sacramenti. quibus, & si passio Christi non applicetut, vim tamen, & efficaciam Sapien. 8. satisfaciendi Christus meruit. & ita omnia disponit suauiter, vt in natutalibus, & supetnaturalibus, medijs secundis causis operetur, & efficacitet agat.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

NOn facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester. custodite Sabbatha mea, & pauete ad sanctuarium meum. Ego Dominus.

POSITA lege & mandatis, obsequuturis ptæmia, transgressuris pœnas signaturus, maiestatem suam adorandam, reuerendam, ac colendam, spretis idolis gentium, Dominus ipso initio præponit: vtpote, quòd ex hoc, obseruatio, & æstimatio mandatorum pendeat. Pietas equidem in Deum vniuersorum parentem, omnium virtutum Sapien. 14. mater est: vnde odio sunt Deo impius, & impietas eius, ex sententia Sapientis: & vanos Sapien. 13. insuper indicat omnes homines, quibus non subest scientia Dei. Hinc ergo idolum siue creaturæ imaginem, & repræsentationem sculptam, aut quouis alio modo fabricatam facere vetat, & titulos, siue columnas erigere, quibus idola reponerentut, & ingentem adorationis, siue super qua adorarentur more gentium, in Israel ponere non perSapien. 14. mittit. idola enim primùm, vt refett Scriptura, inuenta sunt, quòd acerbo luctu doleret pater citò raptum sibi filium, imaginem eius fecit, & ita, qui, vt homo mortuus fuerat, vt Deus coli cœpit; vt de Bello Rege Niniue legitur, quem cæteri imitantes suas Bellas, & Belleriones, fecerunt, & adorarunt. Deinde multis hominum deceptionibus, prætextu alicuius boni, malũ hoc multiplicatum fuit, & timere, ne elementa transgressores suos vorarent, Ceterem deam terræ, Neptunum ingenuum nauigatorem, Deum Lib. de natura deorũ. aquæ; Iunonem deam aëris, & Iouem ignis, teferente Seneca, posuerunt. & deinceps, vt auctor est Cicero, quos Reges æstimauerunt, & beneficos habuerunt, in deos coluerunt, eorum imagines erigentes, vt cæteri ad similem virtutis gradum prouocarentut. & rursus artificum diligentia, impietatem prouexit, vt Scriptura testatur loco citato; nam artifex ille volens plus placere illi, qui se assumpsit, elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret; & ita concertatione quadam, politia artium malum diffuderunt, vt non solùm idola & sculptilia, sed columnas, quibus erigerentur, & lapides, super quibus adorarentur, de quibus hoc loco meminit Dominus, inuidia artium, exquisitiùs variatæ & fabre factæ fuerunt. imagines ergo & simulacra creaturarum, quibus dæmonia gentes colebant, à suo populo omninò arcet Dominus, se Dominum Deum, & quæ colere, reuereri, & adorare debeant proferendo, vt ex eductione ab Ægyptia captiuitate, inuitis dæmonibus, omnibus manifestum erat. in cuius testimonium Sabbathorum custodiam & sanctificationem petit, vbi Dei bonitatem & misericordiã perpende; nam cùm Dominus sit, & Deus omnium cognitor, in sui cultum & sanctitaEsai. 1. tem, quiescere à malo, & discere bene agere petit, vt dicebat per Prophetã suum; quod nostra refert, & nostrũ est commodum & vtilitas, vt vel ex hac te, ipsum cognoscentes, amore reuereamur & veneremur. Quòd si vsq; adeò rustici & ingrati simus, quòd amot ad hoc non alliciat, timor saltem instimulet. pauete, inquit, sanctuarium meũ, Ego Dñs. illis reuerentiam figuræ commendabat, nobis autem rei exhibitæ, nempe Iesu Christi Domini nostri in mysterio sancto altaris, qui per sanctuarium templi fuit figuratus, & vt Deum verum colere præcipit; qui Deus solùm ante carnem assumptam in arca & propitiatorio sanctuarij, præsentiam suam populo illi prospiciendo, exhibebat. Eum igitur iam tenerius & impensiùs, non in propitiatorio, arca, & tabulis, vt in vmbris, sed in ipsa vera humanitate sibi hypostaticè vnita, nobiscum in Sacramento, & ob nosttam salutem agit, & versatur; vt ipsum, scilicet cõmunicando & sumendo, cælesti alimento reficiamur, & contra diabolum, hostiumq; malignorum incursus, armemur. Quapropter simul corpus nostrum, quod in templum & sanctuarium Dei est designatum, mun

ditia,omni

ditia,omni castitate, & puritate mundum custodire præcipit. Secundum quod beatus Paulus docuit,dicendo: Nescitis,quòd templum Dei estis,& spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit,disperdet illum Dominus: explicando sanè quod hic dictum fuerat. Ego Dominus. 1.Cor.3.

Si in præceptis meis ambulaueritis, & mãdata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet semen suum, & pomis arbores replebuntur. apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. dabo pacem in finibus vestris, dormietis & non erit qui exterreat. auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem milia. Cadēt inimici vestri gladio in cõspectu vestro: respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum: comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus, proijcietis. ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea: ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti.

Vt actiones suas,medijs causis secundis,omnia disponendo suauiter, Dominus exercet;ita ad cælestia & spiritalia significanda, temporalia bona, (quæ alimēta in abundantia sunt,pax, terrore omni, & pauore excluso, & excellentia fortitudinis contra hostes Deo semper assistente) in institutionem & pædagogiam hominum rudium assumpsit, diuina & æterna per ea promittendo: Quapropter cùm litera plana sit, latentem spiritum indagare oportet. Primum ergo circa vitæ sustentationem, pluuiam suis temporibus,eius mandata seruantibus promittit.& mediante ea terræ fœcunditatem tantam,vt trituta occupet vindemiam, & vindemia sementem; & demum omnium fructuum vsum in saturitate,in terra sua sine vlla peregrinatione,& absq; vllo pauore. quæ animæ & spiritus abundantem sustentationem apertè significant,cuius gratia hæc promissa,scripta sunt. Nam pluuia,cælestem doctrinā in Scriptura significat,dicente Moyse; Audite cæli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei. concrescat vt pluuia doctrina mea, & fluat, vt ros, eloquium meum. Hanc igitur promittit se missurum temporibus suis,quia factus Dominus refugium pauperi,adiutor in opportunitatibus in tribulatione,terrāq́ germinare faciet,& arbores repleri pomis: quoniam terram animæ nostræ mediante pluuia suæ doctrinæ & gratiæ,opera virtutum germinare faciet, imò ita in sublime sapientiæ diuinæ, diuinique amoris Christi Iesu Domini nostri ascendere,vt profunda humilitatis, obedientiæ, mansuetudinis, & patientiæ opera instar fructuum altissimarum arborum faciat decerpere. atque hinc tanto virtutum amore ardebunt, vt ab opere vnius virtutis ad alterius officium,& ad virtutes alias atque alias esurientes & sitientes properent,secūdùm quod scriptum est: Qui edunt me,adhuc esurient, & qui bibunt me,adhuc sitient: & ita tritura incipiet vindemiam, & vindemia sementem. Sed quomodo comedent,si ita est,cum saturitate,vt statim dicitur? & rursus,qui cohęret,quod Samaritanæ Christus Iesus noster dixit: Qui biberit ex aqua,quam ego dabo,non sitiet iterum? optimè sanè. nam Domini verbum, & virtus, de quibus hoc loco & Sapiens disserebat, ardentius desiderium maioris cognitionis Dei per adhæsionem generant,& magis ac magis per virtutis exercitium,ad alias & alias inflammant,& perpetua fame & siti horum bonorum premunt: quia virtus gustata, sui altrix & conciliatrix est. Vnde & terrenorum bonorum, quæ videntur tantùm, & non sunt, famem & sitim habet extinguere verbi diuini virtute. De qua siti extinguenda, aqua suæ doctrinæ loquebatur Dominus, & etiam hoc loco sermo est. imò argumentum irrefragabile est,de alimentis spiritalibus primùm sermonem Domini haberi. & rursus, quod ait in terra vestra, & absque pauore. nam terrenas diuitias peregrinatione & commercio variarum gen-

Deut.32. Psal 9. Eccli.24.

riarum gentium patari commune est; cùm harum rerum Deus hanc regionem altricem fecit, aliam indigam reliquit, vt communicatione, societatem & amicitiam, quantumuis distantes conciliarentur homines. & item commune est, bona hæc præsentia & caduca timore conseruare, vt solicitudine parantur, & cum dolore relinquuntur. Est ergo apertum argumentum de eo cibo loqui, de quo dixit Dominus: [Iohan. 6.] Operamini non cibum qui perijt, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Deinde pacem, suæ obseruatoribus voluntatis, Dominus promittit. pacem inquam spiritalem, quam exhibuit Christus redemptor noster, dicendo: Pacem meam [Psal. 147.] do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. De qua etiam pace Ecclesiæ donanda, dixerat Dauid sanctus: Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiatte. hæc autem pax in concordia affectuum corporis (domita eorum feritate & immanitate) cum anima initiatur, mediante Christi Iesu verbo, & ope; & superueniente eius gratia, hominem Deo faciente gratum stabilitur: vt ho[Psal. 83.]mo sic Deo donatus dicat cum Dauid sancto: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. & iterum: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. [Psal. 62.] Equidem quando gradum hunc pax hæc attingit, per omnes animæ potentias, per sensus, per affectus, per omnia corporis membra, quantùm ad pacationem diffusa est: quare & extensa, per omnes terminos, vt hic promittitur. Huius autem pacis effectus per ea, quæ temporaliter homini, quieti & tranquillitati sunt, dignatus est Dominus exprimere. Primus est, dormire absque timore exterrente; quoniam conscientia pacata, quies & somnus est animæ, quam cura domina terrenorum, non suscitat, nec earum timor deterret. quæ quies & somnus omnia vitæ huius bona in pignus futurorum secum affert, vt Regius vates deprompsit, dicendo: Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce, [Psal. 126] hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris. Alius affectus est feritatis & immanitatis exutio, & denudatio atque plagæ & ictus, inimicorum dæmonum, scilicet, qui per hos blandiendo, subingredientes, vti gladio animam feriunt, & per peccatum dilacerant. affectus autem furentes, & indomiti, ac dæmones eorũ presides & actores, aptissime bestijs feris comparantur, ex malitia & modo nocendi: quoniam prætextu amicitiæ blandientes, ac lenocinantes, venenum suum diffundunt. Ex eadem radice tertiò sequitur, in militum Christi sic pace fruentium gratiam, inimicorum prostratio, & excellens, ac continua contra eos victoria, quantumuis numero superent. hotũ enim officium est, ieiunio, oratione, & indiuidua pænitentia inimicos persequi, quibus armis in [Math. 17.] eorum præsentia statim corruunt, dicente Domino: Genus hoc dæmoniorum non eijcitur, nisi in ieiunio & oratione. vbi ieiunium præmittat, vt discas te ad orationem præparare, vt admonet Sapiens, dicendo: [Eccli. 18.] Ante orationem præpara animam tuam; nam in multi cibi dispensatione anima grauata, non bene ad orationem leuabitur. Et persequentur, inquit, quinque de vobis centum alienos, & centum de vobis, decem milia, & cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Designatio numerorum, mysterium quod enarramus apertè indicat: nam quinarius numerus integram & perfectã fidem igne charitatis ardentem significat, vt sacrum Euangelium eam docet ex quinq; libris Moysis erutum & expressum. Quod B. Paulus enarrans, dixit: [1. Cor. 14.] In Ecclesia malo quinq; verba, sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem milia verborum in lingua. Habet enim huiusmodi, quinque sensus, totidem spiritalibus reformatos; quare spiri[1. Cor. 2.]talis est, & sensu Dei omnia, non sua ratione, sed fide dijudicat. Vnde cuncta agenda optimè discernit, valens sic diabolum cum integra legione vincere & superare, quam numerus centenarius, qui totus est, significat. & insuper omninò integra & perfecta virtus Christiana (per centesimum fructum in terra illa bona designata) decem milia, id [Math. 13.] est, vniuersam potentiam dæmoniorum prostrare gladio verbi Dei charitate accẽsi eos letaliter feriendo, valet: atque inde in conspectu similium militum cadent. numerus [Ephes. 6.] enim denarius, siue vnitatem, siue denariorum sit, totus numerus est. Quoniam autem militia hæc expensis Domini fit, quæ pro nostra industria, eius gratia semper præueniente, & comitante dantur: vt ad eam apponendam excitemur, inter tot inuisibiles hostes agentes, nostram vecordiam & soporem taxans, ad hunc locum alludendo, di[Lucæ 14.]xit: Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedet priùs cogitans, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se? Quilibet enim Christianus per lauacrum Sacramenti sancti Baptismi, Rex constitutus

est, cum

est, cum quo de regia dignitate continuè tyrannus diabolus cum duplici exercitu decertat, comparatis naturalibus viribus. tamen fide & gratia Dei innixus, multo maior [illegible] absque vlla proportione existit fortitudinis. Ad quod insinuandum vnitate denarij exercitum nostrum notauit: aduersarij vero binarij, qui ab vnitate declinat: ob quod & in genere malorum a philosophis ponebatur, vt supra visum est. Merito ergo iterum atque iterum imò semper, de expensis bel[illegible] cog[illegible]ndum est, vt eas conantes, quas Dominus liberaliter donat, auide etiam & nos accipiamus.

Præterea assistentiam, suam prote[illegible]ionem, & prospectionem obsequuturis pollicetur. Qu[illegible], quid sublimius optari potest? respexit enim Dominus ad Abel, & ad munera eius: & vide affluentiam bonorum, quæ generationes eius comitata sunt. respexit Dominus Zachæum, & factus est Dominus hospes eius, & salus domui eius similiter aduenit: respexit Petrum, & fleuit amare. (Lucæ 19.) De[illegible] igitur operam vt respiciat nos, & inex cogitata nobis dona donabit, vt hic promittit, dicendo: Respiciam vos. Et quæ sunt ista bona quæ ex prospectu Domini nobis contingent? quòd crescere nos faciet eundo de virtute in virtutem, donec occurramus in virum perfectum, in statum ætatis plenitudinis Christi, vt inquit B. Paulus, & multiplicabit non solum, vt stellas cæli, sicut pollicitus est, sed bonis spiritalibus augendo: siquidem qui secundum eius præcepta minima fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. (Psal. 83. Ephes. 4. Genes. 26. Matth. 6.) Et qui hoc fiet? & firmabo, ait, pactum meum vobiscum. Etenim vt realiter sacrum Euangelium, & cum eo vnigenitum suum, hominem factum, vt sanctis Patriarchis pollicitus fuerat, iam dedit, in cuius fide & spe viuere populum illum iubebat: spiritaliter nobis profusionem omnium gratiarum [illegible] eius [illegible] plen[illegible]bus donabit, vt verbum suum cordi adhærens, ment[illegible] no[illegible] oc[illegible] semp[illegible] luceat, & Christus Iesu pro sua dignitate, gratia sua eam [illegible]. Q[illegible] to c[illegible]tinebantur explicans, ait: Comedetis vetustissima veterum, & vetera n[illegible] peruenient bu[illegible] proijcietis: [illegible], Euan[illegible]um accipietis ben[illegible] us pat[illegible] [illegible], & eius dona, quæ vetustissima, promissione sunt: Q[illegible]us aduen[illegible]ntibus vetera proi[illegible]ietis, id est legem veterem cum suis cæremoniis & iu[illegible]icialibus [illegible]. Cuius rei mentionem faciens Apostolus ait: Si qua ergo in Christo noua creatura est: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. (2. Cor. 6.) Hęc enim vetera, donec venirent noua, eorum loco, vt inquit B. Paulus, substituta fuerunt: nam propter transgressionem lex posita est donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. (Galat. 3) Deinde adhuc exponendo, ait: Ponam tabernaculum meum in medio vestri: Quam promissionem adimpletam in vnigenito Filio Dei carnem [illegible] induto, enarrauit B. Ioannes, dicens: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. (Apoc. 21.) & tantis bonis cumulatos quis abiiciet nos? imò qui filio suo non pepercit, sed pro no[illegible] o[illegible]bus tradidit illum, quomodo vt inquit B. Paulus non omnia cum illo nobis bona donabit? (Rom. 8.) Cuius rei tandem, explicatius suam fidem Dominus impignorat, dicendo: Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus. non enim clarius exprimi poterat, Deum hominem futurum, quam per conuictum & conuersationem ambulãdo inter homines. Verum adhuc expressius alius Propheta enarrans, ait: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. (Baruch.) & deniq; mysterium exhi[illegible] na[illegible] B. Paulus, dixit: Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo. (Phil. 2.) Ac si dicat ita humiliter versatus est inter homines, vt purum hominem q[illegible], non attendens in eo cælestia, iudicaret. Vnde speciali ratione per humanitatis assumptionē, noster Deus factus est Christus ad prospiciendum, & curandum: & [illegible] populus eius, ad impensius & accuratius atque strictius obtemperandum & obediendum. Atqui vt ne quis potentiam, aut charitatem ad hæc operis complendi, d[illegible] [illegible]ram, temere suspicaretur, omnipotentiam suam, qua a seruiture Ægyptiorum eos eduxit, & charitatem, qua de eorum ceruicibus catenas confregit, vt incederent erecti, meminorari iubet vt memoria nos semper repetentes a seruitute diaboli per Christi Iesu mortem eductos esse, & a peccati fumibus & catenis, quibus in terram ren[illegible]naq; more bestiarum proni, deinceps erecti in cælum, æternum habitaculum, mentem nostram, animaq; vultus attollamus.

Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreueritis omnes leges meas & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt,

cuta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini ijs qui oderunt vos. fugietis nemine persequente.

IVDÆI iugo legis subiecti, quæ terrena prima fronte promittebat, ipsis inclinati, curui semper agebant, vsque adeò, vt ab intellectu vero legis, in insensibilem corticem literæ decidentes, curui semper incederent. Vnde erectionem per gratiam Euangelij Dominus hîc promittebat: sed intellectum negligentes eam recipere demeruerunt. Quapropter & discipulos suos enarrationem parabolæ quærentes, sicut cæteros Iudæos, intellectu carere arguebat Dominus, dicens: Adhuc & vos sine intellectu estis? *Iohan. 15.* non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt. & ea sunt quæ coinquinant hominem. Vbi perpende, quàm sensibiles essent, quòd huius quod dixerat Dominus: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, edisertionem flagitabant, media ipsa luce cæcutientes. In hanc autem miseriam illi deuenerunt, mandatis Domini non obtemperantes, & legem ipsam spernentes, & contemnentes, eius intellectum negligendo, sensibilium rerum, quæ proponebat amore capti. Neque vlla res est, quæ vsque adeò luci Euangelij aduersetur, & cælestium considerationem oppugnet, ac sensibilis amor, & cupiditas. Quare operæpretium est in alieno capite periculum facere, considerantes, quòd si illi, ramis & *Rom. 11.* folijs oliuæ tantùm inhærentes, nec portantes radicem, id est, fidei pinguedinem & charitatem, sed steriliter ab ea portati, vitæ temporalis sustentationem & gloriam ambientes, in incredulitatem prolapsi sunt, ne & nos similiter agentes, simile præcipitium faciamus; vt ex hac radice indies hæreticos videmus facere. atque id vnde? ex admotione flagellorum, quæ hic Dominus Iudæis contumacibus, & legem contempturis minabatur. & per eos, omnibus, qui simulitet prætextu fidei, & religionis, sua tantùm quærerent. Ait ergo: Visitabo vos egestate, &c. sub castigationibus temporalibus, spiritales notat, vt timorem incutiat, & eum timeamus, qui potest occidere a- *Luc. 12.* nimam, & mittere in gehennam ignis. non autem quæ corpori aduersantur. & insuper cognito, quòd tot anima indigeat, admonet eius curam habere: vt non in corpori indulgendo toti simus positi. Minatur igitur sustentationis animæ priuationem, *Amos 8.* quæ est verbum Dei. Ita enim ipse Dominus expressit per Prophetam. Mittam vobis famem & sitim, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Instabit etiam ardore, id est, incendio inuidiæ & superbiæ, quibus oculi mentis confecti lucem non viderunt, sufferentes cæcitatem, quam Dominus per Esaiam prædixerat: *Esai. 6.* Excæcabo cor populi huius, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant: *Iohan. 1.* atque ita venientem Dominum in propria, sui eum non receperunt. & simul ij morbi, animas eorum in diuersas partes trahentes, consumebant. quoniam nunc miraculis & *Iohan. 10.* doctrina vrgentibus dicebant: Si tu es Christus, dic nobis palam: nunc superbia elati *Iohan. 12.* & inuidia corrosi, aiebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit. & si hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem nostram. atque ita in diuersa, dictis furijs acti, animas suas consumpserunt. Rursus, in labore legis & Prophetarum frustra sudabunt; seminantes sermones suos, & iactantes etiam legis, eius intellectu carentes, & materiali suo sensu abundantes. quoniam quicquid seminauerint, ab *Matth. 13.* hostibus deuorabitur; id est, à gentibus, quæ thesaurum in agro legis inuenient, & vendentes, antiquas superstitiones, & idola quæ habebant, ement illum. & inuenta item apud eos pretiosa margarita, vt sapientes mercatores, vendentes omnia quæ habebant, compararunt eam. Itaque gentibus in labores eorum introëuntibus, completum est, quod hîc vaticinatum fuerat, vt Dominus dixit: Ego misi vos metere, quod vos non *Iohan. 4.* laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Præterea opponente Domino faciem suam contra eos, vt opposuit, suo sensui relinquendo, tanquam indignos accipiendis, qui malè fuerant vsi acceptis, corruere coram hostibus suis, & subijci eis fecit, id est, gentibus, quæ hostili odio Iudæos semper prosequutæ sunt. Atque hoc,

quando

quando gentes salutem, quæ in lege promissa fuit, amplectentes, Iudæi in ea offenderunt. Vsque adeò enim illas oderant, & à promissis suis iactabundi ablegarunt, vt si gentes consequuturas salutem in cruce Domini cognouissent, vt inquit beatus Paulus, 1.Cor.2. nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et denique nemine persequente fugerunt. Quoniam gentibus, non modò non persequentibus, sed eorum salutem procurantibus, ipsi eam sponte fugerunt. Et adimpleta est prophetia Esaie, dicentis: Dixerunt fratres vestri odientes vos, & abijcientes propter nomen meũ: glorificetur Dominus: & videbitis in lætitia vestra. ipsi autem confundentur.

Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ, daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. consumetur incassum labor vester. non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.

TANTO desiderio nostram salutem ardet Dominus, quòd nihil non mouet, quod vt ad eam negotiandam accingamur, prodesse viderit. Paulo suprà egestate, morbis oculorum, & ardore, id est, scabie, impetigine, febre, & alijs morbis manifestis, quæ bona corporis infestant; animæ egestatem, cæcitatem, & defectionem inobedientibus intimauit. Adhuc autem in duritia superbiæ perseuerantibus, & pensum obedientiæ Deo negantibus, in bonis externis, in diuitijs, nempe, quæ ambitionis, superbiæ, inuidiæ, & similium furiarum fundamentum sunt, in septuplum amplius corripit. His enim diminutis, duritia superbiæ conteritur, & emollitur, quæ ideò dura dicitur, quoniam cor durum habet efficere. Quod Dominus facit, simile in duritiam in creaturis, capitosis hominibus, seruientibus, cœlum durum vt ferrum efficiendo, & terram æneam, vt temporibus Eliæ, quando tribus annis non pluit super terram, tempore pessimæ illius fœminæ Iezabelis, inundantibus peccatis; 3.Reg.17. & 18. quò & cassus hominum labor redditur, cùm absque cæli clementia per pluuias, rores, & cæteras meteorologicas impressiones, nullos fructus terra ferre valeat, nec germen humile, nec alta poma in arboribus. quibus spiritualiter suæ pœnæ respondent: vt cælum, hoc est, Scriptura sancta pluuias & rores cælestium gratiarum, in cordibus capitosè Dei mandatis repugnantibus, non distillabit: vnde ad cæli valorem, cassus erit hominum labor absque Dei auxilio & gratia. Itaque nec germen meritorum in via virtutum homo animata terra, proferet, nec altas mentis cogitationes, & contemplationes reddet suaues Domino, vt poma electarum arborum solent esse hominibus.

Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra: immittamque in vos bestias agri; quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fient viæ vestræ.

PRAVORVM vide hominum ingenium, quòd postquam peccato pudorem perdiderunt, eò in malo progrediuntur, vt non solùm id per se effrænatè perpetrent, sed sua peccata excusare & defendere procurent, peruerse ad suos sensus Legem & Euangelium interpretando, vt Iudæi & hæretici faciunt. Hi ergo plusquàm inobedientes sunt, & ex aduerso cum Deo pugnant. Quapropter non correptiones iam, sed plagis in septuplum grauiores mittit. è desertis igitur contra hos feras bestias mittit, quæ eos & sua iumenta & pecora, consumant. Quæ res tanto terrori cæteris erit, vt nec eas vias terere audeant, sed desertæ maneant. Quod & legimus factum, nam murmuranti populo contra Dominum, immisit ignitos serpentes, Num.21. quorum plagis plurimi interierunt; Et deinde Prophetæ Domini mandato expresso aduersanti, leo de nemore exiens, eum in via dilacerauit: 3.Reg.13. & pueris exprobrantibus Eliseo duo vrsi egredientes de saltu, quadraginta duos ex eis lacerauerunt: 4.Reg.2. & in habitatores Samariæ ritui Domini aduersantes, immisit Dominus leones, qui eos interficiebant. 4.Reg.17. Sed spiritaliter, hæ malæ bestiæ dæmones sunt, qui & populorum præpositos, & populares, quibus vt iumentis insident, & vt pecoribus vtuntur, deuorant, quando Domini mandatis ex aduerso opponuntur: sunt enim eorum cibus, cùm

bus, cùm non nisi peccata exerceant frequentiùs in vita, nec aliud in mente versant Psal. 77. quàm luteas & stultas cogitationes, quas pro suo ingenio ipsi proseminant. Quod explicatiùs reddens sanctus Dauid, Psal. 34. huiusmodi hominibus indignationem & iram & tribulationem, immissiones dicit Dominum mittere per angelos malos. Atque hinc in paucitatem rediguntur qui Deo placeant; quoniam fit eis obuius angelus Domini co- Rom. 8. arctans eos. Atque hoc vnde euenit eis? quia Iudæorum vestigia sequentes, cùm suam quærunt statuere iustitiam, iustitiæ Dei non subiecti.

Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducam super vos gladium vltorem fœderis mei. Cumque confugeritis in vrbem, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium. postquam confregero baculum panis vestri, ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis & saturabimini.

QVIS adeò demens erit, qui dispensationes, dispositiones conuenientium, & punitiones atque castigationes errantium in aliqua familia, illius prouidentiæ non tribuet, qui eidem præfectus est? nemo sanè. at erga Deum vniuersorum Dominum, eousque insolescit homo, vt quæ magno consilio suæ infinitæ prouidentiæ bona suæ familiæ distribuetit, & castigationes admouerit, casui & fortunæ, eruditionem disciplinæ fugiens, tribuat. in hanc enim rem dixit insipiens: non est Deus, id est, non curat hæc: & omnis qui sic insanijt, vt aduersa omnia, scilicet, fames, gladij, pestes, quæ in disciplinam & correptionem nostram speciali prouidētia immittit Dominus, quando largitionibus & indulgentia, ei audire, & obedire nolumus, è manu Domini non accipit. Quibus donec ad disciplinam Domini aures erigant, & puniti audiant, qui demulsi renuunt, in septuplum grauiora præcedentibus flagella admouere non cessat. nam ex aduerso Domino stare, puniriones eius casui tribuere, est. Huiusmodi ergo hominibus disciplinæ adhuc repugnantibus, contrarius incedit Dominus, in septuplum pœnas augendo: nam gladius hostium qui hîc minatur, multo grauior est, & acrior præcedentibus plagis. Qui intantùm crescit materialiter, vt confugientes ad vrbes, ibi peste, & fame pereant. quam ita arctam prædicit, vt clibanus vnus exiguus, pro decem familijs, coquendis panibus sufficiat. & rursus, ita panes cocti, sub pondere & mensura distribuentur, vnde nec saturabuntur. Quod malum pluries Iudæi experti sunt: præcipuè tamen temporibus Benadab, obsessa Samaria legitur, quando caput asini 4 Reg. 6. octoginta argenteis venundaretur, & quarta pars cabi stercoris columbarum, ad eum cibum coquendum, quinque argenteis. & Ezechielis item tempore grauem gladium, 4. Reg. 19. instantem senserunt, centum octoginta milibus hominum Senacherib obsidente Hierusalem. quos omnes vna nocte angelus Domini percussit. Sed spiritualiter, quod Dominus primùm intendit, dicamus: Iudæis quidem legis intellectu carentibus, & sen- Hebr. 4. sibiliter tantùm eam adimplentibus, gladius sancti Euangelij penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, bellum illis fecit, ei repugnantibus, & legem amplectentibus. Qui & confugientes ad vrbes, hoc est, ad Prophetas, tanquam ad asylum, & muros legis, peste mortui sunt: quia in incredulitate sua manentes, morti inferni deputati sunt: & fame item, quia decem præcepta decalogi, quæ omnibus eorum familijs, in cibum tantùm remanserunt, cæteris alijs omnibus legis mortuis & infrugiferis, molliter & extrinsecùs venerantes, non ad concupiscentiam, non ad iram extendentes, neque ad compositionem cordis, saturare eorum Iosue 20. animas minimè valuerunt. Etenim quoniam in lege vrbes confugij pro malefactoribus signatæ fuerunt, (quarum meminit Regius vates contra eosdē dicendo: Psal. 138. Qui dicitis in cogitatione: accipiēt in vanitate ciuitates suas) intelligibiliter per eas ꝓphetias designat Hiere. 1. Dn̄s, secundū quod per Hieremiā dicit: Ego quippe dedi te hodie in ciuitatē munitam (ꝓphetiam, quā illi mandabat, intelligendo) & in columnā ferream & in murū æreum regibus Iuda. & item, quia maximè in angusto est natura humana, quando decem familijs vnus clibanus ad coquendum panes sufficit, qui sub pondere & mensura vnciarū distribuantur: hac fame corporis, in exemplum vtitur, ad famem animæ exaggerandam.

randam. moralis doctrina enim decem præceptorum, primus animæ cibus datus est, secundus Lex, tertius verò sacrum Euangelium: & qui id non capiunt, pro inutili dato cibo legis, in iudicialibus, & cæremonialibus, quæ si malè intelligatur, & ad luxuriam suorum sensuum extensa, nec ad compositionem morum, perperam ad extrinseca solùm opera coarctata, animas alere minimè valet. Perinde igitur nobis obueniet, si pulsationibus & punitionibus Domini peccata sectantes obcalluerimus, & mandata eius similiter, ac ipsi extrinsecùs circumferentes, atque Ecclesiæ Sacramenta gloriantes, & præcepta eius, ac religionem in omni vita obtendentes, irreligiosè, & vanè viuamus. Corde ergo toto in opera ipsa prorumpente, hæc omnia complecti & exercere curemus, rogantes Dominum vt det nobis cor ad præcepta, vt suis donare consueuit, vt hinc non solùm eius flagella euadamus, sed gratos illi esse semper conemur. Eccli. 45. Ad quod non parum conducet, omnia huius sæculi bona, tanquam baculum temporalis vitæ esse æstimanda, & non amplius: is enim ad motum tantùm seruit, non ad quietem. His ergo bonis ad exercitium virtutis vtendum est, non ad sedendum & quiescendum, nec cor in eis apponendum. ad quod significandum, baculum panis ea appellat Dominus.

Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me, & ego incedam aduersus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum & filiarum vestrarum. destruam excelsa vestra, & simulacra confringam. cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, intantùm vt vrbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam vltrà odorem suauissimum, disperdamque terram vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, & euaginabo post vos gladium meum, eritque terra vestra deserta, & ciuitates dirutæ.

QVI punienti Domino semper aduersantur, continuè peccata cumulando, flagellis neglectis, imò casui & fortunæ ea tribuentes, exitium suum hîc videant. Equidem prædicendo Dominus impietates & flagitia sui populi, quæ nec tempus quantumuis distans ab eius prospectu & præsentia abscondere, nec auferre valuit: eorum exitum, postrema visione & punitione simul inuulgat. Iudæi post tot leges, exhortationes, & adminicula vitæ, nunquam Deo audierunt, euaginato semper eos gladio feriente: ideo vastationem illam passi sunt, quam Babylonicus gladius ipsis intulit, quam potissimùm Dominus hîc vaticinatur. Cuius manifestum argumentum est; quod sacer vates Ezechiel eam ex professo tractans, quæ in summa hîc proloquuta fuerunt, longiùs deducit, verbis & loquendi phrasibus ad hunc locum alludendo, vt intuenti patebit. Hoc autem excidium & captiuitas, Iudæorum vastationem in vindictam mortis Iesu Christi Domini signauit, simul & inferni mortem & carcerem eiusdem, ob sua peccata; & omnibus similiter, ac ipsis, operantibus. In summa ergo, acerbitatem punitionis, in fronte proponendo, tantam illis indicebat futuram, vt carnes filiorum, & filiarum comederent: 4 Reg. 6. quod pluries contigisse Iudæis legitur angustia famis pressis, sed præcipuè vindicantibus Romanis sanctissimam mortem Christi auctore Iosepho. Iosephus de bello Iudai. cap. 8. vide sequentia. Sed & spiritaliter filiorum carnes comederunt, quando in discipulos Christi & Apostolos, qui eorum filij fuerunt, ita exarserunt, eorum doctrinam subuertentes, & calumniantes, vt cæleste animarum pabulum, animabus suis & filiorum demerent: quod acerbius malum est, quàm corporales eorum carnes comedere. Et item omnes comedunt, qui subtractione fidei vt hæretici, & subministratione perditorum, filios & filias occidunt, & dæmonibus escam, itineris inferni ductores se efficiendo, præstant. de quorum inquietudine & cruciatu in inferno, ait Dominus: Vir fratri suo non parcet, & declinabit ad Esai. 9. dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur: vnusquisque carnem brachij sui vorabit. cuius mortis, & plusquam caninæ famis, præsenti vita in vitiorum campo, libamina degustarunt. Exponendo igitur punitiones, quas in rebelles exequuturus erat, destructionem excelsorum, & idolorum, casum populi, odium in eum, inutile refugium ad vrbes, refutatione odoris suauissimi; stuporé inimicorum,

desolationem terræ, & dispersionem incolarum inter gentes videndo, recuset. & verè, Dominus excelsa, id est, principes illius populi, Pontifices, Scribas, Sacerdotes, & Pharisæos, speciem & schemata tantùm virtutis referentes, in quos vt in idola vana, populus intendebat, à sede superbiæ eorum deturbauit, & è vita sustulit: inter quos cecidit & populus eorum assecla. & quæ fuit causa ruinæ gentis tam charæ? odium, nempe Dei, propter insolentia eorum peccata, & pertinaciter vsque ad finem aduersantia. propter odium item, quo omninò Christus Iesus Dominus noster eos prosequutus est, quòd tantum pretium diuini sanguinis, quo eos mercatus fuerat, irritum & vanum sibi fecerunt: dolet equidem eorum perditionem, quorum salutem vsque adeò tenerrimè diligebat, vt pro eis seipsum impenderet. Hinc igitur consulant sibi, & similem casum timeant fastosi & superbi homines Christiani, qui similiter Dei voluntati repu-
Sapien. 15. gnant: nam iustitia manus Domini, non est exhausta: nec qui ad lusum, vitam nostram existimant, & ad lucrum solùm esse compositam: in lusu, aut lucro aliquo, prætereundas esse punitiones arbitrentur, & iustitiam Domini fructu suo esse frustrandam: nam
Sapien. 6. potentes, potenter, tormenta patientur. In tanta autem malorum strage confugerunt miseri Iudæi ad vrbes, hoc est, ad prophetias suas, sed inaniter, nullum fructum inde carpentes, nec sanctimoniæ vestigium aliquod, in earum spe reperientes, adimpletis promissionibus, confugerunt ad orationem, & nullum subsidium inuenerũt; quia odorem suauissimũ ex eorum thurificationibus iam respuit, nouo accedente: terræ inniti, & stabilire se, curarunt: nec sustinere eos valuit, quia eam Dominus destruxit cum sanctuarijs eorum, vetus Testamentum & cultum respuendo, ac fastidiendo, gratia Euangelij adueniente. Confugient demum, cùm à solo & cælo se destitutos videant, ad inimicos suos, gentes, nempe quas oderant: qui cùm se eorum loco in Ecclesia suffectos videant, stupebunt super desertione eorum; non minùs, quàm Chaldæi eorum terram inhabitantes obstupuerunt, videntes eorum dispersiones inter hostes suos, nationes, scilicet, euaginato gladio Domini per Nabuchodonosor eos dispergente, & eorum ciuitates diruente. Verùm non glorientur Christiani, nec suam in hoc stabiliant salutem, quòd alijs reiectis, in populum & Ecclesiam Dei assumpti sunt: superbiæ enim sathanicæ hoc vestigium est; quod Dominus discipulis exprobrauit, quòd eis dæmonia
Lucæ 10. subijcerentur, dicendo: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur; gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Sed in hoc debent gloriari atque gaudere, quòd benignitate Domini in stadio Ecclesiæ sanctæ positi sunt, qui si diligenter ex fide tanquam ex promptuario quodam operando cucurrerint, audient Christum dicentem: Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis: in eorum siquidem manu hoc positum est, cum diuini spiritus auxilio, opera grata & meritoria Deo exhi-
Rom. 11. bere curando. Videant ergo, vt inquit beatus Paulus, bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in se autem bonitatem, si permanserint in bonitate, alioquin excidentur. Non enim vna est via solùm perditionis, quæ Iudæos vastauit, nempe incredulitas: sed & alia est, vitij scilicet & peccati his qui credunt, & Christiani sunt, quando in eo perseuerantes pænitentiam renuunt, & viam virtutis odiunt. fides etenim sola non sufficit ad salutem. Quare in ea solùm confidentibus, & nomine Christiano solùm gloriantibus, simile exitium cum Iudæis exspectare Dominus iubet: nam curriculo sæculi finito, suam salutem procurantes, allegabunt, vti ad vrbes confugientes Christiani, quòd fideles sint, & Euangelium professi, & fidem Christi. & dicet illis: Nunquam noui vos; discedite à me omnes qui operamini ini-
Matth. 7. quitatem: dixi vobis: Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. amen dico vobis, nescio vos. Fugient ad clamores, & orationes, quas in vita fecerunt, & dicet Dominus: Non exaudiui vos, & perpetam ad cæleste præmium eas fudistis: quia manus vestræ, cùm oraretis, aut ieiunaretis, semper sanguine plenæ fue-
Esai. 1. runt. Vnde nec opera vestra mihi suauia. Protendent Sacramenta Ecclesiæ, cultum & religionem, quam quotidie manibus habuerunt, & respondebit illis Dominus: dixi vo-
Eccli. 1. bis, contumax non sis, & incredibilis timori Dei, & ne accesseris ad illum duplici corde: quod vos fecistis, fidem meam, Sacramenta mea, & religionem profanando, ex-
Psal. 12. teriùs proferentes, interiùs verò in sæculi voluptates & lucra cor habentes: quare ipsis abusi fuistis, corde & corde mihi loquentes. Quapropter nunc sentite timorem, quem non credidistis. quia ore peruerso, & signis externis mecum loquebamini,

mini, prauo autem corde malum machinabamini: indocti fuistis, & ideò nunc in egestate cordis vestri moriemini. Prou. 6. Denique confugient ad inimicos suos dæmones refrigerium aliquod anhelantes, qui ignem apponentes, in incendio, & morte eorum gaudentes, illis locum tormentorum in societate sua gratulabuntur. Prou. 10. Expergiscamur ergo fratres, & hinc eruditi, cor nostrum omni custodia seruemus, vt non maledictionem, Eccli. 10. sed benedictionem Domini mereamur audire, dicentis: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Matth. 2

Tunc placebũt terræ Sabbatha sua cũctis diebus solitudinis suæ: Quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit & requiescet in Sabbathis solitudinis suæ eò quòd nõ requieuerit in sabbathis vestris, quando habitabatis in ea. & qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium. Cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes. nemo vestrum inimicis audebit resistere. peribitis inter gentes, & hostilis vos terra consumet. Quòd si de his aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum. & propter peccata patrum suorum, & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum, quibus præuaricati sunt in me, & ambulauerunt ex aduerso mihi. ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircuncisa mens eorum.

SVB exemplo & figura eorum, quæ passi sunt Iudæi dispersi inter gentes, vastata Hierusalem per Babylonicos & destructo templo, quę in vltionem mortis Domini nostri Iesu Christi sustinuerunt, & sustinebunt omnes, qui sensibilibus moribus eos imitati fuerint, adhuc explicat. Igitur coruscante Euangelio, & morte sacrosancta vnigeniti filij Dei confirmato, cessationem antiqui cultus, secundùm cæremonialia, & iudicialia, quæ in figuram disposita fuerunt, per antiquationem Sabbathorum, nouo Ecclesiæ cultu renascente, prædicit. & bene per prosopopeiam, terram gaudentem in Sabbathis solitudinis suæ inducit: quoniam quod maximè fastidit Dominus inter omnia scelera, hypocrisis est, prætextu religionis peccata celando, ac nutriendo. de quorum fictione queritur Deus, dicendo: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; Psal. 54. & si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulauimus cum consensu? quasi dicat, hoc intolerabile est. quapropter quòd fictione hac cessante, & si aperti peccatores, & impij terram eam inhabitarent, in solitudine Iudæorum, eam gaudere dicit. Quòd si hoc ita est, quanto magis in tanta ac tali commutatione gaudebit, quando loco antiqui cultus, nouus Ecclesiæ suffectus est, lætabitur? quam commutationem manifestè indicans, ait: in Sabbathis solitudinis suæ: vbi cultum nouæ legis, cùm Sabbathorum meminit, intimauit futurum. at solitudinis suæ Sabbatha appellat: quoniam cæremoniæ, cordi in Deum solùm eleuato, subseruiunt: non cor strepitui cæremoniarum, vt consueuerunt facere Iudæi. Ex quo discant Deum venerari Christiani oportet, qui subiectum cor cultui, & honori Dei externo, vt hominibus satisfaciant, habentes, pondere terrestrium rerum ipsum grauando, nihil aliud in eo reponunt, cui sic depresso religionem seruire faciunt. Hoc enim vetus Sabbathum est, quod Deo nunquam placuit; nouum in Ecclesia quemque fidelem celebrare conuenit, corde in Deum subleuato, & omnia religionis opera externa prę eunte. Deinde in regionibus hostiũ remanẽtibus, tantũ pauorẽ incutiet, quòd ad sonitum folij sonantis terreantur, ac si gladiũ instantẽ viderent: & ita super fratribus suis cadent, vt nullo persequente corruát, inimicis nullatenus prę imbecillitate audentes resistere: & peribunt tandẽ. & si qui remanserint, tabescent, inquit, in terra inimicorũ suorũ, donec cõfiteantur peccata sua, & maiorũ suorũ, Domino contra eos ambulante ex aduerso, qui ex aduerso cõtra eum ambulauerunt. Hos labores subijsse Iudęos vastatos per Babylonios, & apud gentes commorantes, apertũ est, Ezechielẽ Prophetã legenti. tamen absq; vlla proportione maiores tulisse in depopulatione facta

 per Ro-

per Romanos vindices mortis Christi Iesu, videbit, qui Iosephum legerit, quam illa Babylonica significanit: quarum prædictionem tanto antè tempore, vtpote qui solus futura omni modo sciat, & sua mysteria suauiter dispenset, dignatus est intimare. Sed & illius, quam residui, perseuerantes in incredulitate sua, passuri erant, ex seipsis inimicè contra Dei gloriam nitentes: & similiter omnes peruersi Christiani, qui moribus & vita eos imitati fuissent. Videamus ergo timorem quem huiusce hominibus dabit. & primùm perpende, quàm specialiter à Domino exercituum, res bellorum pendeant, quòd horum vigor, & illorum timor, ex peculiari, & ineffabili eius prouidentia mittatur: vt qui bella Domini gerunt principes, discant, quàm accuratiùs suam confidentiam in Domino reponere debeant, quàm in magno exercitu Dei obliti. Ipsius etenim nutu, corda suorum timor occupat, in regionibus hostium eos conualescendo & corroborando, vt hic dicitur, & factum sic in sacris historijs sæpe legimus. Vnde commissuri bellum contra hostes reges consulere Dominum soliti sunt, vt Saul fecit insectatus Philistæos etsi ille perperam: & Ezechias obsessa Hierusalem ab Assyrijs, sic Dominum precabatur: Domine exercituum rex Israel, qui sedes super Cherubin, inclina aurem tuam. Sed ad rem nostram, vide quanto pauore, & timore Iudæi in terra hostium, id est, in Ecclesia & gratia noui testamenti agant, quòd ei collum non subijciant: quippe quod ipsis relictis, gentes gratiam Domini præripientes, eam ingressi sint, inimicè ferunt. Quod & sanctus Zacharias prophetauit, & Christi Iesu gratiam manu Iudæorum (qui legem, vt diligentes notarij apud se conseruarunt) sic dicens: Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. & quòd huiusmodi hominibus bellum ingerit, duritia cordis, & morsus propriæ conscientiæ est: Iudæis videntibus, quòd proprijs eorum armis, scilicet, Lege & Prophetis à vindemiatoribus Ecclesiæ (vt inquit Propheta) id est, à doctoribus Ecclesiæ, fructum sub legis folijs latentem carpentibus, deuincantur: atque hinc super fratribus corruunt; quoniam à fratribus, scilicet Christianis (quoniam legem quantùm ad spiritum capiunt) Scripturæ testimonia proferentibus, deturbantur. Vnde & ad folij sonitum, id est, ad corticem legis, quæ veti folium arboris est, terrentur, vt à gladio, ne vincentes se, ad spolia legis, & euangelica mysteria capessendà procedant. atque ita nullo sequente à propria statura, ex duritia sui cordis, in præcipitia infidelitatis corruunt. & tandem ex aduerso incredulitate sua contra Dominum agentes, ex aduerso itidem Domino contra eos supplicia admouente, nunquam pereuntes in inferno perire faciet. Quod etiam hîc vaticinatum est, contra eos, qui similes mores & vitæ vestimenta induent, quantumuis Christiani sint, & fidem iactent, omissis hæreticis, qui hanc solam efferentes, iam iudicati sunt. Etenim quòd rebus caducis, & proprijs cupiditatibus cor subiectum habeant, dispensante sic Domino, in regionibus hostium, id est, dæmoniorum in aëre commorantium, quorum fauces sensibiles res sunt, in continuò timore viuunt; nam timor amittendarum rerum semper vrget, eis diabolus instimulat, conscientia mordet, & exitus vitæ cruciat. Vnde imbecilles vsque adeò facti sunt, vt ad sonitum folij, id est, rei caducæ (qua veluti folio vitam suam tegere curant) amissionis, perinde perterrentur, ac si gladius imminéret. Et meritò, quandoquidem folia fidei, id est, Christianæ religionis studia & Sacramenta exteriùs venerantes, radicem non portant, id est, fidei mysteria, & opera non ex corde exercent, nec complent. imò radix portat eos, vt inquit beatus Paulus: Quoniam cum pondere suorum honorum, diuitiarum, & rerum sæculi eos vehit, quando ad hanc rem, & suas cupiditates satiandas, ea tantùm vtuntur, & solùm gloriantur. & nullo persequente præterea cadunt: quia ex duritia sui cordis ex vno peccato in aliud continuò labuntur, vt sanguis sanguinem tangat, nullo interstite officij medio, vt inquit Propheta. & denique sic animo deijciuntur, vt resistere malo, & domestico hosti non audeant, vt sic ex aduerso contra Dominum perseuerantes, ex aduerso Dominus supplicia admonens, in infernum æternaliter puniendos detrudat, & ita pereant: quod Dominus pro sua misericordia cor carneum præbens, ablato lapideo, auertat. Quippe hoc intendens Dominus, eatenus se puniturum promittit, donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum; & erubescat incircuncisa mens eorum. Vbi duo aduertere oportet: alterum, filios peccatorum excusationem protendere in peccato parentum & maiorum, quos imitari, non solùm non delinquere, sed velut sanctificationem quandam existimant: Quorum deceptionem refellens Dominus, non contractum ma-

Margin notes: 1.Reg.14. — Esai. 37. — Hiere. 49. — Rom. 11. — Ose. 4. — Ezech. 11.

rum manum, nec flagellum relicturum, donec pœnitentes se cum maioribus suis peccasse fateantur, sicque in frugaliorem vitam se conuertant: & quantùm maiores delinquendo, posteris noceant, hinc intelligant. Alterum verò circumcisionem post distinctionem populi, & remissionem originalis peccati, quam signabat, ad docendum homines, circuncisionem mentis, & cordis à Domino institutam fuisse: Quod apertè docet, dum interim quòd incircumcisa mens non erubuerit, & rubore suffusa superflua sensibilium cupiditatum, quæ colunt & amant gentes, à se non ablegauerit, flagellum non dimissurum dicit. In quam institutionem, post obedientiam & pignus nostræ redemptionis, quod Dominus præstitit, innocētissimus infans circumcidi voluit. Sed ad Iudæos ad quos sermo hic primùm dirigebatur reuertendo: quomodo spiritaliter in terram hostilem induxit eos, & ambulauit contra eos? nempè quando Iudæi calumniantes Legis & Prophetarum testimonia, quæ Christi mysterium confirmant, ex aduerso steterunt: nam tunc Christus Iesus obuius, inter gentes Euangelium recipientes interseruit: vt, si ita ad æmulationem prouocarentur, inquit Apostolus, & aliqui eorum saluarētur: & compleretur, quod Dominus promiserat per Moysem, dicens: Ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, opinione scilicet mundi, stultitiam Christi crucem arbitrantis. Gentes enim inimicæ Iudæorum capitales fuerunt; atque tunc maximè, quando ipsis Euangelium prædicatum est, & acceptum, vt beatus Paulus Gentes alloquens testatur, dicens de Iudæis: Secundùm Euangelium quidem inimici propter vos: secundùm electionem autem dilecti propter patres: quoniam occasione hac accepta magis proterui fuerunt, & à fide Euangelij resilierunt. Vbi ingenium humanum impensiùs attende Christiane lector, quòd omne tanquam alienum respuit, quòd ex se non exierit, & proprio arbitrio non duxerit, quantumuis bonum & sanctum sit. Et ipso facto, quòd sua censura & examine non probetur, inuidia tabescat, & dissecetur, nisi pro sua misericordia, Dominus manum dederit.

Rom. 11. — Deut. 32. 1. Cor. 1. — Rom. 11.

Tunc orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, & Isaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero: quæ cùm relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in Sabbathis suis, eò quòd abiecerint iudicia mea, & leges meas despexerint. Attamen etiam cùm essent in terra hostili, non penitus abieci eos, nec despexi, vt consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, & recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gentium, vt essem Deus eorum, ego Dominus Deus. Hæc sunt iudicia atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israel, in monte Sinay per manum Moysi.

ORATIO humiliantis se penetrat nubes, inquit Sapiens. Tunc autem maximè humiliatur & prostratur humanum cor, quādo cristas superbiæ deponit, & propriam miseriam agnoscendo sua peccata confitetur. Quapropter hæc est indiuidua orationis præparatio: quia quis sis Deo repræsentando, benignissima misericordiæ erga te viscera orando, aperire cogis. Quod manifestè nos docens: post confessionem iniquitatum suarum eos oraturos dicit, atque se exauditurum. Et quid oratione obtinebunt? respondet, quòd recordabor fœderis mei cum Patriarchis pacti, insuper & terræ derelictæ, & saluationis reliquiarum, quæ in terra hostili remanserint: ne irritum faceret pactum suum. Etenim vt medijs causis secundis, influendo, & efficiendo Dominus cuncta naturalia sustentat & vegetat, ita & dona quæ supra naturam sunt, medijs Sacramentis, oratione & conuersione cordis, impartiri statuit, vt hoc loco cernitur. Conuersis quippe Iudæis, & oratione apud Babylonios clamantibus, tandem exaudiuit Dominus, & à captiuitate exemit: & solitudinem terræ subleuauit, & reliquiarum inter gentes quæ remanserant, non fuit oblitus. Ecce pædagogiam, sub qua hunc spiritum Dominus docet, scilicet libertatem & redemptionem à seruitute peccati, & diaboli tyrannide, luce Euangelij Christi Iesu Domini nostri exoriente. Hoc namque fuit pactum, quod pepigit cum Iacob, Isaac, & Abraham, sub rerum naturalium & bonorum temporalium figura & exemplo. Atqui, quoniam

Eccli. 35.

specialiùs & expreßiùs Iacob patefactum fuit, ab eo tanquam Euangelium referente, memoratio Patriarcharum facta est, ascendendo per Isaac ad Abraham, qui Prophetas, & Legem referunt: quod nō fecisset Dominus, nisi mysterium indicaret, cùm aliàs semper Abraham vt antiquior, & pater omnium nominetur. Deinde memor fuit terræ ab eis relictæ: quoniam Scripturæ sanctæ, quam peruertendo calumniando, & sensibiliter interpretando, derelinquentes intellectum & spiritum, atque eius selectissimum fructum in ea latentem conculcarūt. Vnde patiens solitudinem suam, complacebit sibi in Sabbathis suis: quoniam loco Sabbathorum, & cæremoniarum legis, succedentibus Dominicis diebus, & cultu interno pariter & externo Ecclesiæ, quem in visceribus continebat, complacebit sibi: vt mulier post partum, quia natus est homo in mundo, vt docuit Dominus Iesus noster. Et simul est patiens solitudinem eorum: quoniam primùm ad eos salus hæc directa est, dicente Domino: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: & propterea Scriptura sancta ipsis data fuit, qua nunc carent, corticem tantùm iactantes: attamen ipsa vt mater inducitur, filiorum destitutionem & solitudinem sentiens. Quapropter reliquiarum eorum in terra hostili, id est, in Ecclesia congregata ex gentibus, memor erit: gratiam nempè Euangelij in Ecclesia sua extollendo, & sublimando, per virtutis perfectionem, & sublimitatem, quæ solùm in Ecclesia Dei reperitur: extra verò tantùm simulata. Atqui, cùm huius igniculi rationi hominis insiti sint, & naturali propensione ad eam inclinentur, atque eius exercitium, vitam dare, natura ipsa persuasum omnibus habeat; & præcipuè his, qui in schola Domini fuerunt procreati, & exerciti, proculdubio si oculos aperiant, ad æmulandum prouocabuntur, Ecclesiam ingredientes. Quod Apostolus docens, ait: Quandiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Vnde reliquiæ Israel demùm saluæ fient, vt asserit idem Apostolus: Si fuerit, inquiens, numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Quod & illis vates prædixerat: In veritate reliquiæ conuertentur, reliquię, inquam, Iacob ad Deum fortem. si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Equidem, sicut gentes in incredulitate eorum (vt ait idem Apostolus) misericordiam consequutæ sunt, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Solus enim Deus est, qui scit elicere & elicit ex malo bonum. Quod admirando Apostolus subdit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! hunc igitur peccatores, in quorum figuram hæc Dominus ergà Iudæos dispòsuit; discant peccata sua confiteri; & ab stylo maiorum, quos peccando imitati sunt, discedere: & conuersione cordis per pœnitentiam & orationem, Dominum pulsando, verbo & præceptis eius mansuefieri: nam Dominus eorum recordabitur, à iugo peccati eximendo & liberando eos per gratiam suam: terræ quoque Euangelij & verbi Dei, quod alienato corde, exteriùs tantùm exercebant, cor eorum penetrando, memor erit, post patientiam solitudinis eius, propter peccata, quibus fides mortua in eis iacuit. Nam continuè mille modis eos Dominus prouocat, vt ad cor reuertentes, omnes, & non tantùm reliquiæ vt Israelis, salui fiant. Atque hoc, ne irritum in eis sit pactum Domini, id est, ne inaniter pro eis tantam copiam sanguinis fuderit, qui continuè ad Deum clamat, vt sanguis Abel. quemadmodū, memor quòd eduxerit filios Israel de Ægypto, vt esset eorum Deus, & ipsi essent eius populus, reliquiarū eorum in terra hostili, vt expositū est, memor extitit. Tandem epilogans Dominus, quæ in hoc, & libro Exodi dixerat, iudicia, præcepta, & leges esse dicit: iudicia, quibus quæstiones variæ rogatæ soluuntur, secundùm quòd ad interrogata suprà respōsum est: præcepta verò, quantùm ad ea sancita, quibus vita dirigenda est: & leges, quantùm ad varia negotia, quæ ipsis finienda venirent. At quoniā in morte Domini nostri Iesu, finem omnia acceptura erant, quæ ad tēpus tantùm data fuerunt, donec vnigenitus Dei filius factus homo, omnia complens, Euangelium ex lege erueret, & inuulgaret: & non iam purus homo vt Moses, sed Deus proprio ore homines doceret: & donec lex noua exiret de Sion: tunc enim suo officio functa omnia hæc cessatura erant, vt cessarunt: innuens Dominus, omnia hic disposita esse, loquutum fuisse Moysi, & in monte Sinay admonere voluit.

Exod. 22. Iohan. 16. Matth. 15. Aristote. 6. Ethic. Rom. 11. Rom. 9. Esai. 10. Rom. 11. Rom. 11. Genes. 4. Esai. 2.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

LOquutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus à vicesimo anno vsque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij: si mulier, triginta. A quinto autem anno vsque ad vicesimum masculus dabit viginti siclos, fœmina verò decem. Ab vno mense vsq; ad annũ quintum pro masculo dabuntur quinque sicli, pro fœmina tres. Sexagenarius & vltrà masculus dabit quindecim siclos, fœmina decem. Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, æstimabit coram sacerdote, & quantum ille æstimauerit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.

CVM hactenus quæ agẽda essent, Dominus præscripsisset, tandem legislationi manum imponens, conuersationes vitæ, & viuendi modos quibus disposita exerceantur, attenta varietate personarum, quæ se & sua Dei obsequijs dicauerint, statuit. Equidem leges cæremoniales, quæ cultum Dei spectabant, & iudicia, quæ hominum pacem definitis quæstionibus, quæ exorirentur, respiciebant, diffuse satis explicata fuerunt. Quæ cum externa quædam essent vitæ indumenta, in quibus vltimè sistendum non esset, hoc admonens Dominus, præceptis, quibus corde & opere iustos Deo quilibet homo ferat fructus, ea omnia inseruitura esse declarat. Quod antè docens: eum qui Domini cathalogo per Mosem annumeraretur, aut ad nomen Domini (Exod. 30.) transiret, dimidium sicli in redemptionem animæ suæ, ne statim plaga peccati percuteretur à Domino; vt tempore Dauid regis legimus factum, soluere iussit: quia legis corticem in vitæ exercitium, & mentis occupationem, quòd alteram medietatem sicli, sensum nempè internum non omnes caperent, accuratè seruare constituit. Vnde eam transgrediens plagam corporalis morbi & vindictam sæpe mortis etiam sentiebat: Quare Deus vltionum tunc Dominus appellabatur. Accedente autem tempore, quo thesaurus diuini spiritus, per Christum redemptorem nostrum, in lege discoopertus est, internum cordis cultum per fidem, spem, & charitatem Dominus exigit: cui augendo & excolendo externæ ecclesiæ cæremoniæ seruiant, ablegato illo antiquo legis cultu, in exercitio corporis posito. De quo diuus Paulus dicit: (1. Tim. 4.) Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est, quia eatenus confert, quatenus spiritui proficienti seruit. Explicat igitur hîc præcepta, quibus Dominus gratificabitur, ad quæ retinenda & complenda, cętera vt appendices quasdam disposuit, & vt folia quędam, quæ fructibus operum tegendis & defendendis seruirẽt. Quod Dominus in fine capitis testatur, dicens: Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinay. Non autem ad lidit leges & iudicia; vt in calce præcedentis fecerat. Qui ergo ex Iudæis vitam suam redimere volebant, in pretium redemptionis, seipsos familiam & animalia, domos, agros, Deo dicabant, ac consecrabant: imò & ipsas decimas in candem rem offerebant. Quorum mutationi & pœnitudini (quæ annexa est conditioni hominũ) Dominus prospiciens, pro varia ratione offerentium, varia pretia taxat, quibus oblata possent redimere, vt clarè conspicis in litera. Sub hac autem pædagogia & figura, quo pretio vita spiritalis animæ eximenda sit, vt Deo placear, & à seruitute peccati redimenda, manifestè docet. Est autem ratio ministra omnium, quibus Deus placatur, & gratificatur: quapropter in numeris, quibus ipsa exeritur, & conspicitur, notationem quandam intellectus posuit Dominus, quam considerando, in se ipsum collectus animus hominis, sibi prospiciendo, Deo placere curet. Est quippe, vt ait beatus Augustinus, ratio, mentis motio, ea quæ discutiuntur, (Augustin. lib. de ordine. 2. c. 11.) distinguendi, & connectendi potens. Vnde quoniam vita tunc coram Deo benè composita incedit, quando à progressione in sensuum negotia se retrahens, mentis motione tanquam duce vtitur, ad Deum intelligendum, & rationalem animam, homo in seipsum redit: vt in sui naturam anima conuersa ad bonũ & pulchrum amandum & colendum, quod commensuratione partium & legitimo ordine constat, vti à monitore quodam excitetur; & in factis ad finem debitum relatis, ne quippiam temere agat,

temere agat,

mere agat, conquiescat: & vt in discendo, & contemplando concinnitate gaudeat, in numeris quibusdam scopos quosdam & terminos, in quos fidelis animus reflecteretur, memoratus sanctus posuit. Animam enim, numerum posuerunt Pythagorei philosophi: quos & sequutus Plato, animam numerum seipsum mouentem dixit. Quinque ergo status hominum sub consistentia viri corporali, & conditione mulieris, ab ea semper deficiente notat, vt ex defectu fœminæ, & integritate viri in corporis constitutione, vita varia, & non eadem vitæ perfectio ab vtroque exigeretur. Atque principio eorum modum viuendi designat, qui à vigesimo ad quinquagesimum fideliter & Christianè viuere proponunt. Et hi sunt maiores Ecclesiæ, & etiam illius populi, qui legem foris & intus secundùm intellectum latentem suo modo colebant. Nam ideò à vicesimo duplicato, scilicet denario in cognitione legis eorum vita incipit vsque ad quinquagesimum, id est, vsque ad perfectam libertatem, quæ anno iubilei dabatur; & ad assequutionem donorum Spiritus sancti, quæ die Pentecostes in corde Apostolorum diffusa fuerunt: & vsq; ad consequutionem perfectæ vitæ in cælo, quæ solùm per claram Dei visionem contingit. Nam status perfectionis in hac vita non eò dicuntur, quòd quidam in eis agentes, perfecti sint, sed quòd ad perfectionem nitantur. In eo ergo statu, qui Deo placere cupierit, si vir fuerit, id est, integra fortitudine polluerit, redimens vitam suam, quinquaginta offerat siclos: fœmina, id est, ab ea deficiens, triginta: odit enim Dominus homines otiosos, vecor-

Matth 7. des, & negligentes. Vnde aliquando dixit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. In libertatem ergo animæ à morte & plaga peccati, pretium hoc, id est, vitæ conuersationem talem exigit, vt ad constitutos scopos quinquagesimi anni continuè nitatur progrediendo, & proficiendo: nam non progredi in via Domini, regredi est, inquit beatus Gregorius: Spiritus namque otiosus nunquam vtilis fuit; præsertim ei, à quo centesimus fructus perfectionis speratur. Quem fructum notat Dominus per numerum quinquagenarium, qui duplicatus centesimum facit: ad quam duplicationem notandam, quemlibet siclum viginti obolos, qui geminus denarius est, con-

Exod. 30. tinere hic dicit, & libro etiam superiori: quoniam siclus sanctuarij auctore Iosepho, quatuor drachmas continebat; & quælibet drachma quinque obolos, qui efficiunt viginti. Vulgaris verò, hoc est, profanus siclus, duas solùm drachmas continebat, quæ efficiunt decem siclos: Ad quod quidá non aduertentes, siclum idem, quod didrachmam hic esse dixerunt, qui tantùm continet decem obolos: Pugnant autem textui sacro dicenti siclum valere viginti obolos. ab eo verò, qui à tanta fortitudine animæ deficeret, qui nomine fœminæ censetur, triginta siclos petit, qui sexaginta duplicatus numerus efficit. Debet autem duplicari ratione duplicati denarij obolorum,

Luca 8. quem siclus quilibet includit: & est fructus sexagesimus, quem Dominus à bona terra secundo loco petit. Secundus status est eorum qui vitam suam Deo consecrant à quinto anno vsque ad vigesimum: id est, eorum, qui à discretione & sensu integro mentis, moderando sensus, illis dominatur, (vnde & eorum numero designatur) ad vicesimum, hoc est, ad internum & externum simul intellectum legis, voluntatem Dei in omnibus venerantes progrediuntur. A robustioribus ergo ex hoc numero, pro redemptione animæ & vitæ spiritalis, conuersationem vitæ, in pretium exigit viginti siclos; hoc est, integram pœnitentiam quæ per ieiunium quadraginta dierum Mosis, Heliæ, & Christi redemptoris nostri exprimitur. Duplicatus enim hic numerus, ex geminato denario obolorum in quolibet siclo contento, vt suprà dictum est, quadraginta efficit, qui virum quadratum numerus designat, virtutibus quatuor cardinalibus præditum: temperantia nempe, fortitudine, iustitia, & prudentia; vt & Phi-

Aristot. 1. lib. Ethic. losophi censuerunt. A robustate autem hac deficientibus, decem siclos petit, id est, vitæ conuersationem in adimpletione præceptorum decalogi, corde & opere; sic enim ex duplicatione dicta, vicenarius conficitur. Oportet quippe qui Deo seruire cupiunt, eius voluntatis semper ob oculos venerationem habere; atque Deum

1. Cor. 14. laudando psallere mente & spiritu, vt inquit beatus Paulus: Nec non corde & ope-

Matt. 5. re eius mandata facere: vt ad cor & interna mentis nostra iustitia penetrans, abundet plusquàm Scribarum & Pharisæorum, qui externa tantùm curabant. Tertius status eorum est, qui ab vno mense, id est, à principio discernendi secundùm rationem,

nem, (vnus enim,siue primus mensis infantiam adhuc dicit in vita morali) ad quintum annum, hoc est, ad sensuum quinque subiectionem,& domitionem, qui in vita ante acta pueritiæ, & infantiæ pro voluntate excesserunt; in pretium redemptionis animæ, conuersationem vitæ talem offerat, vt quæ quinque sensibus externis percipit, ad internos quinque animæ duplicando referat: id est,quæ quinque sensibus apprehendit, si robustus, & constans sit, intelligibiliter suscipiat: & ita quinque siclos duplicatos reddet. Si verò infirmior fuerit, & debilioris intellectus, offerat tres siclos, id est, talem vitæ conuersationem, quòd eam fidem sanctissimæ trinitatis corde & opere profiteatur: & ita offeret tres siclos duplicatos,qui faciunt numerum senarium, qui perfectus est in denario: & ita corde credet ad iustitiam, & ore confessionem faciet ad salutem,vt inquit beatus Paulus: sic fidem Iesu Christi Domini nostri, & Ecclesiæ sanctæ Romanæ confitendo. Ecce tres status,perfectorum,proficientium, & incipientium qui castè & continenter viuere volunt. At si sexagenarius fuerit,ita debilis in integritatis constantia,quòd omninò tentatur,& suis viribus constare timet, is nubat: melius est enim nubere quàm vri,id est,quàm tentationibus succumbere, vt inquit beatus Paulus. Quod docens quindecim siclos ab eo petit Dominus in pretium redemptionis animæ suæ, id est, fructum trigesimum: nam quindenarius numerus duplicatus ex ratione memorata, tricesimum numerum facit. Si verò fœmina fuerit, id est,infirmior adhuc,decem siclos offerat,inquit,quod est conuersationem vitæ in simpliciori mandatorum Dei obseruatione, agere, etsi non in tanta restrictione sensuum sicut præcedens. Si verò pauper fuerit,quòd transgressus fuerit præcepta non se continens, & excesserit (vt transfert Aquila) morti peccati se subijciens, in redemptionem, & liberationem animæ suæ, pretium, id est, pœnitentiam per ieiuniorum, orationum, eleemosynarum, & macerationum carnis,ad arbitrium sacerdotis confessarij pro qualitate delictorum, pœnam æternam in temporalem commutando, soluere iubet. Et vtinam claue scientiæ non abutatur: nam nisi veritatem iudicij quod meretur, saltem pœnitenti non explicauerit, vt sibi consulat, hic aut in Purgatorio soluere eligendo, sibi onus alienum sacerdos coniunget. Rom. 8. 1.Cor.7.

Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono. Quod si mutauerit, & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis vouerit, adducetur ante sacerdotem: qui diiudicans, vtrum bonum an malum sit, statuet pretium. Quod si dare voluerit is qui offert, addet super æstimationem quintam partem.

A via virtutis regredientem,& gradum retrahētem maximè odit Dominus.Hinc enim vxorem Loth in statuam salis conuertit, ad flammas, à quibus eam eripuerat, faciem conuertentem. Et iuueni petenti, vt sineret sepelire patrem suum, & postea ipsum sequeretur, respondit Iesus: mortuis mortuorum negotia in cupiditate posita, esse relinquenda. Vide quanta diligentia occasionem à Domino oblatam absque vlla mora oporteat arripere, ne prætermissa, eam suspiranti, in posterum tibi tanquam immerito denegetur: & denique mittentem manum ad aratrum pœnitentiæ, & studiosæ vitæ, & respicientem retrò indignum Dei regno iudicauit. Explicuit sanè his locis Dominus, quod hic obscuriùs statuerat: seruum scilicet, filium, discipulum, & quemque subditum, de alicuius familia Deo oblatum, & in eius obsequium dicatum minimè reuocare licere. Etenim nomine animalis mundi, quod solùm immolare licebat, omnes eos intelligit, qui alterius instructione, & admonitione indigerent: Nam postquam de oblationibus, quibus suam vitam, quisq; sciens Deo dicaret, differuerat: consequens erat vt de institutione ea carentium ageret. A via autem Domini regredientes, & vota atque studia optima mutantes, & in alia latiora commutantes, in pœnam melioris propositi relicti, oblatum simul,& commutatum offerre iubebat. Vt discas hinc diabolum, qui tibi minus bonum suggesserat, vt maius prætermitteres, percutere ac ferire, & vnum scilicet, & alterum in eius iniuriam & contemptum facere. Quod si ex subditis, animalis immundi conditionem ali- Gen. 19.

nem aliquis subierit, & nec ruminare valeat, nec fissam gerat vngulam, hoc est, ad meditandum & contemplandum non sit aptus, nec discernat, inter melius bonum satis, & deficiens, inter sensum & intellectum prompte, nec inter literam & spiritum conuenienter discernat. Huiusmodi sacerdotis iudicio subijci mandat, etsi æstimationem eius, hoc est, viuendi modum, & vitæ conuersationem ab eo taxatam apprehendere voluerit, quintam partem æstimationi datæ addere iubet: id est, mentem quinque sensibus, gubernatrice sua prouidentia dominantem. Est enim mens sensuum lux, & eorum conuenienti gustui sal necessarius, vt eo cōdita ipsorum opera, luce illustrata exeant: vt hoc sale rationis condita, vitæ tædium leuent, & gustui Domini in via mandatorum eius constrata, cum gratiæ ipsius dono probentur.

Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino: considerabit eam sacerdos, vtrum bona, an mala sit: & iuxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur. Sin autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis suprà, & habebit domum.

GRADATIM à superioribus per inferiores, suo ordine ad institutionem totius populi descendit Dominus: vnde cùm eos instruxisset qui aliena ope, & doctrina ex ciuibus indiguissent, familiam nunc componit, quę sub potestate cuiusque posita est, quam nomine domus intelligit. Sic enim ante acceperat, quando beneficium seruationis filiorum Israel, obstetricibus Ægyptiorum gratificans, domos fecit, id est, familias amplas constituit: tanta quippe est misericordia Domini, quod & infidelium bona opera, quæ ex virtute aliqua fecerint, præmio suo carere non permittit. quod in hoc sæculo posuit, vt nos Christiani, quibus lux cæli illuxit, hoc calcato, ad id, quod ibi nobis repositum est, diligenter contendamus. Ait ergo: Eum, qui familiam oblatam redimere voluerit, æstimationem sacerdotis debere expectare, & super eam quintam partem addere. Ille quippe hìc dicitur vouere, qui Dei honoris in vita sua & aliorum ad se attinentium procuratorem se offert, & constituit. Ad quod officium exhibendum, cùm ex se non valeat, sed auxilijs Dei egeat, quæ nostram diligentiam & industriam præueniendo etiam adiuuant; quando eam exhibemus, nostram, & ad nos pertinentium vitam, redimere censemur. Atqui, quoniam non solùm gratiam, qua à peccato liberamur, sed etiam eas omnes, quibus a mundi, carnis, & diaboli laqueis expedimur, & ad virtutis prosequutionem animamur, Christus Iesus in cruce nobis meruit: hinc redemptoris nomen sibi appropriauit, pretium nostrarum redemptionum, quæ hìc disponuntur, inopibus nobis peccatoribus offerens. Igitur tanto pretio oblato, nos vtentes, (idem siquidem Dominus præueniendo, & cooperando assistit) cùm vitæ modum præscribamus nobis oportet, quo Dei gloria & honor extollatur, & propagetur; quod est vitam nostram redimere, id est, in libertatem asserere. Quòd si eum diligere non vales, consule sacerdotem, summum nempè pontificem Romanum; ei obsequendo, & sanctam matrem Ecclesiam venerando, & ex his quos Christianis modos viuendi præfixit, elige, eum amplectere, qui tibi cordi magis erit. Et cùm tibi præstitueris eum, ne erres semitam vitæ, & dilabaris: consule sacerdotem cōfessorem tuum: Nam làbia sacerdotis custodiunt scientiam, inquit Dominus. Consule, inquam, pro te, & pro tua familia, de qua nunc disseritur, vt leges & regulas tibi præscribat, quibus in officio eam contineas. Consilium autem exhibitum, id est, pretium redemptionis æstimatum, cui tu quintam partem superaddere debes, hoc est, quinque sensuum confusioni, intellectum superintendentem: nam quando eis vt vir vxori præcipit, & sub eius nutu agunt, quia eorum vices agit, quinta pars & quinque sensus eos temperans dicitur. Ex quo loco concionatores vehementer populum admonere debent, & sæpius inculcare, quanta cura pœnitentes cōsilia confessorum, quantum ad pœnitentias iniunctas, & vitæ nouæ institutiones, memoria tenere, & exequutioni mandare debeant.

Exod. 1. · Malach. 2.

Quòd si agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino, iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium: Si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanto valore potest, tanto æstimabitur. Sin autem post aliquantum tem-

tum tem-

tum temporis, supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui sunt, numerū, vsque ad iubileum, & detrahetur ex pretio. Quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerit, redimere non poterit, quia cùm iubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum. Si ager emptus est, & non de possessione maiorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos iuxta annorum numerum vsq; ad iubileum pretium, & dabit ille, qui vouerat eum Domino. In iubileo autem reuertetur ad priorem dominum, qui vendi dederat eum, & habuerat in sorte possessionis suæ. Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.

SACRI huius textus pædagogia & litera conspicua est, eam legenti & etiam totius capitis, quæ initio libri Numerorum satis latè, vt hîc dispositum est, in profectu populi à finibus montis Sinay, exercetur. Verùm, quæ hac parte disponuntur, in distinctione agri, si sit possessio maiorum an non, & in modo æstimationis pretij à sacerdote, (quia sacerdorum possessio in medio filiorum Israel esset) necessariò ager vendendus erat: atque in redemptione eius ab offerente disposita in textu versantur: quæ notare oportet, vt spiritum in ipsis latentem eruamus. Ager & quæuis hæreditas tunc possessio dicebatur, quando à maioribus descendebat, quia iure hæreditario ad eam familiam pertinebat: oblatus autem ager emptus, & non à maioribus acceptus, possessio nullatenus censebatur. Ille non redemptus, aduentante iubileo, Domino consecratus manebat, ad ius sacerdotum pertinens: hic verò, quando etiam redemptus non erat, ad priorem dominum, qui sorte possessionis eum acceperat, redibat: tam magna cura fuit Domino, vt nulla tribus sua possessione priuaretur. Vnde inhibitum fuit, vt vna tribus cum alia matrimonio non copularetur, excepta tribu sacerdotali. Nam quando hæreditas ad aliam tribum non transibat, bene licebat, vt sanctus Dauid Michol filiam Saul de tribu Beniamin accipiens, cùm ipse esset de tribu Iuda, testatus est. Et quid referebat, hæreditates in suis tribubus integras permanere? plurimùm sanè. ne scilicet tribus abolerentur, vt descentia Christi ex tribu Iuda secundùm carnem Iacob reuelata, inde omnes aliæ exspectarent, & aduenientem clariùs cognoscerent. In quam rem, ad conuincendos Iudæos aduentus Christi ex tribu Iuda, iuxta pollicitationem factam, sacri Euangelistæ Christi genealogiam in ipso dicendi initio texuerunt. Sub figura autem agri, qui sic Deo dicabatur, sacra Scriptura noui & veteris Testamenti significabatur: ex quo virtutum flores pulchritudine & odoris fragrantia selectissimi, & fructus etiam omnigenæ virtutis, in animarum cibum & refectionem, decerpendi veniunt. In eo enim abscon- Matth. 13. ditus latet thesaurus ille, quo inuento debet homo vendere omnia quæ habet, vt emat agrum illum, vt Dominus docuit hunc locum explicando. Quod & manifestè hîc innuit, quando triginta modijs sementis hordei eum æstimat, & quinquaginta siclis argenti pretium eius taxat: Nam tricesimus numerus modiorum hordei, fidem sanctissimæ trinitatis sub lege significat, quæ asperior & durior est Euangelio, quod latens continebat, & sic ipsum præcessit, vt hordeum asperius est tritico, & pelle, aut tunica pinguiore substantiam suam tegit, & ideò antecedit. Quinquagenarius autem numerus siclorum argenti, Euangelium clarè conspicienti manifestè indicat: cùm ob peccatorum remissionem, quam numerus hic designat, quam nullibi pœnitentibus non docet: tum quoniam argentum est igne examinatum, & purgatum septuplum, vt inquit Propheta. & testatur beatus Paulus: Euangelicam ora- Psal. 11. tionem & prædicationem, argentum & aurum nominans, cùm dicit: Si quis ædifica- 1. Cor. 3. uerit supra fundamentum hoc argentum, aurum, &c. Plumbum autem grauius & impurius, id est, vetus Testamentum antecedens; quod quia gratia spiritus, ex tractantium negligentia, in igne charitatis non fuit ventilatum, ipsis consumptum & inutile fuit; vt inquit Dominus: Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plum- Hiere. 6. bum: frustra conflauit conflator. Circa pretij æstimationem disponit, sacerdotis arbitrio esse

bitrio esse taxandam; ita quòd si ab anno sequente iubileum facta fuerit oblatio, integrum pretium valoris vsque ad iubileum signare debebat: si autem post secundum, quod magis aut minus distaret, de integro pretio derrahendum erat. In quo duo aduertenda sunt: Alterum est, summo sacerdoti Christo, qui hic obumbratur, nostram pœnitentiam, vitæ conuersationem, statum & vocationem tanquam supremo gubernarori subijciendam: & iuxta eius ordinem & modum viuendi in car-
Math.11. nis mortificatione, ac virtutis exercitio præscriptum esse agendum. Quod officium ipse obtulit, ad id quod hoc loco dispositum erat alludendo, cùm dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Loco autem eius, confessori ipsius vices in Sacramento confessionis gerenti: qui in initio vocationis alicuius ad aliquam functionem, & officium in Ecclesia Dei gerendum, integrum pretium pro dignitate, quam suscipit, iniungere debet, sine quo nullatenus redimet agrum, quia legi Christi, in ea vocatione disponenti, cui tunc subijcitur, nullatenus ab eo deficiendo, satisfaciet. Vt in consecratione Episcopi, onus quod iniungitur per partes memoratur, & singularum expressus consensus requiritur, vtpote, quòd ab eo, omnium spe-
Apoc.3. cialis ratio exigenda sit. Vnde beatus Ioannes quendam Episcopum redarguens, obiecit dicendo: Vide, qualiter acceperis. Si verò pòst, elapso iam aliquo temporis officio, & post excessum, aut excessus aliquos admissos pro rata temporis restantis vsque ad iubileum, detrahere de pretio iubebat: quoniam commissorum pœnitentia pretium tunc erit, quæ eo tempore, & ea discretione taxanda venit, quod remissionem integram peccatorum faciat: & in principium stadij Christianæ vitæ, quando post Baptismum currere cœpit, aut quando animosè magistratum recepit, & vitæ probatione perspecta, sibi id onus iniunctum est, vitam regredi cogat. Qui enim post Baptismum, aut post gratiam per Sacramentum pœnitentiæ datam, aut post creationem in magistratum, ad quem contemplatione virtutis fuit electus, delinquit lethaliter, minor seipso pro elapso tempore factus est, atque infirmior, & debilior effectus, & pœnitentia recuperandus venit. Et pro hac minoratione, de integro pretio detrahitur pro ratione suarum virium pœnitentiæ subijciendo, qua suppletur, quod de pretio detractum est. Tandem circa redemptionem statuit, qui possessionem redemerit, vltra æstimatum à sacerdore pretium, quartam partem addere: qui si noluerit, & alteri venundatus fuerit, anno iubilei accedente, in ius sacerdotum cedere debebat. Si verò ager oblatus, non fuisset possessio, redemptus ab eo, qui eum vouit, ad priorem dominum redire statuebat, accedente iubileo, cuius erat possessio. Vbi tria considera; proprium possessorem redimentem, & in ius cedere sacerdotum, si voluerit redimere, & agrum à non possessore oblatum & redemptum, in iubileo ad antiquum possessorem deuolui. In possessore redimente, nota quintam partem pretio sacerdotis superadditam: nam doctrinæ, consilio, & orationi, à doctore, à confessore, & à sacerdote quouis & prudente homine, ex agro sanctæ Scripturæ, sub Ecclesiæ regula eius vitam gubernante & instituente, parere debet, quintum sensum, id est, intellectum, quinque sensuum delectabilia condientem & temperantem, quem nulli se ad susceptionem disponenti
1.Tim.2. negat Dominus præbendo, vt beatus Paulus testatur, dicendo Timotheo: Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Quando verò redimere noluerit, hoc est, doctrinam & institutiones, atque exhortationes amplecti, in ius sacerdoris cedit possessio: quanquam enim ipse rebellis sit, pœnitentiam recusans, sibi imputabitur, & mercede, quam laborantibus Euangelium sanctum pro-
1.Cor.3. mittit, sacerdos & prædicator non priuabitur, vt testis est Apostolus, dicendo: Si cuius scilicet veri doctoris, & prædicatoris opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen, sacerdos scilicet, saluus erit, sic tamen quasi per ignem: quia magnas tribulationes à repugnantibus veritati patiendo. Et non solùm in admonentis possessionem ager, inquit, cedet, sed in ius succedentium sacerdotum: nam doctrina Euangelij ab Apostolis prædicata, in posteros eorum in Ecclesia catholica suscepta est, & continuè propagata, quæ ager iste oblatus est. & in quantam eorum gloriam & coronam, tu iam perpende. Tertiò & vltimò considera agrum oblatum ab emptore, licet ipsum redemerit, anno iubilei ad suum antiquum reuerti possessorem. quoniam agrum illum, hoc est, doctrinam sanctam, exhortationes, admonitiones in vitæ institutionem

tionem sibi datas, talentum commissum negligendo, per peccatum vendidit, quod & alius præripuit, quem docuerat, aut cum quo versatus fuerat, qui & Domino obtulit, & redemit, pœnitentiam agendo: ob hoc tamen accedente anno iubilei, id est, dignæ pœnitentiæ, antiquus possessor non eo priuabitur, sed in ius suum reddet: quia id est Domini ingenium, vt gratiam & sui familiarem cognitionem, & conuersationis dulcedinem, quam ob peccatum, & cordis duritiem excæcando ad tempus abstulit, per pœnitentiam cumulatius reddat. Quod multi sancti experti sunt, & experti fuissent Iudæi, si pœnituissent, Christum Iesum nostrum amplectentes, in quorum admonitionem, hæc primum scribebantur.

Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit, siue bos, siue ouis fuerit, Domini sunt. Quòd si immundum est animal, redimet qui obtulit iuxta æstimationem suam, & addet quintam partem pretij. Si redimere noluerit, vendetur alteri quantumcunque fuerit antè æstimatum. Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non veniet, nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur.

QVI Deo aliquid vouet, vt in eo offerendo, sibi aliquam vim inferat, oportet: Nam quantum propriæ voluntati detrahit, tantum Deo confert. Dominus autem Lucæ 4. voluntatem sui beneplaciti in eo maximè operum nostrorum collocat, in quo mortificamur, nos vincimus, & superamus. Vnde quotidie nos ipsos abnegare, propriamque portare crucem, eiusdem imitatione frequenter admonuit. In hanc igitur Exod. 13. rem primogenita, quæ sibi antè cõsecrauit & sanctificauit: quòd ipsius iam sint, in votum offerri non permittit. Homo enim propriam voluntatem Deo per votum offerre debet: in eo autem quod iam Domino dicatum est, voluntatem propriam non habet. Non ergo iure sub voto cadere debet, sed id quod suæ dispositioni subiectum est: in quo à se abdicando nouam voluntatem Deo offeret. Ex quo colligis præcipuè vota de his, quæ sub præcepto sunt emitti non debere, quia illa voluntati Domini omninò subiecta sunt. Ita vt omittendo quæ præcipit, & exercendo quæ prohibet, auctor, tanquam diuinæ voluntatis violator, & qui rem Domini vt propriam velit tractare, offendit, & inferni carceri deputatur: Bene autem quæ sunt consilij voto subijciuntur, vtpote quæ omninò nostræ voluntatis sint, & ea exercere, aut secus impunè & absque offensione liceat. Elicitur etiam eos, qui sanctimoniæ & religioni iam se dicarunt, de nouo vouere se Deo non posse, quoniam iam Domini sunt, nec suum quid offerant habent: quantum ad modum autem strictius viuendi, possunt: quoniam latiorem viuendi modum possident, quo se abdicare possunt, vt se abdicant, qui à latiore ad strictiorem religionem transuolant. Huiusmodi omnes, qui Domini iam sunt per omissum votum, monentur à Domino, (quantumuis neruos extenderint operando, & laborando, vt bos, & simpliciùs atque vberius fructificando, vt ouis) semper dicere: Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. Equidem qui Domini sic sunt, nisi fimo hoc humilitatis se cohibeant, nihil Luc. 17. sibi vendicando, sed Domino cuncta accepta referendo, statim in animi elationem, atque vanæ cuiusdam gloriæ inflationem, sibi, quod Domini est vsurpando, cadent. Verùm si primogenitum non fuerit animal mundum, vt bos & ouis, quorum nunc meminit, quid iuris? Respondet Dominus, redimendum esse ab offerente iuxta æstimationem sacerdotis, addendo quintam partem: qui si redimere noluerit, æstimato pretio alteri vendatur. Et bene nota à sacerdote, qui legem Dei in corde & labijs habere debet, pretium taxari: quoniam ipsius est, modum & ordinem vitæ, cuique roganti, & indigenti tradere, vt studiosè & Christianè viuat. Illud autem persoluebat redimens, aut ille cui vendebatur primogenitum hoc immundum (nam in vniuersum de immundo animali iam dispositum est) quoniam pœnitens & Christianus quiuis, vt doctrinam, consilium, exhortationem, correptionem accipiat, cor-

piat, cordique eius adhæreat, & tanquam vitæ regulam amet & veneretur, ad pœni-
tentiam accingatur oportet: & eam agere, se aut quippiam aliud offeratur, redime-
Math. 3. re est. Cuius pretij & redemptionis memor beatus Baptista, Christi Iesu Domini
nostri Euangelium, & doctrinam sacram recepturos, pœnitentia præparabat, dicen-
do: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Qua etiam ratio-
ne, eodem themate ipse Dominus suam prædicationem exorsus est. Est ergo pœni-
tentia glutinum quoddam, quo animæ verbum Dei annectitur, vt eam illuminet,
Math. 4. penetret, & hinc in vitæ regulam proponatur: purgatas enim aures sapientia diuina
requirit: quod docens, ingenti clamore in has voces aliquando Deus prorupit: Qui
Lucæ 8. habet aures audiendi audiat. Atque hoc animo diligenter repone, tanquam sum-
mam omnium redemptionum, quæ inculcatæ sunt, & tanquam vitæ Christianæ a-
sylum: Etenim ad nullum opus religionis exercendum pœnitentia humilis acce-
des; admoneas proximum, eleemosynam largiaris, psallas in choro, ores, audias Mis-
sam, siue dicas, quin pacem animæ cum magno dulcedinis spiritu inde reportes:
Dei maxime præsentiam hisce operibus semper reuerendo. Atque hoc est pretium,
quod redimens, aut ille cui venditur, soluere sacerdoti debet, vt hominem, animal,
domum, aut agrum: hoc est, doctrinam, qua hæc componuntur, possideat. Et ne
litera ipsa impediaris, lege tuam & non suam æstimationem, vt in omnibus Biblijs
in margine emendatum est: quia cum sacerdote est sermo, & non cum redimente;
quod manifeste contradiceret præcedentibus, vbi animalis immundi pretium sacer-
doti remisit. Iubet insuper vltra pretium quintam partem dari, hoc est, intellectum
his, quæ sensibus percipiuntur, vt suprà dictum est. Cæterùm in eo, quod sequitur,
difficultas est, hominem scilicet, animal, siue agrum, & quicquid aliud sit, quod
Deo consecretur, nullatenus vendi, aut redimi posse, contrarium ei, quod hactenus
dispositum est? dices fortasse, aliud esse aliquid ex voto Domino oblatum esse, quod
vendi & redimi potest, vt quod voto simplici astrictum est, de quo hactenus dispo-
situm est: aliud verò esse voto iam consecratum esse, ac traditum, de quo hic agatur,
quod exuere obligationem nullo modo potest, vt quod voto solenni Deo traditum
est. bene: non tamen ad rem. Dices etiam præcedentia vota de his fuisse, quæ in ta-
bernaculo, & templo futuro, sacrificijs offerenda erant, & mactanda: nunc verò de
his votis discerni, quibus ministerio tabernaculi, aut aliquo genere vitæ peculiariter
astringebantur: à quo nullo modo pedem retrahere licebat; & ita nec redimi, nec
1. Reg. 1. vendi poterant; vt Samuel consecratus fuit Deo totæ vitæ tempore: nam pueri ex
tribu Leui legitimè à parentibus cultui diuino sub voti emissione astringi consueue-
Deut. 18. rant: vt Leuita etiam iam suæ vitæ arbiter, se Deo consecrare poterat, atque in ar-
Iudic. 13. ctiori vitæ genere se constituere per votum, vt de Sansone legitur, qui ab omni po-
tu, qui inebriare posset, abstinere pollicitus est, vt sic Deo iuuante, iugum Philisti-
Iudic 11. norum excutere posset. Filia prætereà Iepte, si Hebræis creditur, virginitatem suam
Iosue 9. in vita arctiori, orationibus, vigilijs & ieiunijs plena, Deo seruire promisit. Gabao-
nitæ denique ministerio templi & altaris fuerunt deputati. Bene quidem: ad lite-
ram tamen propriùs accedendo, vt Liranus asserit; quod noster interpres dicit: O-
mne quod Domino consecratur, anathema ex verbo herem vertitur. Itaque apertè
dicit: Omne quod internitionis aut destructionis anathemate Deo vouetur, & con-
secratur, omninò absque vllo medio venditionis, aut redemptionis solui, & tradi
Num. 21. debet. Vt Israel voto se obligans dixit: Si tradideris populum istum in manu mea,
delebo vrbes eius: & iuramento astrictus omnes viros Beniamin interfecturum
Iud. 21. aliquando item iurauit: & spolia omnia vincentem Deo oblaturum. Vnde Acham,
quia vestem retinuit, quæ sub anathemate consecrata erat Domino, morte mulcta-
Iosue 6. tus fuit. Et Saul grauiter peccauit Malechitis parcendo in parte, quam detulit:
quoniam sub anathemate sibi traditi fuerant: vnde vita & regno priuatus est. Erant
ergo huiusmodi vota in numerato soluenda, ita vt ager vastaretur, domus destrue-
rentur, & homines ac animalia sub anathemate consecrata, morte plectenda erant.
Spiritaliter autem hoc nos docet Dominus, vt cùm dæmones, & diaboli furias deui-
cerimus, victoriæ laudem & triumphum non nobis, sed ipsi, cuius gratia & ope effe-
Psal. 113. ctum est, tribuamus, dicentes cum sancto Propheta: Non nobis Domine, non nobis,
sed nomini tuo da gloriam. Amalecitæ enim lambentes & percutientes etiam inter-
pretantur,

pretantur, apprimè dæmones referentes, qui veluti lambentes, hominibus blandiuntur, vt eos peccatis percutiant; atque adeò sub internitione & anathemate, fuerunt iustitiæ Dei dicati. Item Beniamites, qui filij dexteræ enunciantur, carnales designant, dexteram diabolo in vitio carnis præbentes, in quo potissimum suas delicias repositas habet: vt Gabaonitis filijs Belial dederunt, ad atrocissima scelera cum hospita perpetranda. Ob quod omnes fermè demptis sexcentis viris, vsque ad iumenta gladio percussi sunt à filijs Israel, vt iureiurando proposuerant. [Iudic. 20.] Nec minus Hierichoitæ eos referunt, qui lunatici interpretantur, mundi fluctuationem, & tumorem referentes, qui non mediocrem dæmonum fautorem se exhibet. Quamobrem à filijs Israel per Iosue omnes interfecti sunt, vsque ad ipsorum spolia, iustitiæ Dei voto consecrata. Etenim in terram diabolus cum angelis suis è cælo cadens, dominum omnium terrestrium se finxit, quibus casum suum inimicè contra Deum vindicare satagens, homines ad desertas cæli sedes occupandas creatos, quantumuis sanctos & iustos tentare non cessat: quandoquidem & ipsum Dominum aggressus est, dicendo: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me: imò [Matt. 4.] hos vehementiùs & subtiliùs, quanto eos magis Deo coniunctos videt. Ecce arma diaboli, ad quæ strenuè tractanda, calliditate omni pollet, cæteras creaturas, acumine naturalis ingenij, longè superando. Habet deinde pro se elationem illam ex victoria contra primum parentem nostrum habita; & in nobis ipsis deordinationem & propensionem ad immodicos & excedentes vsus rerum huius sæculi suspirandos, originalis illius peccati pœnam. Vnde tantam in hominibus stragem fecit, & continuè in vecordes, & negligentes facit. Verùm ad euadendas eius, & sui exercitus manus, contrà terrestres res, quibus nos inescare contendit, absque vlla proportione valentius ad nos inuitandum & attrahendum, habemus cælum, copiosam nobis [Matth. 5.] paratam mercedem: contra calliditates & versutias in malignitate acutissimi ingenij, habemus angelos in bono confirmatos, continuè nos ad id exhortantes, inuitantes, & adiuuantes, quibus nostri curam demandauit Dominus, dicendo: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. [Psal. 90.] Et rursus: Angeli eorum vident quotidiè faciem Patris mei, qui in cælis est. [Matth. 18] Et per suum Apostolum: [Hebr. 1.] Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui capient hæreditatem salutis? contra elationem ex victoria, contra primum hominem parta, habemus Christum Iesum Dominum nostrum, qui moriendo, & resurgendo, ipsum deuicit, & iudicauit. Princeps, air, huius mundi iam iudicatus est, & [Iohan. 16.] iugum eius à nobis excussit, chirographum decreti affigens cruci, vt inquit Apostolus. [Colos. 2.] Contra infirmitatem & imbecillitatem nostram, habemus decem Decalogi præcepta, menti hominum in ipsa conditione naturali insita, quæ contra nebulam & obscuritatem peccati fermè obliterata, pro sua misericordia dignatus est, Scriptura sua sancta, memorare & illustrare. Quorum negatiuis, excessiuos vsus terrestrium, [Exod. 20.] qui ditioni diaboli accrescunt, & suorum diuitiæ sunt, prohibuit: affirmatiuis verò, quia in mediocritate harum rerum secundùm rationem versantur, qua virtutes gaudentes ad Deum viam præparant, atque ad eam propendunt, ad amplectendam præmio animat, & obligatione astringendo impellit. Et septenario donorum sui spiritus, ac gratiarum nos illuminando internè, docendo, & exhortando, præuenire, adiuuare, & cooperari si velimus, nunquam desistit. Quare cùm superamus, victoriæ gloria ipsi debetur: ita vt ipse dicat: Gloriam meam alteri non dabo. [Esai. 42.] Splendet tamen in hoc maximè eius erga nos bonitas, etsi laudem & gloriam actionum similium sibi vendicet, quòd, cùm eius sint opera, ex tot gratiarum comitatu, nostra æstimat, & vult esse ad cælum merita, ob id solùm, quòd ex nostra libertate ad eas actiones eius gratiæ respondentes, accingimur, & cooperantes amplectimur, à terrestribus cor auertendo: in quo tota difficultas, & momentum Christianæ vitæ positum est. Quia sensus & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua: [Gen. 8.] id est, deorsum tendunt, ex læsione peccati originalis, cùm in Paradiso terrestri adolesceret: vnde Dominus sursum eleuare contendit, dicendo per suum Apostolum: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus [Colos. 3.] est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, & non quæ super terram. Hæc equidem pacem cum homine, (quia visibili parte terrestris est) suapte natura in-

eunt, quæ bellum cælo facit: atque adeò à pectore Christiano eam exulans Dominus dixit: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium, &c. (Matth. 10.) Igitur redemptionem & venditionem eorum, quæ anathematis votis subijciebantur, Dominus prohibendo, possessionem gloriæ & laudis ex victoria in bono opere contra dæmonem parta, quæ Deo debetur, præripere vetat. In cuius rei explicationem, & in gratiam tuam, Christiane lector, longius aliquantulum protraximus sermonem.

Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem illarum omnium decimarum. Boues, & oues, & capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutauerit, & quod mutatū est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc sunt præcepta quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel, in monte Sinay.

SICVT primogenitorum, quòd Domini sint, sanctificationem ex voto non permittebat, ita nec decimarum, quæ ipsi consecratæ erant: Harum tamen redemptionem concedit, siue ex his, quæ terra affixa ferat, sint, vt fruges & arborum fructus, siue iumenta & pecora: illorum autem minimè, nisi quando ex immundis erant. Cuius forsan causa erit; quòd illa ex lege posita, Domino sanctificata fuissent, & ad ius suum pertinerent (Exod. 13.): decimæ verò nostræ ditionis sint, vt res illæ, ex quibus soluuntur. Ita vt nullum discrimen sit, quòd hæc pars quæ in decimam offertur, in sortem Domini veniat, quàm alia: sed quòd in recognitionem beneficij accepti à Domino, aliqua pars ei, ex iure naturali debeatur: & forte exijt, vt potius hæc quàm illa esset. In primogenitis autem non sic, nam positiua lege Domino seligebantur, & primus fructus animalium erat. Equidem in primogenitis suis homines oculos defigere solent, atque hinc in sui probationem amoris, à se eos ablegare, & sibi consecrari petijt: aliorum namque parum sollicitus erat Dominus, quia tantùm homines deperibat, quos tunc numero brutorum, quòd sensibilibus adducerentur, inuoluebat. Quod ergo in priori genere decimarum spiritui suggerebat Dominus, hoc est, operationes nempè diuini cultus, quæ fidei, spei, & charitatis functiones, fructus, & exercitationes sunt, non sensibiliter, aut ex more & consuetudine, legi & officio exterius tantùm satisfaciendo, sed cum discretione, & cordis attentione, ad mysteria quæ celebrantur, fieri oportere. Itaque ea integritate, & absolutione fieri debent, quòd perfectionem sibi debitam absoluentes, decimæ sint, quia numerus denarius totus est: qua ratione, ex se, decimæ sunt Domino. Sed, vt in operantis commodum perinde ac possessio propria cedant, ex redemptione, quintam partem, id est, intellectum & mentem addere oportet: vt intelligibiliter homo operetur, non autem sensibus sopitus, vt faciebant Iudæi, externam literam tantùm venerantes. Quorum etiam similes sunt Christiani, & præcipuè sacerdotes in sortem Domini vocati, quando lucri cupiditate sacra faciunt, & horis diuinis intersunt: & item, quando in sensus delapsi, perinde Ecclesiam adeunt officium soluendum vocati, vt seculares forum ad sua negotia tractanda, aut ad leuitates hominum otiosorum capiendas, & leuius tempori tantùm seruientes, vndique disseminandas. Et præterea quando ex vsu & consuetudine officijs sacris intersunt, vt fiat id, quod incumbit, tantùm attendentes; de modo autem, si bene fiat, vt iustè laudes Deo persoluantur, & vt iræ, & flagellis Dei peccata punientis se opponant, atque remissiones peccatorum, & gratiam sibi & populo negotientur, nihil minùs solliciti sunt. Hi profectò non decimas pomorum & frugum, quæ Deo placent, redimunt, sed eius indignationem, sibi plaudentes, prouocant. In his enim fides in valle sensuum abscondita, quia nullis operationibus ex animo depromitur, atque peccato lethali mortua, eius alto & sicco puteo contutata, dum non attenditur, videtur. At si pulsante Domino inspiciatur, sub forma aquæ crassæ, vis solum fidei inuenitur, nullam

nullam operationem accendere valens, quòd charitate forma sua actiua careat: Quemadmodum ignis ille legis, perpetuò in tabernaculo & templo seruandus, 2. Mach. 1 qui verbum Dei, & fidem formatam charitate significabat. Qui tempore captiuitatis Babylonicæ, in valle quadam absconsus, & puteo alto & sicco tutatus, in reditu Israel, ex non vsu & dissuetudine, aqua crassa tactui inuentus est: quæ educta, & in carnes sacrificij, & ligna superinfusa, radio solis attacta in ignem accensa est. Inspice igitur, & visita, charissime lector, tuam fidem, si regimen vitæ teneat, an secùs: Nam iustus ex fide viuit, inquit Dominus; quia ex ipsa, tanquam ex promptuario Hab. 2. quodam diuino, vitæ Christianæ operationes elicit. etsi ex tepiditate & frigiditate Rom. 1. actionum, eam aquosam repereris, factum Nehemiæ imitare: & super carnes tuæ propriæ voluntatis, & ligna tuarum appetitionum, eam infunde, id est, horum speculatricem constitue, pænitentia lapsorum ductus: & quando Sol iustitiæ Christus, qui nubibus tuorum peccatorum erat obductus, radium suæ gratiæ in te demiserit, ardorem charitatis tua fides concipiet, quo absumentur peccata, & crassities aquosæ tuæ vitæ exercitio relegabitur: & decimas pomorum & frugum ex terra Scripturæ, aptissimas colliges. Per terram equidem sacram Scripturam intelligi suprà expositimus: quod & sponsus, sponsæ sapientia, cælestique doctrina circumornatæ, & illustratæ insinuauit, dicendo: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum Cant 4. pomorum fructibus. Præterea sub addecimatione animalium, boum, ouium, & caprarum, à ciuibus ciuitatis huius cælestis, Ecclesiæ nempe militantis, opera, laboris patientia instar boum, & quæ magnæ frugis sint, cum simplicitate ouium, quæ virtutes absoluunt: & ea agilitate & animositate, qua capræ errare solent in campis pascua quærendo, exigit. quæ decimas appellat, quia tunc mandatorum decalogi regula examinata, & probata erunt; & vbi decimæ acceptæ Deo, grata & suauia. Quod docens, ad decimas soluendas, discernere inter pingue & macilentum animal prohibet, auaritiæ sanè & cupiditati nostræ consulens: sed, quod sub manu pastoris transeundo, decimum veniret, id Domino adscribendum erat: secus verò agentes pœna graui mulctabat, vt scilicet, quod mutatum esset, & id pro quo mutaretur, absque redemptionis spe, sibi redderent. Vsque adeò auaritiam odit, & commodum nostrum temporale, Dei obsequijs & oblationibus, præponere perhorrescit. Neque redemptionem solùm in hoc genere decimarum vetat, quando inter pecus & pecus ex cupiditate delectus contingeret, sed omninò in omnibus negabat: quoniam cùm decem mandatorum adimpletiones, tales actiones essent, quæ iure naturæ homines obligant, eo ipso quod exercerentur, eorum erant, neque operationes erant supernaturaliter præscriptæ, vt intellectu, & quinto sensu indigerent, vt in spiritale commodum cedendo, & eorum possessio fierent: neque tantundem doctrinales exhortationes, & vitæ consilia sacerdotis, aut doctoris, vt redemptione acciperentur, pretio pænitentiæ exhibito, atque ita menti & cordi conglutinarentur, & adhærerent. Tandem autem finem dicendi faciens, in commendationem obedientiæ, quam fideles superioribus debent, ad sapientiam sanctæ Scripturæ discendam, retinendam, & excolendam sibi ad salutem necessariam, per manum Moysi filijs Israel tradendam esse declarat: cùm inquit: Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel. Ita enim natura comparatum est, vt sublimium rerum cognitio à superioribus per medios ad infimos quosque deriuetur: vt medijs motibus cælorum, virtutes, atque influentiæ naturales, quibus vegetantur, & sustinentur hæc inferiora, æternus, atque indulgentissimus pater mittit: & medijs superioribus angelis ad infimos vsque, qui homines instruant, sui beneplaciti cognitionem communicat, & vitæ etiam interna consilia, exhortationes, & admonitiones impartitur. In hunc igitur modum cognitio voluntatis diuinæ, per legem positam, tempore illo, Moysi sancto viro, à Deo ministerio sui angeli edocto, communicata est; vt per ipsum filij Is- Num. 12. rael eam acciperent. Fuit enim Moyses (vt inquit Scriptura) vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra, ob idque ad eam sanctionem electus. Deinde per Prophetas selectissimos etiam viros, medijs etiam angelis, legis fractionem Iudæis obijciendo, & mysteria in lege figurata, alijs atque alijs modis condiuit, & condita illis, nobis reseruanda tradidit. Tempore autem gratiæ per diuum Petrum vicarium in terris Iesu Christi, & eius successores Pontifices Romanos, eadem

INDEX COMMENTARIORVM
IN LEVITICVM.

Q.

R.

S.

Sacer-

INDICIS FINIS.

APPROBATIO.

Frater Didacus Dechaues, sacræ Theologiæ professor, ordinis Prædicatorum, pio Lectori S. D.

Perlegi quàm acutissimè potui, opus hoc in Leuiticum Doctoris Serrano Canonici Complutensis, quod meæ fidei probandum atque expendendum Regius Senatus demandauit: opus sanè pium atque eruditum: atque adeò si typis mandetur, magnam (vt spero) studiosis omnibus, & præcipuè verbi Dei concionatoribus afferet vtilitatem. Vale, apud Cœnobium Diuæ Catherinæ Senensis, diœcesis Placentinæ, quarta die Nouembris. 1570.

F. Didacus Dechaues.